









INSTITUTIONES THEOLOGIÆ *MORALIS*,

QUAS AD USUM SEMINARIORUM

È PROPRIIS SUIS PRÆLECTIONIBUS

Contraxit PETRUS COLLET, Presbyter Congregationis Missionis, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

TOMUS TERTIUS,

Continens Tractatus,

I. *DE JUSTITIA ET JURE.*
II. *DE CONTRACTIBUS.*
III. *DE VIRTUTE RELIGIONIS.*
IV. *DE BENEFICIIS ET SIMONIA.*

Opus ad Juris Romani & Gallici normam exactum.

EDITO NOVA.



LUGDUNI,

Apud JOANNEM-MARIAM BRUYSET, Typogr. & Bibliop. in vico S. Dominici.



M. DCC. LXVIII.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

D.


BODLEIAN
31 MAR 1930
LIBRARY

INDEX TRACTATUUM ET QUÆSTIONUM.

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE, Pag. 1
CAPUT I. *De Justitiâ*, ibid.
CAPUT II. *De Jure*, 5
ARTICULUS I. *De Dominio*, 6
SECTIO I. *De Dominii essentia, divisione*, &c. 7
CONCLUSIO I. *Peccatores & infideles sunt capaces dominii. Est contrà Wicelfum & Joannem Hus*, 9
CONCLUSIO II. *Parvuli & amentes sunt capaces dominii*, 10
CONCLUSIO III. *Filii-familias verum habent in certa quædam bona dominium, aliquando plenum, aliquando non plenum*, ibid.
CONCLUSIO IV. *Homo est dominus suæ famæ*, 14
CONCLUSIO V. *Homo alterius hominis dominus esse potest; adeòque licet homini hominem servum facere aut habere*, 15
SECTIO II. *De variis acquirendi dominii modis*, 17
PUNCTUM I. *De occupatione animalium, gemmarum, &c.* 18
CONCLUSIO I. *Animalia naturaliter mansueta & domestica, etiamsi dominorum potestatem longiùs evaserint occupari ab alio non possunt*, ibid.
CONCLUSIO II. *Animalia cicurata quæ consuetudinem habent revertendi, aut facilè reducuntur, non cedunt capienti; sed priori domino restituenda sunt; secùs si amiserint* animam revertendi, ibid.
CONCLUSIO III. *Bestiæ feræ, & volucres, & pisces*,

& omnia animalia, quæ mari, cœlo & terrâ nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt: quod enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, 19
CONCLUSIO IV. *Lapilli & gemmæ, & cetera quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim fiunt inventoris,* 22
PUNCTUM II. *De acquisitione Thesaurum, &c.* 23
CONCLUSIO. *Res inventa, cujus dominus cognosci non potest ab inventore, pauperibus est eroganda, aut pios in usus consumenda; exceptis quibusdam casibus,* 26
PUNCTUM III. *De præscriptione,* 31
CONCLUSIO. *Præscriptio legitima verus est rei possidendæ titulus, etiam in interiori conscientiæ foro: unde res gratuito etiam titulo comparata, si præscripta sit, domino comparenti restituenda non est,* ibid.
§. I. *De materiâ Præscriptionis,* 33
§. II. *De possessione & titulo ad præscriptionem requisitis,* 35
CONCLUSIO I. *Possessio est necessaria ad præscriptionem,* 37
CONCLUSIO II. *Ad præscriptionem ordinariè requiritur titulus,* ibid.
§. III. *De bonâ fide ad præscribendum requisitâ,* 39
CONCLUSIO. *Bona fides toto præscriptionis tempore necessaria est,* ibid.
§. IV. *De tempore ad præscribendum requisito,* 42
CONCLUSIO I. *Res mobiles cum titulo per triennum usucapiuntur,* 43
CONCLUSIO II. Res immobiles *privatorum*, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis *cum titulo* usucapiuntur *ordinariè*, 44
PUNCTUM IV. *De ceteris acquirendi dominii modis,* 45
ARTICULUS II. *De reliquis speciebus Juris,* 47
De Usufructu, ibid.

De Usu, 49

Conclusio I. *In iis etiam rebus quæ usu consumuntur, dominium ab usu separari potest*, 50

De Habitatione, 51

De Emphyteusi, ibid.

De Feudo, 52

De Libellis, ibid.

De Superficie, ibid.

De Servitute, ibid.

CAPUT III. *De restitutione in genere*, 54

Articulus I. *De necessitate restitutionis, ejusque radicibus*, 55

Conclusio. *Restitutio in re aut in voto necessaria est ad salutem*, ibid.

Articulus II. *De culpâ restitutionis obligationem pariente*, 60

Conclusio I. *Ad inducendam restitutionis obligationem sufficit & requiritur culpa theologica venialis adversùs justitiam commutativam, extra casum contractûs, aut quasi contractûs*, 61

Conclusio II. *Qui ex culpâ veniali grave damnum intulit, non videtur teneri ad reparationem totius, extra contractum*, 63

Conclusio III. *Ad obligationem restituendi, supposito contractu, requiritur culpa lata, cùm contractus cedit in commodum solius dantis; sufficit verò culpa levissima, si cedat in utilitatem solius recipientis; requiritur autem & sufficit culpa levis, si cedat in utilitatem dantis & recipientis*, 64

Conclusio IV. *Ad obligationem restituendi ex quasi contractu, requiritur aliquando culpa lata; aliquando sufficit culpa levis, aut levissima*, 67

Articulus III. *De iis qui ad restituendum tenentur*, 69

Sectio I. *De possessore bonæ fidei.* ibid.

Conclusio I. *Possessor bonæ fidei non tenetur fructus merè industriales restituere*, 71

Conclusio II. *Possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus naturales, si extant: si verò non extant*,

restituere debet id quo factus est ditior, 71
CONCLUSIO III. *Fructus mixti, sive adhuc extent, sive iis ditior factus sit possessor bonæ fidei restituendi sunt secundùm id quòd naturales sunt, &c.* 73
CONCLUSIO IV. *quod dictum est de obligatione restituendi fructus naturales, ad fructus etiam civiles extendi debet*, ibid.
SECTIO II. *De possessore malæ fidei*, 74
CONCLUSIO I. *Possessor malæ fidei tenetur rem ipsam restituere, si extet; si verò non extet, pretium æquivalens reddere debet, etiamsi res illa casu fortuito perierit*, ibid.
CONCLUSIO II. *Possessor malæ fidei restituere debet fructus omnes, tum civiles, tum naturales, & mixtos etiam, quâ parte naturales sunt, quia res domino suo fructificat*, 78
SECTIO III. *De Possessore dubiæ fidei*, 79
SECTIO IV. *De iis qui ad restituendum obligantur ratione cooperationis*, 81
PUNCTUM. I. *De Mandante & Consulente*, 84
PUNCTUM II. *De Consentiente, Palpone, Receptante & Participante*, 88
PUNCTUM III. *De muto, non obstante, &c.* 93
ARTICULUS IV. *De Restitutionis affectionibus, seu circumstantiis*, 97
SECTIO I. *De ordine quem damnificatores restituendo servare debent*, ibid.
CONCLUSIO I. *Is ad quem res furtiva pervenit, primo loco eandem restituere tenetur, sive extet, sive non*, 98
CONCLUSIO II. *Cùm plures æqualiter damno cooperati sunt, æqualiter restituere debent; uno autem deficiente, ceteri tenentur in solidum: quæ obligatio restituendi in solidum, locum habet in iis etiam qui minùs quàm alii cooperati sunt*, ibid.
CONCLUSIO III. *Cùm plures inæqualiter damno cooperati sunt, mandans primo loco restituere debet, deinde executor, tertiò ceteri cooperantes*, 99

SECTIO II. *Quo ordine personis quæ læsæ sunt restituendum sit*, 103

CONCLUSIO I. *Debita ex delicto vel ex titulo oneroso, priùs solvi debent, quàm debita ex titulo gratuito*, 104

CONCLUSIO II. *Res aliena extans priùs est restituenda domino suo, quàm solvatur quodcumque aliud debitum; deinde solvi debent impensæ pro funere debitoris, itèm pro curatione ejus*, ibid.

CONCLUSIO III. *Debita de quibus certò constat, priùs solvi debent, quàm ea de quibus dubitatur an debita sint*, 105

CONCLUSIO IV. *Debita certa ante incerta hoc etiam sensu solvi debent, quòd priùs restituendum sit domino certo quàm incerto, etiamsi de debito constet*, ibid.

CONCLUSIO V. *Debita contracta ex delicto, non sunt priùs solvenda, quàm quæ ex justo contractu oneroso prodeunt; sed inter utraque nullus est ordo*, 106

CONCLUSIO VI. *Ceteris paribus creditori pauperi priùs restituendum non est quàm diviti*, 108

CONCLUSIO VII. *Creditoribus qui hypothecam aut privilegium habent, priùs est satisfaciendum, quàm iis qui non habent*, ibid.

SECTIO III. *Cui facienda sit restitutio*, 110

CONCLUSIO I. *Res ordinariè ei reddenda est à quo legitimo titulo possidetur, etsi non sit rei dominus*, 111

CONCLUSIO II. *Qui à possessore bonæ fidei accepit aliquid quod alterius esse comperit, hoc vero ejus domino restituere debet, si gratis acceperit; si autem oneroso titulo comparaverit, id reddere potest possessori, & pretium suum repetere*, ibid.

CONCLUSIO III. *Non semper licet rem vero ipsius domino restituere; putà cùm ex hâc restitutione grave imminet ipsi aut alteri nocumentum spirituale vel temporale, quòd quis sinè gravi proprio detrimento impedire potest*, 114

CONCLUSIO IV. *Bona quorum dominus aut domini hæredes post diligentem inquisitionem cognosci non possunt, pauperibus sunt eroganda jure naturali,* 115

SECTIO IV. *Quantùm, quando, ubi, & cujus impensis restitui debeat,* 117

CONCLUSIO I. *Sufficit ut qui rem alterius bonâ fide accepit, eam restituat in loco ubi ipsam possidet; unde si eam ad dominum absentem remittat, non tenetur suis expensis remittere,* 118

CONCLUSIO II. *Qui rem injustè accepit, propriis eam impensis restituere tenetur, idque in loco ubi eam dominus possessurus erat, si ablata non fuisset,* 119

CONCLUSIO III. *Debita ex contractu, nunc in hoc, nunc in illo loco, nunc expensis unius, nunc expensis alterius contrahentis restitui debent,* ibid.

SECTIO V. *Cujus periculo restituendum sit,* 120

CONCLUSIO I. *Res quam quis sine suâ culpâ habet, si pereat in viâ, domino perit, non remittentis, si is sufficientem adhibuerit diligentiam,* 121

CONCLUSIO II. *Restitutio rei per injuriam ereptæ, fit periculo debitoris,* ibid.

CONCLUSIO III. *Res ex contractu debitâ perit creditori, cùm is ejus dominium servat; sed perit debitori, si dominium ejus in debitorem translatum sit,* 122

ARTICULUS V. *De causis à restitutione excusantibus,* ibid.

CAPUT IV. *De restitutione in particulari,* 132

ARTICULUS I. *De injuriâ in bonis spiritualibus, eorumque restitutione,* 133

SECTIO I. *De restitutione ob damnum illatum in bonis ad salutem pertinentibus,* ibid.

CONCLUSIO I. *Qui vi, metu, vel fraude alios ad peccatum induxit, aut à bono retraxit, tenetur ex justitiâ ad damni hujus reparationem,* ibid.

CONCLUSIO II. *Qui sinè vi, metu & dolo fuit alteri peccandi autor, sub aliquo respectu ad resti-*

tuendum obligatur; sub aliquo non, 134
SECTIO II. *De restitutione facienda ab eo qui propter actum debitum, vel turpem aliquid accepit,* 138
CONCLUSIO I. *Quæ quis accepit ut faciat vel omittat id quod faciendum vel omittendum tenebatur ex justitiâ, restitui ab eo debent,* ibid.
CONCLUSIO II. *Quæ quis accepit ad faciendum opus proximo debitum ex caritate, sunt restituenda, si opus illud sinè labore, sumptu & periculo fieri possit,* 139
CONCLUSIO III. *Qui recipit aliquid pro actione vel omissione quæ solùm cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, potest illud retinere,* 140
ARTICULUS II. *De restitutione ob injuriam in bonis corporeis,* 145
SECTIO I. *De restitutione propter homicidium & mutilationem,* ibid.
SECTIO II. *De reparatione stupri & adulterii,* 150
ARTICULUS III. *De restitutione famæ & honoris,* 160
SECTIO I. *An & quale sit peccatum detractio,* 161
CONCLUSIO. *Detractio est peccatum ex naturâ suâ grave; caritati simul & justitiæ contrarium,* ibid.
SECTIO II. *An & quando detractio reparationem exigat,* 165
SECTIO III. *Quinam obnoxii sint restitutioni famæ, & quomodo,* 172
CONCLUSIO I. *Hæres tenetur ad restitutionem damnorum, quæ ab eo cujus est hæres illata sunt proximo per detractionem,* ibid.
CONCLUSIO II. *Qui audit detrahentem hortando vel incitando ad detractionem, significando sermonem ejus sibi placere; itèm interrogando ut stimulos addat, peccat contra caritatem, & contra justitiam, unde idem contrahit restituendi onus quod ipse detractor,* ibid.
CONCLUSIO III. *Superiores, quales sunt patres, domini, Prælati, Regulares, &c. si Communitatem, aut aliquod ejus membrum,* vel ab extraneis

vel à subditis suis infamari videant, & non obstent, peccant contra justitiam, & in detractoris locum restituere tenentur, 174

CONCLUSIO IV. *Fama restitui debet quamprimùm & efficaciter, & coram iis omnibus coram quibus ablata est,* 175

CONCLUSIO V. *Qui ablatam famam non nisi summâ pecuniariâ compensare potest, eam sic compensare tenetur, etiam ante sententiam Judicis,* 176

SECTIO IV. *Quæ causæ à restituendâ famâ excusent,* 177

ARTICULUS IV. *De Furto, ejusque restitutione,* 180

SECTIO I. *An & quando furtum sit peccatum mortale,* 181

CONCLUSIO. *Furtum est ex naturâ suâ peccatum mortale,* ibid.

SECTIO II. *De causâ efficiente Furti,* 186

CONCLUSIO I. *Filii qui parentum bona subripiunt, aut iniquè dilapidant, peccant mortaliter, & ad restituendum tenentur,* ibid.

CONCLUSIO II. *Uxores etiam graviter peccant peccato furti, si sinè mariti consensu notabile quid accipiant de bonis communibus, aut quorum administratio spectat ad maritum,* 187

CONCLUSIO III. *Peccant peccato furti famuli & ancillæ qui herorum bona diripiunt ipsi, vel ab aliis diripi sinunt,* 189

CONCLUSIO IV. *Peccant mortaliter Religiosi, qui sinè Superiorum licentiâ aliquid de Communitate expendunt, sive in suum, sive in aliorum usum,* ibid.

SECTIO III. *De causis à furto excusantibus,* 190

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

PARS PRIMA. *De Contractibus in genere,* 195

CAPUT I. *De naturâ & divisione Contractûs,* ibid.

CAPUT II. *De causâ efficiente Contractûs,* 198

CONCLUSIO I. *Illi omnes contrahere possunt qui*

liberam boni sui administrationem habent, 199
CONCLUSIO II. *Pupulli & minores, etsi civiliter non obligantur, obligantur naturaliter: hæc tamen obligatio elidi potest*, 202
CAPUT III. *De causâ formali Contractûs*, 207
ARTICULUS I. *De consensu ad Contractum requisito*, ibid.
ARTICULUS II. *An consensus ex errore vel dolo elicitus sufficiat ad Contractum*, 209
CONCLUSIO I. *Error & dolus circa substantiam rei, irritum faciunt Contractum*, 210
CONCLUSIO II. *Dolus incidens in Contractum, etiam ab uno è contrahentibus, non irritat Contractum, nec sufficit ad eum rescindendum*, 211
CONCLUSIO III. *Contractus quibus error aut dolus causam dedit, validi sunt tum positivo tum naturali Jure; infirmi tamen sunt, & ad arbitrium partis deceptæ rescindi possunt*, ibid.
ARTICULUS III. *An valeant Contractus ex metu facti*, 214
CONCLUSIO I. *Metus gravis ab agente intrinseco vel extrinseco naturali incussus, non irritat Contractus, vota, promissiones; modò, quod hîc semper supponimus, rationis usum non pervertat*, ibid.
CONCLUSIO II. *Metus gravis ab agente extrinseco libero injustè incussus, non irritat contractum*, 215
CONCLUSIO III. *Metus injustè incussus, sed non ordinatus ad extorquendum consensum in contractum, non invalidat contractum hunc, saltèm si non fiat cum eo qui metum incussit*, ibid.
CONCLUSIO IV. *Metus quilibet injustè incussus, invalidat contractum cum injusto vexatore initum, si tantùm habet pro objecto liberationem ab injustâ ejus vexatione*, 216
CAPUT IV. *Quam & quando contractus obligationem pariat*, 219
ARTICULUS I. *An obligent contractus quibus desunt solemnitâtes positivis legibus imperatæ*, 220
CONCLUSIO. *Contractus quibus desunt* conditiones

primi generis, irriti sunt, etiam in foro conscientiæ: secùs si desint solùm conditiones secundi generis, 221

ARTICULUS II. *An contractus de se minùs validi juramento confirmentur,* 222

CONCLUSIO I. *Juramentum contractui superveniens, obligat, sive contractum confirmet, sive non, quando servari potest sinè peccato, aut præjudicio alterius: secùs si servari non possit sinè peccato gravi aut levi jurantis,* 223

CONCLUSIO II. *Contractus vim, dolum aliamve injuriam continens ex parte illius cui juratur, non ità firmatur juramento, ut rescindi non possit,* 224

CONCLUSIO III. *Qui juravit se aliquid daturum, & juramenti sui dispensationem petiturum non esse, aut se rem datam repetiturum non esse, tenetur huic juramento stare,* 225

CONCLUSIO IV. *Si contractus ex naturâ suâ irritus sit, non firmatur juramento; sed validum est juramentum si sit de re licitâ,* 227

CONCLUSIO V. *Si contractus jure solùm positivo irritus sit, firmatur juramento, cùm non est irritus nisi in gratiam boni privati; non firmatur verò, cùm lex eum irritavit immediatè propter bonum commune,* ibid.

ARTICULUS III. *De obligatione contractûs conditionati,* 228

CONCLUSIO I. *Contractus sub conditione de præsenti aut præterito, hìc & nunc validus est aut invalidus, prout conditio hìc & nunc posita est, vel non,* 229

CONCLUSIO II. *Neque etiam suspenditur contractus, si conditio sit de re necessariò futurâ,* ibid.

CONCLUSIO III. *Si conditio sit de futuro contingenti, contractûs executio suspenditur usque ad eventum illius,* ibid.

CONCLUSIO IV. *Statim ac posita est conditio, contractus de conditionato transit in absolutum sinè novo consensu,* 230

CONCLUSIO V. *Contractus sub conditione impossibili aut turpi initus, jure naturali invalidus est*, 231

PARS SECUNDA. *De contractibus in specie*, 235

CAPUT I. *De Venditione & Emptione*, ibid.

ARTICULUS I. *Quid venditio; qui & à quo perficiatur*, ibid.

ARTICULUS II. *De re vendibili*, 238

ARTICULUS III. *De Pretio*, 241

CONCLUSIO I. *Si nullum sit pretium legale, res vendi debet juxta pretium naturale; qui aliter fecerit, tenetur ad restituendum*, 242

CONCLUSIO II. *Si quod sit pretium legale, merces juxta illud & non aliter vendi debent*, 246

ARTICULUS IV. *Ad quem pertineant fructus & periculum rei venditæ*, 250

CONCLUSIO I. *Res vendita, etiam ante traditionem, perit emptori, si sit determinata in individuo, seu in specie, ut hæc domus, aut si quoad corpus vendita sit; modò tamen perfecta & absoluta sit venditio, nec venditor sit in culpâ vel morâ*, 253

CONCLUSIO II. *Res indeterminata, vel determinata quidem, sed vendita quoad mensuram, & non quoad corpus, perit venditori, quandiu non mensurata: idem dicendum de re nondum numeratâ aut ponderatâ*, 254

ARTICULUS V. *De obligationibus Venditoris & Emptoris*, 255

SECTIO I. *De traditione & evictione rei*, 256

CONCLUSIO I. *Res multis successivè vendita, & nulli tradita ei est tradenda qui prior èmit*, ibid.

CONCLUSIO II. *Ejus est res vendita, cui tradita est, sive sit prior, sive posterior*, 257

SECTIO II. *An teneatur Venditor defectus aperire*, 259

CONCLUSIO I. *Vitium occultum debet à Venditore etiam non rogato manifestari, si rem emptori pe-*

riculosam faciat aut noxiam, aut inutilem ad effectum propter quem emitur, 259
CONCLUSIO II. *Si vitium rei non reddat rem noxiam, nec periculosam, nec notabiliter minùs utilem quam emptor rationabiliter exoptet, non tenetur Venditor vitium ejus etiam occultum aperire, nisi interrogetur: debet tamen minuere pretium pro ratione vitii,* 261
CONCLUSIO III. *Si vitium rei manifestum sit, & facilè animadverti queat, Venditor, si non interrogetur, non tenetur ad ejus manifestationem, maximè dum Emptor scientiæ suæ fidens nihilque de rei qualitate interrogans, ex mercibus sibi oblatis eam eligit quæ sibi placuerit magis,* 262
CONCLUSIO IV. *Si Venditor bonâ fide vendat ut integram, rem cujus vitium ignorat, non peccat; debet tamen re cognitâ rescindere contractum, vel Emptori excessum pretii refundere,* 263
ARTICULUS VI. *De divisione Emptionis & Venditionis, & præcipuis ejusdem speciebus,* 264
SECTIO I. *De Venditione & Emptione cum pacto factis,* ibid.
CONCLUSIO I. *Contractus cum pacto retrovenditionis in favorem solius Venditoris, licitus est, si adsint conditiones necessariæ,* 265
CONCLUSIO II. *Contractus Venditionis cum pacto redimendi in favorem solius emptoris, in praxi tutus non est; sed procul amandari debet,* 267
SECTIO II. *De Negociatione,* 272
CONCLUSIO. *Negotiatio per se nec mala est, nec prohibita,* ibid.
SECTIO III. *De Venditione facta creditò, vel anticipatâ solutione; itèm de emptione chirographorum,* 274
CONCLUSIO I. *Non licèt creditò vendere supra latitudinem pretii naturalis aut legalis,* ibid.
CONCLUSIO II. *Non licet infrà pretium vel legitimum vel naturale emere propter anticipatam solutionem,* 275

SECTIO IV. *De venditione per proxenetas, & eâ quæ fit acceptâ arrhâ,* 279
SECTIO V. *De Monopolio,* 282
CONCLUSIO I. *Peccant contra justitiam, qui vi vel fraude impediunt nè alii merces suas in civitatem invehant, unde tenentur ad restituendum, tum civibus qui cariùs emere coacti sunt, ob majorem mercium inopiam; tùm mercatoribus quos ab introducendis mercibus suis prohibuerunt,* 283
CONCLUSIO II. *Peccant contra justitiam mercatores qui conveniunt de non vendendo nisi supra pretium rigorosum, aut non nisi pretio rigoroso,* ibid.
CONCLUSIO III. *Quando unus vel pauci merces omnes congerunt ut eas aucto pretio vendant, peccant contra justitiam, & restituere tenentur,* 285
CONCLUSIO IV. *Qui merces suas supprimunt ut inde earum pretium augeatur, peccant contra justitiam,* ibid.
CAPUT II. *De Mutuo,* 286
CAPUT III. *De Usurâ,* 290
ARTICULUS I. *Quid sit usura, quotuplex, an vetita,* 291
CONCLUSIO. *Legitima est allata usuræ definitio,* 292
CONCLUSIO I. *Usura jure divino tam novo quàm veteri prohibita est,* 295
CONCLUSIO II. *Usura prohibita est jure Canonico, Cæsareo & Gallico,* 298
CONCLUSIO III. *Usura jure etiam naturali prohibita est,* 299
ARTICULUS II. *Quibus ex titulis possit aliquid exigi supra sortem,* 305
CONCLUSIO I. *Labor in numerandâ pecuniâ non est sufficiens titulus aliquid supra sortem recipiendi,* ibid.
CONCLUSIO II. *Carentia pecuniæ non est ratio sufficiens ad exigendum aliquid supra capitale,* 306
CONCLUSIO III. *Obligatio non repetendi sortem ante certum tempus, non est legitimus aliquid supra eandem sortem recipiendi titulus,* ibid.

SECTIO I. *Utrùm ratione periculi liceat aliquid ſupra ſortem accipere*, 308
CONCLUSIO I. *Non licet aliquid ſupra ſortem accipere ratione periculi quod in omni mutuo ſecundùm ſe ſpectato reperitur*, 309
CONCLUSIO II. *Non licet etiam aliquid ultra ſortem recipere propter periculum quod reperitur in mutuo ſpectato ſecundùm finem ad quem fuit à Deo ordinatum*, 310
CONCLUSIO III. *Si mutuans in ſe ſortis periculum recipiat, poteſt in titulo aliquid ſupra ſortem recipere*, ibid.
CONCLUSIO IV. *Non licet ſub prætextu periculi cujuſcumque aliquid ſupra ſortem accipere*, 313
SECTIO II. *An aliquid ſupra ſortem accipi poſſit ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, &c.* 315
CONCLUSIO. *Licet mutuanti aliquid ultra ſortem exigere; tum propter damnum emergens, tum propter lucrum ceſſans, modò ſerventur aliquæ conditiones*, ibid.
ARTICULUS III. *De pactis quæ mutuo addita uſuram parere poſſunt*, 322
ARTICULUS IV. *De iis quæ ratione lucri uſurarii ad reſtituendum tenentur*, 327
CONCLUSIO I. *Uſurarius realis tenetur reſtituere*, ibid.
CONCLUSIO II. *Uſurarius mentalis, ſeu, ut hîc intelligimus, qui ſine ullo pacto etiam implicito aliquid ſupra ſortem recipit, tenetur ad reſtituendum*, 328
CONCLUSIO III. *Qui bonâ fide contractum uſurarium fecit, alium etiam magis lucrativum facturus ſi prioris injuſtitiam cognoviſſet, tenetur ad reſtitutionem auctarii percepti*, 329
CONCLUSIO IV. *Tutores reſtituere debent id quod ex pupillorum denariis uſurariè comparaverunt*, ibid.
CONCLUSIO V. *Hæres uſurarii reſtituere tenetur*, 330

CONCLUSIO VI. *Hæredes tenentur in solidum ad restitutionem debitorum quæ ex contractu proveniunt, si sint hypothecariâ; non tenentur verò, nisi pro parte, si sint personalia,* 331

CONCLUSIO VII. *Cùm debita ex delicto prodeunt, ut usuræ, hæredes ad eorum solutionem in solidum non tenentur, nisi vel delicto cooperati sint, vel à parte læsâ facta sit contra defunctum litis contestatio ante mortem ejus,* 332

CONCLUSIO VIII. *Qui cooperantur ad usuras, ad restituendum tenentur, sicut & ii qui furto cooperantur,* 333

ARTICULUS V. *De pœnis Usurariorum,* 334

APPENDIX. *De Montibus pietatis,* 337

CONCLUSIO. *Montes pietatis sub assignatis conditionibus factis liciti sunt,* 338

CAPUT IV. *De contractu Societatis,* 339

ARTICULUS I. *De tribus Contractibus,* 341

CONCLUSIO I. *Tres Contractus inter socios facti, simul aut successivè, prorsus sunt illiciti,* 342

CONCLUSIO II. *Licitus est Contractus societatis cum assecuratione capitalis, si lucrum non vendatur, vel cum venditione lucri, si non assecuretur capitale,* 348

ARTICULUS II. *De Societate animalium,* 351

CAPUT V. *De Cambio,* 353

CONCLUSIO I. *Cambium per se licitum est, servatis servandis,* 354

CONCLUSIO II. *Cambium siccum illicitum est,* 355

CONCLUSIO III. *Cambium temporale, sive Lugduni, sive alibi exerceatur, est usurarium,* 356

CAPUT VI. *De Censibus,* 357

CONCLUSIO I. *Census realis est licitus: licitus quoque est census personalis in locis in quibus non viget S. Pii V. Constitutio,* 359

CONCLUSIO II. *Census perpetuus sive irredimibilis licitus est jure naturali,* 362

CONCLUSIO III. *Census redimibilis ad nutum venditoris, prout in Galliâ constituitur, est licitus,*

CAPUT VII. *De Locatione, Conductione, Deposito, &c.* 363
CAPUT VIII. *De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, Hypothecâ, Transactione,* 368
CAPUT IX. *De Ludo, Sponsione, & Loteriâ,* 374
CAPUT X. *De Promissione,* 380
CAPUT XI. *De Donatione,* 385
CAPUT ULTIMUM. *De ultimis Voluntatibus,* 394
ARTICULUS UNICUS. *De Codicillis, Legatis, & Fideicommissis,* 398

TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

PRIMA PARS. *De Religione secundùm se spectatâ,* 401
CAPUT I. *De essentiâ & objecto Religionis,* ibid.
CONCLUSIO I. *Deus est* objectum cui *Religionis,* 403
CONCLUSIO II. *Objectum materiale Religionis sunt actus omnes honesti, quibus debitus Deo honos exhiberi potest,* ibid.
CONCLUSIO III. *Objectum formale Religionis est specialis illa honestas, quæ est in cultu divino, seu est ipse Dei cultus, prout excellentiæ divinæ & nostræ submissionis signum est,* ibid.
CONCLUSIO IV. *Religio non est virtus theologica,* 404
CAPUT II. *De affectionibus & actibus Religionis,* 407
CONCLUSIO I. *Religio virtutibus theologicis est dignitate inferior,* ibid.
CONCLUSIO II. *Religio primum morales inter virtutes locum tenet, estque ceteris præstantior,* ibid.
CONCLUSIO III. *Religio una est specie virtus,* 408
PARS SECUNDA. *De actibus Religionis in specie,* 409
CAPUT I. De Adoratione & devotione, 410

CAPUT III. *De Oratione*, 412
ARTICULUS I. *De essentiâ, divisione & necessitate Orationis*, 413
CONCLUSIO I. *Oratio necessaria est ad salutem, tum necessitate præcepti; tum etiam, saltèm communiter, necessitate medii*, 414
CONCLUSIO II. *Oratio mentalis, sive meditatio, videtur etiam omnibus Fidelibus necessaria*, 418
ARTICULUS II. *An & quâ conditione efficax sit Oratio*, 421
CONCLUSIO. *Oratio, si omni ex parte talis sit, qualis esse debet, triplicem habet efficaciam*, merendi *scilicet*, satisfaciendi & impetrandi, ibid.
ARTICULUS III. *An Deus solus debeat orari*, 428
CONCLUSIO I. *Solus Deus orari debet, ut principalis causa bonorum omnium, gratiæ præsertim & gloriæ, quæ in oratione petuntur*, ibid.
CONCLUSIO II. *Soli Deo ea impendi debet oratio quæ cultum latriæ continet*, ibid.
CONCLUSIO III. *Licitum est homines etiam dum vivunt orare ut pro nobis precentur*, ibid.
CONCLUSIO IV. *Rectè & utiliter invocantur Sancti, qui cum Christo in cœlis regnant*, ibid.
ARTICULUS IV. *Qui orare possint*, 431
CONCLUSIO. *Impii & peccatores sæpissimè orant utiliter; nec proinde oratio impiorum novum est peccatum*, 432
ARTICULUS V. *Quid orandum sit*, 436
CONCLUSIO I. *Bona quibus abuti possumus, non sunt absolutè petenda, sed conditionatè tantùm*, 437
CONCLUSIO II. *Bona quibus abuti non possumus, ut charitas & beatitudo, petenda sunt absolutè & determinatè*, 438
ARTICULUS VI. *Pro quibus orandum*, 443
CONCLUSIO I. *Orandum est pro viatoribus omnibus, sive justi sint, sive injusti; sive amici, sive inimici; sive fideles, sive non*, ibid.
CONCLUSIO II. *Neque pro Beatis qui sunt in cœlo, neque pro iis qui in inferno sepulti sunt*, orare *licitum est*, 445

CONCLUSIO III. *Orandum est pro fidelibus in caritate defunctis, quibus aliquid expiandum superest*, 448

CAPUT III. *De Horis canonicis*, 450

ARTICULUS I. *Quid sint Horæ canonicæ, & qui ad eas teneantur*, 451

CONCLUSIO I. *Clerici omnes in sacris constituti, etiamsi Beneficiarii non sint, sub mortali tenentur ad Officii recitationem, etiam extra Chorum*, 454

CONCLUSIO II. *Beneficiarii ad Officii divini recitationem tenentur*, 455

ARTICULUS II. *Quâ formâ recitandum sit Officium*, 459

ARTICULUS III. *Quo tempore & ordine recitandum sit Officium*, 465

ARTICULUS IV. *Quomodo recitari debeat Officium divinum*, 473

ARTICULUS V. *De Officii recitatione in Choro*, 486

CONCLUSIO I. *Canonici aliique Choro addicti, qui Officio non intersunt, nisi materiæ levitas excuset, graviter peccant, & ad restituendum tenentur*, ib.

CONCLUSIO II. *Non sufficit ut Canonici modestè, assiduè Choro assistant; sed & est necessarium ut psallant quantùm possunt; & nisi faciant, ad restituendum obligantur*, 491

ARTICULUS VI. *De causis ab Officii recitatione excusantibus*, 493

ARTICULUS VII. *Ad quid teneantur qui Officium omiserunt*, 496

CAPUT IV. *De Juramento*, 500

ARTICULUS I. *De essentiâ & divisione Juramenti*, ibid.

ARTICULUS II. *De Juramenti usu*, 505

CONCLUSIO. *Juramento uti licet, si adsint requisitæ conditiones*, ibid.

ARTICULUS III. *De conditionibus ad licitè jurandum requisitis, ubi de peccatis in Juramento contingentibus*, 510

§. I. CONCLUSIO I. *Juramentum solo judicii de-*

fectu vitiosum, non est nisi veniale peccatum, modò absit contemptus, scandalumve, & periculum jurandi falsum, 512

CONCLUSIO II. *Juramentum cui deest justitia, seu quod sit de re malâ & illicitâ, sæpissimè est peccatum mortale,* 514

CONCLUSIO III. *Juramentum assertorium cui deest veritas; id est, perjurium propriè sumptum, semper & in omni materiâ est peccatum mortale, nisi excuset inadvertentia,* 516

CONCLUSIO IV. *Perjurium promissorium est vulgò peccatum mortale; sive absit intentio jurandi, dum exteriùs profertur juramentum: sive jurans non habeat actu intentionem implendi id quod promittit: sive intentionem quidem hanc habeat de facto, sed eam posteà mutatâ voluntate implerè nolit, etiam in materia levi,* 517

§. II. CONCLUSIO I. *Non potest privatâ autoritate exigi juramentum ab eo qui certò vel probabiliter creditur perjuraturus,* 521

CONCLUSIO II. *Si aliquis exigat juramentum tanquam persona publica, secundùm quod exigit ordo juris ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa; si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum; quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit; & is proinde solus peccat,* 522

ARTICULUS IV. *De Juramento cum amphibologiâ & restrictione,* 523

CONCLUSIO I. *Usus restrictionum purè mentalium semper & pro quocumque casu est illicitus, sive in judicio, sive extra; & qui iis utitur cum juramento, perjurii reus est,* ibid.

ARTICULUS V. *De causis & obligatione Juramenti,* 531

CONCLUSIO I. *In Juramento per se stante unica solùm reperitur obligatio; in confirmatorio autem duplex, aut triplex,* 532

CONCLUSIO II. *Juramentum de re bonâ obligat:*

secùs si sit de re malâ, vel indifferenti; nisi hæc vergat in commodum tertii, 531
CONCLUSIO III. *Juramentum non obligat, si fiat ex errore vel dolo circa rei substantiam,* 535
CONCLUSIO IV. *Juramentum sinè intentione jurandi non obligat per se; obligat verò si adsit intentio jurandi, quamvis absit intentio se obligandi, vel implendi id quod juratum est,* ibid.
CONCLUSIO. V. *Aliqua juramenti obligatio transit, ad hæredes, aliqua non transit,* 537
ARTICULUS VI. *De juramenti promissorii interpretatione,* 538
ARTICULUS VII. *De causis quæ juramenti obligationem impediunt vel tollunt,* 540
CAPUT V. *De Voto,* 545
ARTICULUS I. *Quid sit votum & quotuplex,* ibid.
ARTICULUS II. *De causâ materiali & efficiente Voti,* 549
CONCLUSIO I. *Omnis & solus homo rationis compos vovere potest,* 555
CONCLUSIO II. *Omnia omninò vota simplicia, etiam de amplectenda Religione, ab iis emissa qui ratione utuntur; sive aliis subditi sint sive non, videntur esse de se valida,* ibid.
ARTICULUS III. *An votum sit opus bonum, meritorium & obligatorium,* 557
CONCLUSIO I. *Votum actus est honestus, & Legis Evangelicæ statui conveniens,* ibid.
CONCLUSIO II. *Opus quod fit ex voto, melius est eo quod fit sinè voto, & magis meritorium,* 558
CONCLUSIO III. *Hæreticum est asserere votum non obligare,* 559
CONCLUSIO IV. *Votum obligat graviter in materiâ gravi, leviter in levi,* ibid.
CONCLUSIO V. *Votum emissum ex gravi metu ad idem extorquendum injustè incusso, non obligat,* 561
CONCLUSIO VI. *Votum de quo legitimè dubitatur an emissum fuerit, impleri debet,* 562

ARTICULUS IV. *Quando, & per quos debeat Votum adimpleri*, 567
ARTICULUS V. *Quotuplici modo tollatur obligatio Voti*, 571
SECTIO I. *De commutatione Voti*, 573
SECTIO II. *De dispensatione Voti*, 577
SECTIO III. *De irritatione Voti*, 583
§. I. CONCLUSIO I. *Pater omnia prorsus filiorum impuberum vota, etiam de amplectendâ Religione, etiam de peculio castrensi, &c. irritare potest*, 584
CONCLUSIO II. *Parentes non possunt personalia puberum, etiam sub patriâ potestate existentium vota irritare, nisi paternæ potestati præjudicent, seu domûs regimen impediant*, 585
CONCLUSIO III. *Omnia prorsus Religiosorum vota ab eorum Superioribus irritari possunt, si sint, ut esse solent, in materiâ superioribus subjectâ*, 586
§. II. CONCLUSIO I. *Neuter conjux potest irritare alterius vota quæ non sunt in ipsius aut familiæ præjudicium: putà neuter impedire potest quin alter voveat castitatem post mortem alterius servandam, eleemosynas de bonis sibi propriis, &c.* 587
CONCLUSIO II. *Potest uxor irritare vota mariti quæ sibi vel familiæ bono præjudicant, putà votum* de gestando habitu Religioso, de servandâ castitate omnimodâ. *Idem de marito dicendum; qui tamen utpotè mulieris caput, plura potest quàm uxor, v. g. longiores peregrinationes vovere*, 588
CONCLUSIO III. *Neuter conjux omnimodam continentiam, vi cujus scilicet nequidem debitum reddat, vovere validè potest absque alterius consensu*, ibid.
CONCLUSIO IV. *Emissum ab alterutro votum de non petendo debito conjugali, validum est: illicitum tamen, præsertim si fiat à viro*, ibid.
CONCLUSIO V. *Votum castitatis quod ab uno conjugum emissum est, ab alio irritari nequit*, 589
PARS TERTIA. *De vitiis Religioni oppositis*, 592

CAPUT I. *De Blasphemiâ, Tentatione Dei, &c.* 593
CAPUT II. *De Superstitione,* 597
Idololatria, 598
Divinatio, ibid.
Observantia vana, 600
Magia, 602
Maleficium, 603

TRACTATUS DE BENEFICIIS ET SIMONIA.

PARS PRIMA. *De Beneficiis,* 608
CAPUT I. *De essentia & divisione Beneficii,* ibid.
CAPUT II. *De modis acquirendi Beneficii,* 611
CONCLUSIO I. *Qui Beneficium etiam simplex confert indigno, eumque præsentat, aut eligit, peccat mortaliter,* 615
CONCLUSIO II. *Ex communi sententia peccat mortaliter qui omisso digniore præsentat, eligit, proponit dignum ad Beneficium annexam habens animarum curam, vel jurisdictionem, vel magni momenti functionem, ut docendi, prædicandi; vel superioritatem alicujus Communitatis,* 616
CAPUT III. *De qualitatibus ad obtinenda ritè Beneficia necessariis,* 620
CAPUT IV. *De Beneficiorum vacatione, resignatione, &c.* 623
PARS SECUNDA. *De Simonia,* 630
CAPUT I. *Quid & quotuplex sit Simonia,* ibid.
CAPUT II. *Quale peccatum Simonia & qui committatur,* 638
CONCLUSIO I. *Simonia peccatum est inter gravia gravissimum,* ibid.
CONCLUSIO II. *Ut quis Simoniæ reus sit, non requiritur ut det aut accipiat temporale tanquam pretium rei spiritualis, sed sufficit ut det temporale tanquam motivum ejus obtinendæ,* 639
CAPUT III. *De causis Simoniæ,* 642
ARTICULUS

ARTICULUS I. *De materiâ proximâ Simoniæ, ubi de causis à Simoniâ excusantibus,* 644
ARTICULUS II. *De munere simoniaco,* 649
ARTICULUS III. *De materiâ spirituali simoniæ,* 653
SECTIO I. *De Simoniâ in Sacramentis & Sacramentalibus,* 654
CONCLUSIO I. *Accipere aliquid pro Sacramentis prout constant ex materiâ & formâ, vera est simonia,* ibid.
CONCLUSIO II. *Non est simoniacum vendere id quod in Sacramentis materiæ remotæ locum habere debet,* ibid.
CONCLUSIO III. *Nihil accipi potest pro materiâ proximâ Sacramentorum,* 655
SECTIO II. *De Simoniâ in collatione & exercitio Ordinum,* 657
SECTIO III. *De Simoniâ in ingressu Religionis,* 660
CONCLUSIO I. *Nihil temporale exigi potest pro ingressu Religionis in ordine ad vestitionem aut professionem, sine simoniâ jure naturali prohibitâ,* 661
CONCLUSIO II. *Licet tamen aliquid in ingressu aut professione exigere ratione sustentationis: 1°. si Monasterium sit verè egenum; 2°. si adsit legitima intentio; 3°. si non plus exigatur quàm ad competentem Religiosi sustentationem necessarium sit,* ib.
SECTIO IV. *De Simoniâ in Beneficiis, permutationibus, &c.* 663
CONCLUSIO I. *Beneficia, etiam ratione temporalis emolumenti spectatâ, sunt materia Simoniæ; unde simoniaci sunt qui pro adipiscendo, vel conferendo Beneficio dant aliquid temporale,* ibid.
CONCLUSIO II. *Permutare Beneficium cum alio, si fiat propriâ autoritate, simoniacum est simoniâ jure ecclesiastico prohibitâ,* ibid.
CONCLUSIO III. *Pensio Clericalis est materia simoniæ,* 664
CONCLUSIO IV. *Resignatio Beneficii pura, in manibus Episcopi facta, legitima est: si verò non sit*

pura & simplex, & fiat coram Parocho inferiore Papæ, simoniam continet, ratione pacti quod in spiritualibus prohibitum est, 665.

CONCLUSIO V. *Simoniaca est omnis transactio quâ remittitur vel retinetur spirituale pro temporali,* 666

CAPUT IV. *De canonicis Simoniacorum pœnis,* 667

ARTICULUS I. *De pœnis contra simoniam in Ordine & ingressu Religionis,* 668

ARTICULUS II. *De pœnis contra simoniam in Beneficiis, & earum relaxatione,* 670

ARTICULUS III. *De obligatione restituendi accepta simoniacè,* 675

CONCLUSIO I. *Qui pretium pro re spirituali jam datâ accepit, illud restituere tenetur,* ibid.

CONCLUSIO II. *Res spiritualis simoniacè accepta, non est obnoxia restitutioni jure canonico ante sententiam Judicis, exceptis Beneficiis & rebus ecclesiasticis,* 676

CONCLUSIO III. *Probabilis & fundata videtur opinio, quæ docet eos qui per simoniam mentalem sine aliâ injustitiâ, consecuti sunt rem spiritualem, v. g. Beneficia, non teneri ad restituendum,* 679

FINIS INDICIS.

APPROBATIO.

JUSSU Illustrissimi Galliarum Cancellarii, legi Tractatus quatuor; primum *de Justitiâ & Jure*; secundnm, *de Contractibus*; tertium, *de Virtute Religionis*; quartum *de Beneficiis & Simoniâ*; omnes quidem juxta meliores methodi analyticæ formas elaboratos; hoc est, ità ut nihil redundet aut desideretur. Omnia aliunde tam recto ordine, tam accuratè ac sagaciter disposita & exposita mihi visa sunt, ut asserere ausim Lectorem qui in legendo tempori parcere voluit, facilè cogniturum Autorem, curæ aut tempori suo laborando minimè pepercisse. Die 10 Junii 1744.

LESEIGNEUR, Doctor Sorbonicus.

PRIVILEGE DU ROI.

OUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navar-
re : A nos amés & féaux Conseillers les Gens tenant nos
s de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de no-
Hôtel, Grand-Conseil, Prévôt de Paris, Baillifs, Séné-
x, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il ap-
endra, SALUT. Notre amé le Sieur COLLET Nous a fait
ser qu'il désireroit faire réimprimer & donner au Public
ivre qui a pour titre, *Institutiones Theologicæ tùm Morales
ì Scholasticæ, ad usum Seminariorum*, s'il Nous plaisoit
ccorder nos Lettres de Privilége pour ce nécessaires : A ces
es, voulant favorablement traiter l'Exposant, nous lui
s permis & permettons par ces Présentes, de faire réim-
ier ledit Livre autant de fois que bon lui semblera, & de
aire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant
ms de dix années consécutives, à compter du jour de la
des Présentes : Faisons défenses à tous Imprimeurs, Li-
res & autres personnes de quelque qualité & condition
lles soient, d'en introduire de réimpression étrangere dans
n lieu de notre obéissance : comme aussi de réimprimer ou
réimprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire
Livre, ni d'en faire aucun Extrait, sous quelque prétexte
ce puisse être, sans la permission expresse & par écrit dudit
sant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de con-
tion des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres
nende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à
s, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit
sant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dé-
, dommages & intérêts ; à la charge que ces Présentes se-
enrégistrées tout au long sur le Registre de la Communauté
mprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la
d'icelles ; que la réimpression dudit Livre sera faite dans
e Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux ca-
res, conformément à la feuille imprimée attachée pour
ele sous le contre-scel des Présentes ; que l'Impétrant se
ormera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notam-
à celui du 10. Avril 1725 ; qu'avant de l'exposer en ven-
l'imprimé qui aura servi de copie à la réimpression dudit
, sera remis dans le même état où l'approbation y aura
donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier
ncelier de France, le Sieur DELAMOIGNON, & qu'il en
ensuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque,
ique, un dans celle de notre Château du Louvre, un
celle du Sieur DELAMOIGNON, & un dans celle de notre
cher & féal Chevalier *Vice-Chancelier* & Garde des Sceaux
rance, le Sieur de MAUPEOU : le tout à peine de nullité des
ces ; du contenu desquelles Vous mandons & enjoignons

de faire jouir ledit Exposant & ses ayant cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons que la copie des Présentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, soit tenue pour duement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conseillers Secrétaires, foi soit ajoutée comme à l'Original : Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous Actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande & Lettres à ce contraires ; Car tel est notre plaisir. Donné à Paris, le quinzieme jour du mois de Février, l'an de grace 1764 & de notre Regne le quarante neuvieme. Par le Roi en son Conseil.

Signé LEBEGUE.

Registré sur le Registre XVI de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 1122. fol. 79. conformément au Réglement de 1723. qui fait défenses, art. 41. à toutes personnes, de quelques qualités & conditions qu'elles soient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter, faire afficher aucuns Livres pour les vendre en leurs noms, soit qu'ils s'en disent les Auteurs ou autrement ; & à la charge de fournir à la susdite Chambre neuf Exemplaires prescrits par l'art. 108. du même Réglement. A Paris, ce premier Mars 1764.


Signé LE BRETON, *Syndic.*

JE soussigné Pierre Collet, Prêtre de la Congrégation de la Mission, & Docteur en Théologie, ai cédé pour toujours à M. Jean-Marie Bruyset Imprimeur-Libraire à Lyon, & à ses ayant cause, le Privilége qu'il a plû à Sa Majesté de m'accorder le 15 Février 1764, pour mon Ouvrage intitulé ; *Institutiones Theologicæ tàm Morales quàm Scholasticæ, ad usum Seminariorum, &c.* pour en jouir lui & ses ayant cause, comme de chose à lui appartenante, selon les conditions dont nous sommes convenus. Fait à Paris, le 28 Mars 1764.

Signé COLLET.

Registré la Cession ci-jointe sur le Registre XVI de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 164. fol. 94. conformément aux anciens Réglemens, confirmés par celui du 28 Février 1723. A Paris, ce 16 Avril 1764.

Signé LE BRETON, *Syndic.*



TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

IN hoc summi momenti Tractatu dicemus 1°. de Justitiâ; 2°. de Jure; 3°. de Restitutione in genere; 4°. de diversis ejusdem speciebus.

S. Thom. 2. 2. q. 58.

CAPUT PRIMUM.

De Justitiâ.

JUstitia quæ aliquando accipitur pro complexione omnium virtutum, ut Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, sumitur in præsenti pro unâ è quatuor virtutibus cardinalibus, & definitur ab Ulpiano, Constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi; meliùs verò, Virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuò reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.

Dicitur 1°. *Virtus.* Virtus enim est habitus naturæ modo & rationi consentaneus, hominemque & hominis opus bonum efficiens: Atqui justitia talis est habitus. Quod enim naturæ & rationi consentaneum magis, quàm ut homo alteri reddat quod eidem debet?

Dicitur 2°. Virtus *moralis*. Neque enim est theologica, cùm objectum ejus immediatum non sit Deus, sed jus alteri reddendum, adeòque creatum aliquid & finitum.

Dicitur 3°. Virtus inclinans ad reddendum alteri *jus suum*, seu id quod alteri debitum est plus aut minùs rigorosè; debitum enim justitiæ commutativæ strictius est quàm debitum justitiæ legalis.

Dicitur 4°. *ad æqualitatem*, quæ quidem æqualitas est commensuratio rei quæ reddi debet, cum jure alterius. Et hæc est causa cur justitia dicatur attingere medium *rei*, quod semper idem est respectu cujuscumque personæ, seu nobilis, seu plebeiæ: aliæ verò virtutes servant medium *rationis*, quod pro personarum diversitate diversum est; sic temperantia infirmo aliter & sano mensuram alimentorum determinat.

Justitia dividitur in *generalem*, quæ etiam *publica* & *legalis* dicitur, & *particularem*.

Justitia generalis, est virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum communitati id quod ei debitum est ratione juris quod habet communitas in personas privatas, earumque bona, quibus uti potest prout exigit Reipublicæ utilitas. Hinc non desunt casus in quibus justitia legalis ad rationem justitiæ strictè sumptæ accedat, & versetur circa debitum strictè sumptum. Sic communitas aut qui eidem præest, habet verum jus ad exigenda à subditis ea quæ ad Reipublicæ bonum necessaria sunt; adeò ut hæc à subditis etiam invitis extorqueri possint; unde subditi in conscientiâ tenentur ad hæc subministranda, prout diximus agendo de lege tributorum.

Justitia particularis, dividitur in commutativam, & distributivam. *Commutativa* definitur, Virtus firmans privatum ad reddendum alteri privato quod ei debitum est, servatâ æqualitate rei ad rem. *Distributiva* verò est Virtus firmiter inclinans communitatem, vel illum qui eam repræsentat ad servandam debitam proportionem inter ea quæ distribuun-

tur, & conditionem personarum quas distributio respicit. Hinc justitia commutativa servat proportionem arithmeticam, quæ ipsa est æqualitas rei ad rem : v. g. dati ad acceptum, mercedis ad laborem, rei restitutæ ad sublatam. Justitia verò distributiva servat proportionem geometricam, quæ est adæquatio proportionis rerum distribuendarum, cum proportione conditionis personarum quibus eæ res distribui debent : ità ut in bonorum communium distributione tantò plus tribuatur uni præ altero, quantò major est dignitas aut meritum istius præ illo; unde si sex recipiat nummos qui dignus est ut duo, duodecim recipere debet qui dignus est ut quatuor. Contra verò in distributione onerum communium, si nummos centum contribuat qui viginti nummorum millia habet ; quinquaginta tantùm præbere debet, qui summam habet mediâ parte breviorem.

Justitia commutativa est justitia propriè & strictè sumpta, ex cujus violatione sequitur obligatio restituendi. Aliter sentiendum de justitiâ distributivâ, quia jus membrorum communitatis quibus aliquid distribui debet, non est jus strictum, ut patet in Beneficiis vel Officiis secularibus, quæ à Superiore Ecclesiastico aut seculari ita distribui possunt, ut qui nullam vel levem eorum partem recipiunt, de ejusdem Superioris agendi ratione, tanquam strictè injustâ, conqueri non possint; qui enim alicui digno officium confert, non aufert alteri etiam digno quod suum est.

Certum est nihilominùs Principem communitatis plerumque teneri ad restitutionem, non præcisè quia violat justitiam distributivam, sed quia eam lædendo, simul & commutativam lædit. Sic, quod summoperè notandum est, ad restituendum tenentur, 1°. qui indignis officia conferunt; quia Respublica multùm inde recipit detrimenti, quod quidem detrimentum avertere tenentur qui eidem Reipublicæ præsunt; 2°. qui animo vindictæ, aut examinis defectu inter lances & ollas, *ut frequentiùs evenit*, variis oneri-

bus, putà militum hospitio annuis tributis, gallicè *la Taille*, privatos gravant, ut parentibus suis parcant, aut Magnatum favorem sibi concilient; 3°. qui in concursu minùs dignum præferunt digniori. Ex pacto enim quod intervenit in concursu, nascitur jus strictè sumptum in iis qui concurrunt; 4°. Parochi qui in distributione eleemosynarum singulis loci cujusquam pauperibus legatorum, devotum gregem, garrulum quandoque & inertem abundè reficiunt, dum pauperiores familiæ fame & inediâ consumptæ languent & tabescunt; 5°. Duces qui contra Regis intentionem, expugnatæ urbis spolia dividunt, absque ullo respectu ad eos qui acriter magis aut minùs decertavêre; 6°. qui Beneficia vel Bursas, in Seminariis aut Collegiis pro paupere quâdam familiâ fundatas, alienigenis conferunt, & sæpè non indigentibus.

Justitia vindicativa est virtus reddens malefactori pœnam culpæ ejus debitam & adæquatam. Hæc justitiæ species summoperè est necessaria, seu Principibus, ceterisque Superioribus, qui nisi eam servent, non raró contrahunt obligationem restituendi; sive privatis qui plerumque quod amiserunt recuperare non valent, sive toti communitati, quæ gravia propter Judicis in puniendo negligentiam, pati potest detrimenta. Etverò non minùs tenetur Judex ad restituendum, cùm impunitos sinit eos qui civium vitæ & bonis insidiantur, quàm ad id teneatur custos horti, qui accepto stipendio ut malas herbas auferat, iisdem bonum semen suffocari permittit: Atqui, &c.

Quæres an explicata hactenus justitiæ divisio legitima sit.

R. affirmat. quia totuplex est justitia, quotuplex est ordo in quo reddi potest alteri quod suum est: Atqui triplex est hujusmodi ordo in Republicâ; totius nimirùm ad partes, ad quem respicit justitia distributiva, quæ partibus reddit quod ipsis debitum est, tùm in præmiis, tùm in pœnis; partium

ad totum pro quo aſſignatur juſtitia legalis per quam quælibet pars communi bono invigilat ; partium denique ad ſe invicem, in quo ſervatur juſtitia commutativa, quâ pars comparti quod ejus eſt reddit ; Ergo.

Ceteras quæſtiones quæ hìc agitari ſolent circa juſtitiæ cauſas & partes, omittimus conſultò, nè tritis adhærendo graviora prætermittere cogamur.

CAPUT SECUNDUM.

De Jure.

JUs prout præſentis eſt inſtituti, definiri poteſt, Legitima poteſtas diſponendi de re tanquam noſtrâ, per ſe efficiens ut nemo, nobis rationabiliter invitis, de eâdem re diſponere poſſit.

Dicitur 1°. *poteſtas*, quæ eſt habitudo ad id circa quos jus habere dicimur. Ea verò vel concipitur per modum potentiæ activæ, ut cùm agitur de Jure quod habet Judex ad ferendam ſententiam : vel per modum potentiæ paſſivæ, ut cùm dicitur filium habere jus ut nutriatur à patre : vel per modum potentiæ reſiſtendi, quale eſt jus quo impedire potes nè alius ædificet in tali loco, nè altiùs ædificet, nè feneſtram aperiat unde proſpicere poſſit quid in areâ tuâ fiat.

Dicitur 2°. *legitima*, hoc eſt conceſſa à lege, ſive naturali, uti eſt jus ad tuendam vitam ; ſive divinâ, uti eſt jus ad percipienda Eccleſiæ Sacramenta ; ſive demùm humanâ, uti eſt jus præſcribendi jus hæreditarium, &c.

Dicitur 3°. *diſponendi de re tanquam ſuâ.* Ubi nota 1°. rei nomen latè ſumi pro eo omni quod utcumque ad nos pertinere poteſt, ſive ſit ſubſtantia ipſa boni, quo ſenſu filius habet jus in hæreditatem paternam : ſive ſit ſimplex rei uſus, quomodo jus habet in *hortum, qui ejus uſum* habet à proprietate

distinctum : sive sit mera functio, v. g. pronuntiandæ sententiæ, aut quasi functio, putà jus retinendæ conditionis in quâ sumus : vel negatio functionis, ut non militandi, non solvendi tributi ad quod alii obligantur; 2°. verbum *disponere* non id tantùm respicere quod actu possidemus *possessione facti*, ut aiunt; sed id etiam quod possidemus *possessione juris*, id est quod ut nobis jam debitum & obligatum prosequi possumus.

Dicitur 4°. *efficiens ut nemo*, &c. Si enim res verè mea sit, injuriam facit mihi, qui de ipsâ contra voluntatem meam, sinè legitimâ causâ disponit.

Jus dividitur in *jus ad rem* & *jus in re*. Jus ad rem est jus quod quis habet ut res fiat sua; & hoc jus non dat actionem in rem, sed in personam, à quâ res tradi debet. Jus in re illud est quod quis habet in re jam suâ & obtentâ; & hoc jus dat actionem in rem quæ quòcumque transeat, repeti potest ab eo qui tale in ipso jus habet. Res enim transit cum onere suo; rei verò onus est, ut ejus sit cui tradita est, aut à quo apprehensa fuit. In Beneficiis qui prior est *in datâ*, ut aiunt, censetur habere jus in re : unde præfertur ceteris priùs provisionem atque etiam possessionem adeptis.

Ad jus ad rem refertur jus quod habes per electionem, postulationem, præsentationem ad Beneficium; imò per collationem Beneficii ante acceptationem. Ad jus in re revocantur dominium rei, usus & ususfructus, servitutes & alia de quibus seorsim dicendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Dominio.

DUæ erunt hujus Articuli Sectiones. Prima explicabit naturam, divisionem, subjectum & *objectum* dominii. Secunda varios acquirendi *dominii modos* expendet.

SECTIO PRIMA.

De Dominii essentiâ, divisione, &c.

DOminium est jus disponendi de re vel ex toto, vel ex parte. Unde dominium aliud est plenum, aliud non plenum.

Dominium plenum est jus disponendi de re, & commodis ejus, v. g. usu, ususfructu, &c. unde continet proprietatem tum rei, tum commodorum ejus. Dominium non plenum est illud quo vel tantùm rei proprietas habetur, vel ejus duntaxat usus aut ususfructus; hinc dominium non plenum subdividitur in *directum* & *utile*. Directum est illud quo habetur sola rei proprietas; tale est dominium quod habet Dominus in agro quem tradidit ad emphyteusim. Dominium utile solam rei commoditatem & utilitatem complectitur: tale est quod habet emphyteuta in agro sibi ad emphyteusim tradito. Unde dominium plenum, prout directum & utile complectitur, definiri solet, Jus in re, extendens se ad omnem ejus usum, seu dispositionem, nisi lege prohibeatur.

Dicitur 1°. *Jus in re*, quæ vox excludit omnia jura ad rem, & habet locum generis: quia omne dominium est jus in re; sed non è contra; qui enim habet pignus vel usumfructum rei, habet jus in re, non tamen dominium plenum.

Dicitur 2°. *extendens se ad omnem usum*, &c. quæ voces dominium plenum distinguunt ab alio quocumque: nam dominium directum, per se solùm non extenditur ad usum aut usumfructum: dominium verò utile, ipsam rei proprietatem non complectitur.

Dicitur 3°. *nisi lege prohibeatur*: quia qui habet dominium rei, non semper suâ in illam potestate uti potest, lege impediente. Sic pupillus, licèt bonorum suorum dominus, ea tamen alienare nequit, quia id ei legibus vetitum est.

Ad dominii *acquisitionem* sufficit apprehensio;

quoties agitur de re quæ nullius erat. Si verò agatur de dominio ab uno in alium transferendo, tunc jure communi requiruntur ordinariè titulus & traditio. Titulus quidem; quia titulus definitur radix dominii, seu id in quo totum jus primitùs fundatur, ut emptio, donatio, successio hæreditaria. Traditio verò, quia ex Lege 22. Cod. *de pactis*, *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Et verò traditio est actus quo quis in possessionem rei anteà non suæ mittitur: is autem actus ad dominium requiritur.

Dixi, *ordinariè*, quia certi sunt casus in quibus jure communi non requiritur traditio, ut dominium acquiratur. Sic 1°. in Beneficiis, jus in re acquiritur per solam collationem & acceptationem. Illud tamen jus in re, seclusâ possessione, parum prodest, de quo alibi; 2°. in hæreditate: hæres enim, sive ab intestato, sive ex testato, sinè traditione dominium acquirit, *additâ* tamen *hæreditate*; additur verò hæreditas, dum acceptatur verbo vel facto. Apud nos in locis consuetudinariis valet hæc regula: *Le mort saisit le vif*; neque ibi opus est institutione; 3°. in legatis, quorum legatarius de jure communi dominium acquirit; statim ut hæreditas acceptatur ab hærede; 4°. in donatis, venditis, aut relictis ob pias causas v. g. in gratiam Monasteriorum, Hospitalium, vel in redemptionem Captivorum; 5°. si alteri domum vel fundum tradideris, eâ lege ut alimenta tibi præberet, illo non præbente, statim ad te revertitur rei tuæ dominium absque traditione. Sed in his consulendæ sunt privatæ locorum Leges.

Præter divisiones dominii superiùs allatas, alia est ejus divisio, in dominium *altum* & *humile*. Altum, illud est quod habet Princeps, vel Respublica in bona privatorum, de quibus disponere possunt, cùm id exigit bonum commune; humile est illud quod habet unusquisque in rem suam, quâ, ut aiunt, uti vel abuti potest absque eo quòd alteri cuipiam homini injuriam faciat.

His præmiſſis, duo inveſtiganda manent; 1°. ut homo quilibet ſit capax dominii; 2°. quodnam ſit humani dominii objectum. Circa primum triplex eſt difficultas. Prima, an peccatores & infideles; ſecunda, an amentes & parvuli; tertia, an filii-familias ſint domini capaces. Circa ſecundùm, duo inquiruntur 1°. an homo ſi famæ ſuæ dominus; 2°. an homo hominis alterius dominus eſſe poſſit. Quæ omnia theſibus quinque proſequemur. Sit

Conclusio I. Peccatores & infideles ſunt capaces dominii. Eſt contra Wiclefum & Joannem Hus.

Prob. 1°. Peccatores & impii erant Pharao, Saül à Deo reprobatus, Cæſar & alii id genus: Atqui tamen ii omnes verum in imperio quiſque ſuo dominium habebant, ità ut de facto juſtitiam læſiſſet qui Cæſari non reddidiſſet ea quæ erant Cæſaris. Hinc S. Auguſtinus, L. 5. de Civ. Dei, c. 21. *Deus dat regnum terrenum & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet.*

* Prob. 2°. Si peccatores & infideles dominium non haberent, maximè quia fides & gratia eſſent fundamentum & radix dominii: Atqui falſum conſequens: 1°. quia fundamentum dominii manifeſtum eſſe debet, ut dominium probari poſſit; porrò fides & gratia non ſunt quid manifeſti; 2°. quia ſi fidei aut ſanctitatis defectus aliquem dominio privet, jam licebit negare tributum dominis præſertim diſcolis; quin & eorum bona uſurpare licebit: Atqui hæc nedum licita ſint, è contra expreſsè prohibita ſunt; Ergo. *

† Obj. Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo:* ſed impii non habent poteſtatem à Deo, juxtà illud Oſee 8. *Ipſi regnaverunt, ſed non ex me;* Ergo. †

R. neg. min. Mali enim dicuntur non regnaſſe ex Deo, non quia non fuêre reges legitimi, ſed quia non regnaverunt ſecundùm Dei voluntatem: unde ſtatim additur *Principes extiterunt, & non cognovi;* id eſt non approbavi. Adde quòd Propheta alludere potuerit ad eos *qui ut Amri* & Sellum, tyrannicè *regnum invaſerunt.*

CONCLUSIO II. Parvuli & amentes sunt capaces dominii.

Prob. tùm quia parvulis & amentibus injuriam facit qui eorum bona usurpat; tùm quia bona eorum nec sunt Reipublicæ, nec Principis, nec curatorum aut tutorum; Ergo superest ut parvuli ipsi eorum habeant proprietatem. Hinc Galat. 4. *parvulus* dicitur *dominus omnium.*

Obj. Ad dominium requiritur potestas liberè utendi vel abutendi : Atqui infantes & amentes potestatem hanc non habent; Ergo.

R. Sufficere ad dominium potestatem disponendi de re, sive per se, sive per alium qui de eâ non suo sed alterius nomine disponat : hoc enim est evidens dominii signum, si alter rem ut tuam tractet, non ut suam; tunc enim supponeris habere dominium, ille meram administrationem.

Non loquitur hîc de servis qui apud Romanos mancipia dicebantur, apud nos gallicè, *esclaves*; quia quisquis Galliam ingreditur, etiam servus, eo ipso libertatem vulgò consequitur.

CONCLUSIO III. Filii-familias verum habent in certa quædam bona dominium, aliquando plenum, aliquando non plenum.

Antequam probetur conclusio, notand. quadruplex esse genus bonorum quæ à filiis non emancipatis haberi possunt. Primum genus est castrensium : secundum, quasi castrensium : tertium adventitiorum : quartum denique, profectitiorum. Atqui varia hæc bona Romani *peculium* dicunt.

Bona *castrensia* sunt ea quæ à filio in militiâ justâ, vel occasione militiæ, sive mari, sive terrâ comparantur, qualia sunt stipendia militum, prædæ de hostibus, donativa Ducum aut commilitonum; testamentum & legata occasione militiæ; mobilia à parentibus intuitu militiæ data filio ad militiam proficiscenti. Castrense etiam dicitur id omne quod acquirit filius-familias in obsequio & aulâ etiam Principis, *sive* Principis largitione; sive propriâ industriâ, in

castelli aut arcis custodiâ etiam tempore pacis, & quidquid ex iis bonis provenit per contractum legitimum; ut si filius-familias ex illis emat fundum frugiferum, ludat, negocietur atque lucretur.

Bona *quasi castrensia*, sic dicta quia gaudent privilegio castrensium, acquiruntur ratione militiæ sacræ, togatæ, vel litteratæ. Quadruplex est peculii quasi castrensis genus; *Clericale*, quod à filiis-familias post Clericatum acquiritur, sive ex Beneficio Ecclesiastico, sive aliunde; unde quidquid in aliis filiis adventitium foret, illud post Clericatum quasi castrense est: bona tamen ante Clericatum possessa, post ipsum ejusdem remanent naturæ. *Forense*, quod acquiritur in foro, vel ratione alicujus Officii publici non mechanici, putà Judicis, Assessoris, Notarii: *Palatinum*, quod datur à Rege, vel Reginâ, aut à supremis Principibus; & *Scholasticum*, quod acquiritur occasione liberalium artium, & multò magis ex professione Theologiæ, Jurisprudentiæ, &c.

Bona *adventitia* sunt ea quæ non proveniunt à patre, neque ejus causâ vel intuitu principaliter dantur filio. Talia sunt ea quæ filius vel proprio labore, non ex rebus patris; vel successione, vel donatione factâ alio quàm patris intuitu, comparat; vel quæ filio fortuitò adveniunt, ut si thesaurum invenit: aut quæ propriâ acquirit industriâ, ut si ex pecuniâ mutuo acceptâ, negotiando lucretur. Bona hæc dicuntur adventitia respectu patris, quia ab eo non proveniunt.

Bona *profectitia*, ea sunt quæ filius acquirit, vel ex bonis patris, v. g. ex iis negotiando, aut ea administrando: vel intuitu patris; ut si quis ob amicitiam aut obsequium patris, filio bona quædam largiatur; secùs si hæc daret ob amicitiam filii, putà quia filium patris negotia strenuè gerentem amavit: tunc enim pater esset causa nimis remota, ut bona hæc illius intuitu filio concessa judicarentur.

His præmissis, dico quòd filii-familias bonorum castrensium aut quasi castrensium plenum ac perfectum habeant *dominium*, bonorum adventitiorum

proprietatem solam, non usumfructum; profectitiorum verò nec usumfructum, nec proprietatem, sed solam administrationem. Ità habetur Inst. l. 2. tit. 9.

Hinc sequitur 1°. filium-familias, nisi lex ob tenellam ipsius ætatem resistat, de bonis castrensibus posse pro nutu disponere, ea alienando, donando, &c. Patrem verò si quid ex iis subtrahat, teneri ad restitutionem.

Sequitur 2°. filium non posse secluso patris consensu disponere de bonis adventitiis, quia eorum utilitas pertinet ad patrem: patrem quoque si eorumdem bonorum substantiam dilapidet, teneri ad restituendum, per se vel hæredes suos, quia proprietas eorum penes filium manet. Quod si dilapidatio fructus tantùm concernat, nulla erit restitutionis obligatio. Et hæc quidem dispositio non viget in Gallia, nisi in iis regionibus quæ *Jure scripto* reguntur, ut statim dicam.

Sunt tamen, etiam secundùm Jus Romanum, aliqui casus in quibus pater adventitiorum filii bonorum usumfructum non retinet: ut 1°. si bona filii-familias relinquantur hâc solùm lege, ut ususfructus non pertineat ad patrem; 2°. si pater cum filio succedat alteri filio in bonis adventitiis; pars enim quæ devenit ad filium superstitem, non debet usumfructum patri; 3°. si filius aliquid acquirat titulo donationis, aut successionis, patre irrationabiliter contradicente; quia non est æquum ut inde pater commodum reportet; 4°. si pater incestas nuptias contrahat, si fiat Judæus, si hæreticus: sed videndæ locorum consuetudines; 5°. si filio non relictus sit nisi ususfructus, quia ususfructus alterum usumfructum non habet.

Gravis hîc movetur quæstio, an quæ filius paternâ in domo lucratur, pertineant ad ipsum, an ad patrem; an non dum præ ceteris filiis laborat, aliquid retinere possit instar salarii.

R. 1°. lucra non ex bonis patris, sed ex operibus filii provenientia, putà si filius sit musicus, fistulator, &c. numerari inter adventitia, ac proinde posse

à filio recuperari post patris obitum; deductis tamen impensis quas in alendo filio fecit pater, quia non tenetur pater alere filium habentem propria, id est castrensia, quasi castrensia, vel adventitia bona. Ratio est, quia ex lege 10. *de obseq. parentibus præst. ff. Pietatem liberi parentibus, non operas debent*; nisi pauperes sint.

Si tamen filius opificis operam suam patri præstet, nullâ expressè vel tacitè petitâ mercede, præsumitur illam patri remittere titulo pietatis; unde si mortuo patre repetere illam à fratribus velit, non est audiendus. *Cessat tamen hæc præsumptio in foro conscientiæ, si filius certus est de sui contraria voluntate quàm patri ex reverentiâ vel metu non sit ausus significare.* Idem docent probatioris notæ Theologi, & hoc in Galliâ *consuetudinariâ* pro certo habendum est; quia in eâ filius nihil ex bonis adventitiis acquirit patri, præter commoditatem, & durante minoritate administrationem. Idem vivâ voce declaraverunt mihi Causidici Parisienses, quos ob injectum eâ de re scrupulum consului.

Cabass.

Respondet 2°. Cabassut, aliique multi contra non paucos, filium v. g. fabri aut mercatoris, qui ex bonis paternis, ipso patris nomine & autoritate lucratur, jus habere in hujusce lucri partem. Addunt iidem filium, si præ metu reverentiali jus illud suum petere non ausit, aut sciat se, si peteret, passurum repulsam, nec sibi jus illud computatum iri, posse sibi clam assumere unde operam suam compenset, sive vivente, sive mortuo patre. Ratio est, inquiunt, 1°. quia hoc peculi genus, non omninò profectitium est, sed mixtum ex profectitio quoad paterna bona, & adventitio ratione proprii laboris & industriæ; bona autem adventitia ad filium pertinent; 2°. quia filius non debet esse deterioris conditionis quàm extraneus, qui dubio procul debito non careret stipendio; 3°. quia filius non tenetur jure naturali pro patre non indigente laborare. Si ergo pater nullam *lucri hujus partem* quasi societatis jure filio

largiatur, tantùm ei salarii debet quantùm extraneo, nisi remittat filius, qui consequenter si clanculùm servaverit summam labore suo non majorem, eam retinere potest, ùt ait Pontas, v. *Compensation*, cas. 5.

Hìc tamen certas quasdam conditiones exigunt citati Casuistæ. Prima est, ut filius ea deducat quæ tunc temporis expendit pater in eo alendo & vestiendo. Secunda, ut filius usumfructum lucri hujus cibi non vindicet ante emancipationem suam, vel patris mortem. Tertia, ut pater per se vel per alium minori pretio id facturus non fuisset, quod fecit filius. Quarta, ut filius non teneatur operam suam egenti patri vel matri gratis & pietatis titulo præstare. Quinta, ut non resistant leges locorum, prout in Armoricâ resistere monuit me vir eruditus.

Hæc opinio, licèt ob autoritates quibus nititur, tuta appareat, magnam in praxi cautionem exigit.

Conclusio IV. Homo est dominus suæ famæ.

Prob. Ille famæ suæ dominus est, cui competunt primarii actus dominii circa famam: Atqui, &c. potest enim homo famam proprio labore acquirere, ablatam potest ut rem suam in judicio repetere; potest demùm restitutionem ejus sinè cujusquam injuriâ condonare; Ergo homo famæ suæ dominus est, eamque multis in casibus àmittere potest: putà 1°. ad petendum consilium; 2°. ad suî humiliationem, vel ad misericordiæ divinæ commendationem: quâ ratione declarat S. Paulus se blasphemum fuisse.

Hoc tamen hominis in famam suam dominium ligatum est, cùm vergit in alterius nocumentum. Vergit autem 1°. cùm ex nostri diffamatione sequitur alterius infamia; sic fama patris, Superioris, Prælati vix violari potest, absque eo quòd inde infametur filius vel communitas; 2°. cùm ex læsione famæ sequitur scandalum proximi; & hoc maximè locum habet in Sacerdotibus, qui satis ponderare nequeunt id S. Augustini, Lib. de bono viduit. c. 21. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.*

* Dices, Homo qui passus est mutilationem membri, potest restitutionem ejus condonare : Atqui tamen non inde sequitur hominem esse dominum membrorum; Ergo, ex eo quòd possit homo remittere obligationem restituendæ sibi famæ, non sequitur eum famæ suæ dominum esse. *

R. dist. maj. Potest condonare restitutionem membri secundùm quod illius dominium habet, C. maj. secùs, N. maj. Homo habet dominium utile membri, quatenùs ad nutum membro uti potest; & secundùm hoc potest nullam exigere reparationem : at verò si membrum secundùm se restitui posset, non posset restitutionem ejus remittere; quia nemini concessit Deus dominium plenum in membra sua. Aliud est de famâ : hæc enim secundùm se restitui potest, adeòque verè illius esse dominus debet, qui illius restituendæ obligationem remittit.

† CONCLUSIO V. Homo alterius hominis dominus esse potest; adeòque licet homini hominem servum facere aut habere. †

Prob. Ut homo alterius dominus esse possit sinè peccato, satis est ut servitus non pugnet contra jus vel naturale, vel divinum, vel humanum : Atqui servitus non pugnat, 1°. contra jus naturale. Homo enim habet dominium utile membrorum suorum; porrò non vetat natura ut qui tale dominium habet, vel ipsum transferat in alium per voluntariam servitutem, vel eo per necessariam servitutem privetur; 2°. non pugnat servitus contra jus divinum. Quin è contra : nam Exodi 21. mentio fit de servis etiam Hebræis qui se vendiderant; & I. ad Timot. 6. hortatur Apostolus, ut *quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos* etiam infideles *omni honore dignos arbitrentur*; 3°. non pugnat contra jus Ecclesiasticum, quod inter positiva jura majoris est momenti, idque patet ex variis Juris Canonici titulis, ubi multa differuntur de servis Christianis. Vide Caul. 12. q. 2. cap. 55. & sequent.

Ubi tamen legibus *Principum* prohibetur servitus;

ut in Galliâ, admitti non debet : quanquam & Galli servos habent in Americâ.

Hîc notandum jus dominorum in servos, ultra rationabile servitium non extendi ; unde non licet domino servum necare ; imò S. Thomas & post eum alii multi negant servum per vim & fraudem à contrahendo matrimonio impediri posse. Posset tamen impediri à recipiendis Ordinibus, quia tunc efficeretur liber ; posset & impediri ab ingressu Religionis, ad quam si transiret invito domino, furtum suî domino faceret, deberetque ei restitui, si ante finem triennii eundem repeteret, c. *Si quis.* XVII. quæst. 2.

* Quæres an licitum sit servis fugere.

Quæstio non movetur de servis qui se in servitutem vendiderunt, aut ex matre aliter quàm per bellum servâ servitutem contraxerunt : ii enim tam numerantur in rebus domini sui, quàm ceteræ ejus possessiones. Neque etiam de iis sermo est qui ad infidelitatem, aut quodlibet aliud mortale peccatum periculosè sollicitantur ; quibusve dominus necessaria vitæ auxilia denegat : ii enim omnes jus habent, domini sui jure potius, vitam suam seu corporalem, seu spiritualem tuendi. Præcipua ergo difficultas est utrùm servo qui in bello captus est, jure postliminii fugere liceat. Jus postliminii est jus recuperandæ rei suæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ.

R. Servi in bello etiam justo capti fugere possunt ad suos, non tamen dominis persequentibus vi resistere.

Prob. ex consuetudine ubique receptâ quæ habet ut servi bello capti ad suos sinè conscientiæ scrupulo fugere possint : is enim ubique est usus eorum qui bella gerunt, ut nunquam petant aut mittant pretium eorum qui fugâ libertatem recuperavêre ; Ergo.

Dixi 1°. servos *posse fugere ad suos* : non enim libertatem recuperant, quandiù intrà hostium à quibus capti sunt confinia morantur, adeòque servi manent, donec *ad suos* devenerint.

Dixi 2°. eos *non posse dominis persequentibus vi resistere*. Habet enim dominus verum jus eos retinendi quandiu extra hostium fines non pervenerint; Ergo cùm bellum utrinque justum esse non possit, non possunt vi se tueri.

Obj. Servus fugiendo privat dominum justâ suâ possessione; servus enim ante fugam, justo, ut supponimus, belli titulo possidetur; Ergo.

R. dist. Servus dominum possessione suâ privat secundùm legem ubique receptam, C. secùs, N. Itaque habent domini jus in servos ut eos retineant, iisque opportunitatem fugæ eripiant; sed non habent jus ut servi oblatâ fugiendi occasione non utantur: jus enim gentium iis concedit ut libertatem, si possint, ambabus ulnis amplectantur.

SECTIO SECUNDA.

† *De variis acquirendi Dominii modis.* †

NOtandum bona quæ comparantur multiplicis esse generis; 1°. enim quædam sunt quæ dominum nullum unquam habuêre, aut saltèm nunquam habuisse censentur, ut feræ complures, insulæ hactenus inhabitatæ, metalla, gemmæ, &c. 2°. quædam sunt quæ dominum habuerunt, vel jam pridem, ut thesauri, vel non ità pridem, ut bona defectu hæredum & testamenti vacantia; itèm bona derelicta, vel nuper amissa; 3°. demùm quædam habent dominum, & nihilominus absque ejus consensu in alterum transferunt. Bona quæ nullius fuerint, dicuntur *occupari*; quæ jampridem possessore carent, aut nuper amissa sunt, dicuntur *inveniri*: quæ verò sine domini consensu ad alium deveniunt, dicuntur *præscribi*. Itaque dicendum est de acquisitione dominii, 1°. per occupationem; 2°. per inventionem; 3°. per præscriptionem; 4°. differemus de aliis quibusam acquirendi dominii modis.

PUNCTUM PRIMUM.

De occupatione animalium, gemmarum, &c.

BEstiarum aliæ naturâ suâ feræ sunt, ut cervi & lepores; aliæ cicures, ut oves & gallinæ; aliæ cicurantur ex feris, ut cervi; aliæ efferantur ex cicuribus, ut capræ quæ feræ evadunt. Sit

CONCLUSIO I. Animalia naturaliter mansueta & domestica, etiamsi dominorum potestatem longiùs evaserint, occupari ab alio non possunt.

Prob. Ideo animalia hæc ab alio occupari possent, quia censerentur libertatem recuperasse: Atqui non possunt censeri libertatem recuperasse, cùm naturâ suâ mansueta sint & domestica; atque ideo ad restituendum tenentur, 1°. qui horumce animalium lanam, plumas, vel ova suos in usus converterent; 2°. qui ovem aut ovis partem eriperent è faucibus lupi, quia tandiù domini sui est, quandiù subsistit.

CONCLUSIO II. Animalia cicurata, quæ consuetudinem habent revertendi, ut facilè reducuntur, non cedunt capienti, sed priori domino restituenda sunt; secùs si amiserint *animum revertendi.* Ità habetur in Institut. Lib. 2. tit. 1. n. 15. & hæc doctrina in Gallia viget, nisi quòd accipiter & falco, etiam cùm desinunt reverti, nostri esse non desinunt.

Hinc qui in columbario ponunt illecebras ut aliorum columbas retineant, tenentur ad restituendum; secùs si duntaxat melius pabulum columbis suis præbeant, aut columbarium in loco commodiori ædificent.

Quandonam autem animalia animum revertendi exuerint, arbitrio viri prudentis definiri debet. Columbæ quæ tribus aut quatuor diebus continuis ad columbarium non revertuntur, videntur aliquibus amisisse revertendi animum, secùs de cervis & apris, qui licèt per dies aliquot juxta domum vagentur, & spontè non redeant, facilè se reduci permittunt.

Quæres an columbaria sint licita.

R. affirmat. Patet id tùm ex consuetudine, tùm

quia columbæ notabile damnum non pariunt, ut quæ vescantur non tantùm bonis, sed & malis seminibus quæ sata suffocarent, ut lolio; tùm quia legitimæ suppetunt rationes quibusdam concedendi jus illud, etsi aliis onerosum. Quibus autem licita sint columbaria, ex locorum consuetudinibus definiendum est.

Ex dictis colliges, peccare rusticos etiam pauperes, qui sementis tempore columbas occidunt; (nisi certò cognoscant illas eorum esse qui jus columbarii non habent: quod vix fieri potest, cùm columbæ diversorum locorum aliæ aliis permixtæ vivant, & sæpè à columbariis suis plusquam leucis duodecim recedant.) Ratio est, quia jus columbarii est velut servitus quædam in vicinos agros dominis non gratuito sed oneroso titulo concessa: tenentur enim Dynastæ Regem ad bellum proficiscentem aliquando comitari, expositos infantes alere, &c.

Curari tamen debent qui columbarii jure fruuntur, ut columbas suas alant eo præsertim tempore quo vicinis agris damnum inferrent, nisi vicini omnes agri eorum ipsorum sint.

CONCLUSIO. III. *Bestiæ feræ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo & terrâ nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, Jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* Verba sunt simul & probatio Justiniani in Institutis, ubi suprà num. 12.

Idem dicendum de animalibus feris quæ libertatem recuperaverunt: eam autem recuperasse censentur, quando tam difficilis est eorum prosecutio, ac anteà erat quàm primâ vice occuparentur. Hinc ibid. Justinianus: *examen apum quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo, nec difficilis ejus prosecutio est; aloquin occupantis fit*, etiamsi in alieno fundo occupet. Hæc generalia Romani juris principia magnas in Galliis modificationes habent; quæ ut intelligantur,

Quæres 1°. *an Princeps possit* sibi, absque populi

consensu, venationem in locis publici juris reservare ad solam recreationem.

R. Posse; quia cùm multos pro Republicâ labores suscipiat, æquum est ut proprio quodam & speciali modo animum recreare possit. Adde quòd id etiam pertineat ad Principis dignitatem.

Neque solus Princeps venationem sibi reservare potest, sed & ii etiam qui jus habent à Principe, aút à consuetudine legitimè præscriptâ. Ii tamen cavere debent, nè feræ nimis multiplicatæ, nimiam agris perniciem inferant; alioqui tenentur ad reparationem damni, nisi fortè agros incolis cùm hoc onere diviserint. Imò tenerentur adhuc ad restituendum, etiamsi permitterent animalia hæc occidi ab iis in quorum agros devenerint; occidendis enim feris quæ sata devastant, vix ac nè vix quidem vacare possunt pauperes rusticani.

Quæres 2°. an peccent, & ad restituendum teneantur, qui contra prohibitionem venantur.

Not. venationem prohiberi posse quinque de caussis: 1°. ratione statûs; sic vetita fuit Clericis & Religiosis; 2°. ratione temporis; sic prohibita est venatio diebus festis, & tempore partûs & educationis fœtuum; 3°. ratione publicæ utilitatis, nè feræ, aves, pisces funditùs tollantur, si omnibus pro libitu suo liceat venari, vel piscari; 4°. ratione instrumenti, propter eandem publicæ utilitatis caussam; quomodo non ita pridem prohibitum est, nè piscatores maritimi strictis quibusdam retibus uterentur quæ etiam pisciculos comprehendebant; 5°. ratione loci. Locus autem triplex distinguitur. Primus est proprius ipsius domini, muro circumclusus: secundus, proprius quidem ipsius domini, sed non circumclusus: tertius, publicus & communis. His præmissis,

R. 1°. Clericos & Religiosos qui proprio in fundo venantur, restitutioni obnoxios non esse, cùm alienum non invadant; peccare tamen contra religionem & obedientiam, prout alibi dicemus.

R. 2°. peccare eos qui venantur, cùm venatio

prohibita est ratione publicæ utilitatis, quia communi bono nocent. Unde qui magnam piscium vim veneno inficit, qui ferarum multitudinem maximam necat, easve ex sylvis & agris seu arte magicâ, seu pravâ aliâ machinatione extrahit, debet restituere Reipublicæ.

R. 3°. eos qui in alterius fundo muris aut sepe circumcluso venantur, peccare & teneri ad restitutionem animalium quæ ibidem capta sunt. Ratio est, quia dominus fundi, verè dominus est hujusmodi animalium, quæ cùm volet, facilè apprehendere potest, quæque naturalem libertatem moraliter loquendo amiserunt. Hàc de causâ furti reus est qui piscatur in alieno stagno, vivario & quolibet loco clauso. Non etiam licet in Gallia piscari in rivis minoribus, etiam cum lineâ, ut aiunt, piscatoriâ: jus enim ibi piscandi pertinet ad dominos quorum terras hi fluvii allambunt; ità ut ad duos pertineat, si rivus duorum jugeribus allabitur. In fluviis navigabilibus, lineâ uti licet, non autem retibus, nisi iis qui professione sunt piscatores, & quibus id juris concessum est à Rege, qui rerum communium, putà viarum, littorum maris & fluminum dominus est.

R. 4°. peccare eum qui invito domino venationis jus habente, in ejus loco non circumcluso venatur, non tamen teneri ad ferarum restitutionem. Peccat quidem 1°. quia alteri rationabiliter invito injuriam facit; 2°. quia gravi sese pœnæ exponit, exilii scilicet, & triremium; 3°. quia ejusmodi venatores sic affecti esse solent, ut saltuum custodes potiùs necent quàm arma deponant.

Addo eos tamen non teneri ad ferarum restitutionem: quia animalia quæ ex uno loco in alium quotidie transmigrant, ut rusticulæ, coturnices, turdi, &c. reipsâ nullius sunt domini, nec sunt fructus sylvarum aut agrorum, adeòque sunt primi occupantis.

Excipiuntur columbæ, cuniculi garenæ, phasiani, & alia id genus quæ magnis impensis aluntur, & non magis à *dumetis suis discedunt*, quàm columbæ *à columbario*.

CONCLUSIO VI. *Lapilli & gemmæ & cetera quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim fiunt inventoris.* Instit. Lib. 2. tit. 1. §. 18.

Hæc dispositio viget in Galliâ quoad gemmas & lapillos, non autem quoad salmones, delphinos, aut alia quædam in littore maris deprehensa, quæ ad Regem pertinere declaravit Ludovicus XIV. an. 1681.

Quod spectat ad venas auri & argenti quæ in terræ visceribus deteguntur, eæ Jure Gallico sunt Regis, qui fundum proprietario solvere tenetur : hinc Dynastæ etsi in thesauros, at in metallicas venas nihil juris habent.

Quæres 1°. ad quid teneantur qui contra justam prohibitionem pascunt, aut cædunt ligna.

R. eos graviter contra justitiam peccare, si grave damnum Reipublicæ inferant, ut si stirpes multæ notabiles cædantur : si verò non ità graviter Reipublicæ noceatur, censet Sylvius non nisi venialiter peccari, nullamque esse restituendi obligationem; quia ligna quæ cædis, etiam post Reipublicæ prohibitionem, tua sunt; nec aliunde tot cædis, ut supponitur, quin aliis quoque cædenda alia supersint. Ergo peccas quidem, quia legem justam transgredieris; non peccas tamen graviter, quia in rei veritate nemini injuriam strictè dictam facis.

Quæres 2°. quid sentiendum de pauperibus qui ligna cædunt in sylvis quæ ad alios pertinent.

Not. duplex distingui lignorum genus : alia sunt quæ dicuntur mortua, gallicè, *bois-mort;* alia sunt quæ dicuntur ligna caduci roboris, gallicè, * *mort-bois.* His præmissis,

R. 1°. eos qui arbores cædunt, (quod sæpiùs efficiunt rustici, ut eas post aliquot dies extrahant.

* Par, *bois-mort*, il s'entendra & sera signifié bois sec en état ou gissant : & par ces mots, *mort-bois*, sera entendu & signifié bois de saulx, mortsaulx, épine, puine, seur, aulne, genest & genevre, & non autre. *François I. Ordonn. du 4 Octobr.* 1533.

quasi sponte suâ aridas invenerint) ad restituendum teneri ; quia rem alienam rapiunt invito domino.

R. 2°. non licere pauperibus rusticis lignum ullum ex sylvis quæ usuariæ seu communes non sunt, auferre, nisi contraria eaque legitima vigeat consuetudo ; quæ, ut talis censeatur, fundari debet in expresso aut tacito proprietariorum consensu, qui supponitur 1°. cùm domini hanc lignorum exportationem vident, & non arguunt ; 2°. cùm ea quæ auferuntur tam exigui sunt momenti, ut domini obsistere non possint sinè immani quâdam duritie : unde homini in eâ necessitate constituto, ut alioqui hyemem sinè igne, & calidis alimentis transigere debeat, licitum est minuta quæ humi jacent ligna, vepreta & genistas colligere in usum foci proprii. Ratio est, quia vel domini tunc inviti non sunt, vel irrationabiliter sunt inviti.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Acquisitione Thesaurorum, &c.

THesaurus definitur, Vetus quædam depositio pecuniæ cujus non extat memoria, & quæ idcircò jam dominum non habet. Per vocem *vetus*, excluduntur res nuper reconditæ, quæ dominum habent, eum scilicet qui recondidit aut ejus hæredes : per vocem *pecunia*, intelliguntur aliæ res mobiles, ut gemmæ, vasa aurea.

Jure Romano, *thesauri quos quis in loco suo invenerit*, ejus sunt, *qui eos invenerit ; idemque est si quis in sacro aut religioso loco, fortuito casu invenerit. At si quis in alieno loco non datâ ad hoc operâ, sed fortuitò invenerit dimidium domino soli, & dimidium inventori conceditur.... cui conveniens est, ut si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitate invenerit, dimidium ipsius esse debeat, & dimidium fisci, vel civitatis.* Ità habetur in Instit. L. 2. tit. 1. §. 39. circa hanc decisionem, quæ locum habet in iis Galliæ locis ubi servatur Jus Romanum.

Not. 1°. thesaurum tunc tantùm esse totum inventoris, quando invenitur in fundo qui sit inventoris, quoad dominium directum simul & utile. Hinc si idem fundus duos habeat dominos, directum scilicet, & utilem; & dominus utilis, ut feudatarius vel emphyteuta, thesaurum inveniat, tres partes pertinebunt ad inventorem, quarta verò ad dominum directum. Inventori enim ut sic, debetur dimidium; cùm verò inventor sit, ex hypothesi, etiam dominus ex parte (emphyteuta enim & feudatarius non sunt nudi usufructuarii) debetur adhuc ei media pars dimidii superstitis. Ità Lessius, qui simul docet usuarii, conductoris, habentis rem in pignus, imò & ipsius usufructuarii nudi, nullam haberi rationem, quia veri domini non sunt: unde si illi thesaurum invenerint, mediam tantùm ejus partem habere debent titulo inventionis. Aliud esset de eo qui fundum emisset à venditore redimendum; quia enim talis emptor dominus est, non tenetur ad restitutionem thesauri redempto fundo.

Not. 2°. hîc agi duntaxat de iis qui thesaurum fortuitò inveniunt in alieno fundo: si enim eum invenirent *datâ operâ*, seu de industriâ; tunc thesaurus non esset inventoris, sed domini terræ in quâ inventus fuisset; ei ergo deberet totus restitui, in pœnam injuriæ quam inventor domino loci alicujus infert, cùm absque ejus licentiâ fundum ejus fodit. Hæc tamen restitutio non urget nisi post sententiam Judicis: & idem est cùm thesaurus magicæ artis auxilio inventus est.

Sed quid, si quis thesaurum domini consensu quæsitum invenerit? R. si quod pactum initum est inter dominum fundi & inventorem, illud servari debere: si verò nullum initum fuerit pactum; tutius erit si inventor thesaurum ex æquo dividat cum domino, qui facilè præsumi non potest omninò juri suo cedere in gratiam inventoris.

Not. 3°. jus esse communiter receptum in Galliâ, tùm consuetudinariâ, tùm quæ Jure Romano regitur, ut

ut thesaurus in Ecclesiâ inventus, inventorem inter & Ecclesiam dividatur. Quanquam aliqui negant Dynastam à tertiâ parte thesauri in Ecclesiâ reperti excludendum esse.

Not. 5°. in Galliâ consuetudinariâ hæc communiter teneri de thesauris. Si thesaurus inveniatur in viâ publicâ aut loco publico, pro parte cedit inventori, pro parte Regi aut viarum curatoribus, gallicè, *les voyers*, quia viæ magnæ Regis sunt; secùs de transversis, quæ cùm ad Dynastas pertineant, iisdem suam in thesauris partem attribuunt. Si in loco proprio, dividitur inter inventorem & Dynastam, id est eum qui maximam in loco jurisdictionem habet. Si in alieno loco, tres in partes dividitur, quarum prima sit inventoris, secunda illius qui est dominus fundi, tertia Dynastæ. Quia tamen quædam consuetudines thesauros Regi soli vindicant, aut aliter & aliter de iis disponi præcipiunt, unusquisque tenetur in conscientiâ & strictè propriam loci sui consuetudinem indagare, & sequi.

Quæres 1°. an qui emit agrum, sciens in eo latere thesaurum, istius dominium acquirat.

R. affirmat. 1°. quia pretium rei cujuslibet non præcisè ex majori ejus utilitate, sed ex communi hominum æstimatione sumi debet; sed qui emit agrum de quo nunc agitur, supponitur pretium ejus secundùm communem hominum æstimat onem solvere; 2°. quia non est dubium quin peritus Pharmacopola qui magnam utilitatem cognoscit in herbâ aliàs vili, quæ est in fasce herbarum in usum jumentorum vendendâ, possit fascem hanc pretio communi emere; Ergo à pari.

Quæres 2°. an artifex qui in veteri quam dissolvit arcâ gemmas invenit, possit earum partem sibi retinere, ut inventori. R. Si arca hæc pertineat ad alium qui ignoret originem hujus thesauri, nec prudenter suspicari possit eum à majoribus suis reconditum fuisse, mediam partem pertinere ad eum qui gemmas invenit: *quia nihil refert* an thesaurus in

terra lateat, an in re mobili. Unde si artifex arcam hanc emisset bonâ fide, non teneretur reperti posteà thesauri partem restituere venditori, ut qui nunquam ejus verè dominus fuisset, cùm rei prorsùs ignotæ nulla sit possessio.

Quæres 3°. an lex quæ præcipit ut inventor certam thesauri partem fisco, aut proprietario applicet, obliget in conscientiâ ante sententiam Judicis. R. affirmat. Lex enim de dividendo inventorem inter & dominum fundi aut fiscum, thesauro, pœnalis non est, cùm constituta non fuerit ut puniretur inventor; ergo statim impleri debet.

Quod spectat ad res inventas, certum est 1°. easdem domino suo, si fieri possit restituendas esse.

Certum est 2°. Dominum rei, magis aut minùs inquirendum esse pro qualitate rei; idque non solùm in loco ubi res inventa est, sed etiam in pagis & urbibus vicinis, si sit spes aut suspicio futurum ut dominus detegi possit, & præsertim cùm res magni est valoris.

Hæc autem inquisitio fieri debet expensis rei restituendæ, si inventor sit bonæ fidei; si verò malæ sit fidei, impensis ejusdem. Sed quæritur an, non invento post sufficientem inquisitionem domino, possit inventor rem facere suam, an non teneatur erogare pauperibus, quorum nomine hîc veniunt non solùm egeni, sed & Ecclesiæ, Xenodochia, Monasteria quæ indigent; imò & opera pietatis, ut fundatio Officii divini. Sit

CONCLUSIO. Res inventa, cujus dominus cognosci non potest, ab inventore pauperibus est eroganda, aut pios in usus consumenda, exceptis quibusdam casibus.

Prob. 1°. ex Concilio Mediolanensi IV. quod præcipit ut *res inventa pauperibus aut piis locis erogetur, si dominus diù requisitus non appareat.* Idem statuit Catechismus Romanus.

Prob. 2°. Ut res inventa pauperibus erogari debeat, duo sufficiunt: 1°. ut qui rem amisit, rema-

neat ejus dominus; 2°. ut piam hujus rei erogationem velle meritò præsumatur : atqui utrumque verum est : 1°. quidem qui rem amisit, amissæ dominus remanet, cùm eâ nec privetur per legem ullam, nec per propriam voluntatem, ut patet; 2°. legitimè præsumitur velle ut ea res piè distribuatur. Legitimè enim præsumitur eam esse domini voluntatem, ut res quam recuperare nequit, expendatur aptiori modo, sibique & Reipublicæ utiliori: Atqui sic expenditur cùm datur pauperibus; pessimè contra expenderetur plerumque, si remaneret penes inventorem, qui de bonâ fortunâ gaudens, eâ ut plurimùm abuteretur, aut certè ita uteretur, ut nihil inde, vel perditor, vel Respublica perciperent utilitatis; Ergo.

Dixi, *exceptis quibusdam casibus.* Res enim aquis abrepta & in ripâ fluvii navigabilis inventa, habetur pro eo quod gallicè dicimus, *Epave de riviere*, & pertinent ad Regem, ex constitutione Regiâ an. 1665.

Obj. 1°. Si res inventa pauperibus distribuenda sit, ob præsumptam domini intentionem, thesauri eâdem de causâ pauperibus erunt restituendi: Atqui falsum consequens ex dictis; Ergo.

R. neg. maj. 1°. quia thesauri dominum non habent, saltèm qui humano modo reperiri possit; bona verò inventa dominum habent & quidem reperibilem, licèt per accidens non inveniatur; 2°. quia leges thesaurum certis personis, non autem pauperibus adjudicant, quod non faciunt cùm agitur de rebus inventis.

Obj. 2°. Legitimè præsumitur unumquemque velle quod magis in commodum suî vergit: Atqui quòd res perdita maneat penes inventorem, magis vergit in commodum perditoris; tùm quia si ipse rem alterius perditam invenerit, poterit eam sibi servare; tùm quia rem suam faciliùs obtinere poterit ab inventore, quàm à pauperibus; Ergo.

R. neg. *min. 1°. quia secundùm* doctrinam nos-

tram, perditor ſpiritualiter juvabitur tum ſacrificio Miſſæ, tùm precibus pauperum: hanc autem eſſe communiter hominum intentionem, patet ex eorum teſtamentis, quibus ſollicitè cavent ut bona ſua pios in uſus diſpenſentur; 2°. quia in moralibus argumentandum non eſt ex unius aut alterius hominis diſpoſitione, ſed ex communi ſapientium uſu: Atqui vix reperiatur homo ſenſatus, qui bona ſua penès hominem fortè helluonem remanere malit, quàm penès Eccleſiam aut pauperes; 3°. quia incommodum quod objicitur vitari facilè poteſt, ſequendo id quod præſcribit S. Thomas infrà referendus.

Ex his ſequitur, abſolutionem eſſe iis denegandam, qui bona inventa ſuos in uſus vertunt, quia opinio contraria prorsùs eſt improbabilis, & naturali legi adverſa. Ceterùm utilior rem inventam reſtituendi modus eſt, ſi ea expendatur ut offeratur ſacrificium pro dominis: quòd ſi pauperibus detur, neceſſe non eſt, ut detur pauperioribus; ſatis eſt ſi detur verè pauperibus, amicis etiam aut conſanguineis.

Quæres 1°. an pauper rem inventam ſibi applicare poſſit. R. communiter conſulendum eſſe Confeſſarium, ut omne propriæ deceptionis periculum vitetur; ſi verò nullum ſit periculum, opus non erit alieno conſilio; atque hoc etiam locum habet in bonis incertis quæ ex injuſtâ acceptione poſſidentur. Quia tamen hæc applicatio, ſive eam tibi feceris, ſive aliis pauperibus, hanc includit conditionem, *Si dominus non compareat*, ſequitur quòd domino comparente, res ... adhuc vel apud te, vel apud pauperes extet in ſe, aut in pretio, ſit ei reſtituenda.

Quæres 2°. ſitnè aliquid reſtituendum domino comparenti, poſtquam res inventa conſumpta fuit.

R. 1°. eum qui ſufficienti adhibitâ diligentiâ rem bonâ fide inventam pauperibus diſtribuit, ad nihil teneri: ſecùs ſi res non adhibitâ ſufficienti diligentiâ pauperibus donata eſſet: ſic enim illata eſſet injuria domino qui jus habet nè bona ſua præproperè alienentur.

R. 2°. Si inventor malæ sit fidei, putà quia dominum non satis inquisiit, & posteà pœnitentiâ ductus omnem quò culpam reparet diligentiam adhibeat inutiliter, ità ut rem pauperibus elargiri teneatur; tunc eadem est ejus conditio, quæ furis. Porrò censent viri graves furem, qui dominum rei cognoscere non valens, ipsam pauperibus erogavit, non teneri ad restituendum: quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cùm nihil apud ipsum extet; nec ratione injuriæ, cùm restituerit eo modo quo potuit ac debuit; nec ratione contractûs aut legis, cùm nec ullus existat contractus, nec ulla possit lex citari quæ secundam restitutionem præcipiat. Verùm ut omnis tollatur scrupuli locus, sequendum est in praxi quod docet S. Thomas aut quivis alius autor Opusculi 73. c. 16. *Si fortè quibus facienda sit restitutio nescitur..... ad ipsam Ecclesiam* facienda est: *hoc tamen addito, quod debet ei Ecclesia promittere restitutionem faciendam, si necesse fuerit aliquando in tempore futuro, per inopinatam reversionem eorum quibus de jure erat facienda.*

Quæres 3°. possitne inventor retinere aliquid, vel exigere pro *manciâ*, seu inventionis præmio.

R. 1°. Potest inventor repetere impensas quas fecerit in rei inventione; secùs nihil de re retinere potest: sicut nihil ex bonis àmici de quo bene meritus fuisti retinere potes, si in te quidem gratus fu·u·us, erat, sed ante mortuus sit, quàm gratitudinem suam exerceret.

R. 2°. Inventor à domino qui comparet aliquid petere potest titulo gratitudinis; quo etiam titulo tenetur dominus aliquid eidem rependere: at nihil exigere potest inventor, quasi ex justitiâ debitum, quia dominus rem quæ tota sua est, nequidem ex parte emere debet. Hinc si dominus præmium promiserit, inventor debet ei relinquere omnimodam libertatem præmium hoc rependendi vel non: neque illud præcisè quia promissum sit, acceptare potest; quia *retributio hæc secundùm* quid est invo-

luntaria, solùmque offertur à domino, quia timet nè res sua sibi pereat, nisi hâc arte alliciat inventorem; non ergo magis acceptare potest inventor præmium illud, quàm homo mutuo dans acceptare possit id quod sibi offertur à mutuatario, nisi constet id omninò liberè offerri.

Circa bona derelicta, sciendum est hæc seu mobilia sint, seu immobilia, Jure Gallico pertinere ad Dynastam loci; ad quem etiam pertinent animalia errantia & expavefacta, quæ gallicæ dicuntur, *épaves*, nisi intra certum tempus non eodem modo ubique definitum, repetantur à proprietariis. Sec hîc duo emergunt dubia; unde

Quæres 1°. an pro bonis derelictis haberi debeant bona naufragantium. R. negat. Idem dicendum de his quæ propter incendium ejiciuntur, aut per aquarum eluvionem auferuntur: hæc enim non ut domino pereant, sed è contra nè eidem pereant ejiciuntur. Quapropter cùm bona naufragantium fisco addicerentur à Comitibus Armoricæ, barbarum hunc morem improbavit Concilium Nannetense an. 1127. & qui bona hæc arriperent, fures esse declaravit. Videnda est eâ de re Regia Ludovici XIV. Constitutio an 1681.

Quæres 2°. an non saltèm ea retinere possis, quæ nisi apprehendisses peritura erant. R. negat. quia res tandiù nostra est, quandiù consumpta non est: nihilominùs unusquisque id retinere potest, unde compensentur labor suus, aut periculum quod in re alterius extrahendâ & conservendâ incurrit.

Quod spectat ad bona vacantia, (quo nomine, ea intelliguntur, quæ relinquit quis ab intestato decedens sinè hæredibus, qui ei juxta legem ab intestato succedant) hæc in Galliâ pertinent ad Regem, jure, ut aiunt, *Albinatûs*. Bona hæc Rex donare consuevit: sed si duo libellarum gallicarum millia non attingunt, cedunt Publicanis.

Excipiuntur ab hâc Albinatûs Lege, 1°. Legati *Principum*: iis enim succedunt legitimi eorum

heredes, etiam non Regnicolæ ; 2°. mercatores extranei qui habebant animum ad sua revertendi ; 3°. excipiuntur quoad mobilia bona, mercatores qui nundinas Lugdunenses frequentant ; 4°. alienigenæ, qui & quandiu in Universitatibus nostris student. Extranei, etsi causâ mortis donare, aut ad pias etiam causas legere non valent, possunt tamen inter vivos donare; quia quamvis moriantur ut servi, vivunt ut liberi : haud tamen successionum, legatorumve capaces sunt.

PUNCTUM TERTIUM.

De Præscriptione.

PRæscriptio seu usucapio definitur Acquisitio dominii & juris per possessionem tempore à Legibus præscripto continuatam. Sed hinc jam à limine gravis nascitur difficultas, an præscriptio ad legitimum dominium sufficiat. Sit

CONCLUSIO. Præscriptio legitima verus est rei possidendæ titulus, etiam in interiori conscientiæ foro : unde res gratuito etiam titulo comparata, si præscripta sit, domino comparenti restituenda non est.

Prob. 1°. quia dominium quod præscriptione comparatur, ut legitimum approbat Jus civile, L. 1. ff. *De usucapionibus*, canonicum verò causâ 16. q. 3. & tit. *de præscriptionibus.*

Prob. 2°. quia dominium quod quis præscriptione acquirit, in eum transfertur : 1°. autoritate Reipublicæ, vel Principum, nempè per Leges ab iis conditas ; 2°. transfertur iis in casibus in quibus Respublica id potest. Non Respublica, privatorum bona ab uno in alium transferre potest, cùm id bonum commune & civium pax postulat : Atqui tranferri præscriptione dominium ab uno in alterum postulant bonum commune & civium pax ; tum ut puniatur eorum socordia qui res suas ab aliis possessas repetere negligunt ; tum ut tollatur incertitudo dominiorum alioqui futura, si res ab aliis diu possessas

repetere liceret : sæpè enim legitimi possessores suis privarentur bonis, quia sæpè fit ut quò quis legitimè magis rem possidet, eò minùs possit possessionis suæ validitatem probare ; Ergo.

Obj. 1°. Per præscriptionem privaretur quis suâ re sinè culpâ ; quod est contra regulam 23. Jur. in 6.

R. neg. ant. Sic enim habet hæc regula : *Sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus :* Atqui multiplex est causa cur homini sua res præscribendo auferatur ; nimirum *nè semper incerta* sint *rerum dominia, & nè possessores immortali timore teneantur.*

l. 1. ff. usurp.

Inst. Ex. reg. 48. Ibid. *locupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ vel jacturâ :* Atqui per præscriptionem locupletaretur aliquis, &c.

R. dist. Locupletari non debet ex jacturâ alterius factâ per injuriam & autoritate privatâ, C. locupletari non debet utendo beneficio legis, N.

Obj. 2°. Non potest quis rem retinere, quantumvis judiciali sententiâ sibi adjudicatam, cùm agnoscit eam non esse suam, sed alterius ; Ergo nequè etiam potest retinere rem alterius quam præscripsit.

Confirm. Lex in quâ fundatur præscriptio, nititur falsâ præsumptione, sicut prædicta Judicis sententia. Nam ea lex supponit hominem potuisse impedire ne curreret præscriptio : Atqui suppositio hæc plerumque falsa est, putà, si quis nescierit fundum ab altero possessum, esse suum. Minor patet : prob. major, quia ex ipsâ lege : *contra impotentem & legitimè impeditum non currit præscriptio ;* Ergo.

R. ad 1. neg. conseq. Judex enim per sententiam nec transfert, nec intendit transferre dominium rei ab uno ad alium, sed solùm definit ad quem secundùm allegata pertineat res de qua litigatur ; at lex præscriptionis, ob varias rationes quæ bonum commune spectant, verum in præscribentem tranfert dominium ; unde patet disparitas legem inter & Judicem qui falsâ nititur præsumptione.

Ad 2. neg. ant. ad 3. neg. maj. Quod addis præscriptionem non currere contra impeditum aut impotentem, dist. non currit in casibus jure exceptis, v. g. contra mente captos, pupillos aut minores, C. in ceteris casibus, N. Quapropter non teneris reddere rem ei qui invincibiliter ignorans eam esse suam, non impediit quominùs præscriberes; atque si, præscriptionis beneficium ignorans eam reddidisses, posses eam repetere ut tuam. Verùm ad id necessariæ sunt quinque conditiones his expressæ versiculis:

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus:
Sis quoque possessor, completo tempore legis.

Singulas singulis paragraphis prosequimur.

§. I.

De Materia Præscriptionis.

Materia præscriptionis, est illud omne cujus dominium præscriptione comparari potest. Ut autem intelligatur quæ bona præscribi possint, sufficiet ea recensere quæ sub præscriptione non cadunt. Porrò non præscribuntur, 1°. res usibus publicis deputatæ, ut forum, pontes, viæ publicæ: alicubi tamen arbores publicis in viis plantatæ præscribuntur.

2°. Quæ Principi ratione superioritatis ejus debentur; ut tributa, census, jus appellationis, &c. Ratio est, quia nihil præscribitur nisi secundùm leges Principis; is autem non fert leges juribus suis contrarias.

3°. Quæ ad Deum pertinent, putà res sacræ immobiles, ut Templa; itèm res religiosæ, ut cœmeteria, quia hæc sunt extra commercium; mobiles verò res sacræ, ut vasa sacra, ut alienari possunt absque autoritate Episcopi, sic & possunt præscribi.

4°. Non præscribuntur à Laicis jura decimarum, primitiarum, & alia id genus spiritualia, quia hæc à Laïcis possideri non possunt. Sed hîc tria notanda, 1°. ab *Ecclesiâ contra Ecclesiam* decimas posse præ-

scribi per possessionem 40. annorum; 2°. licèt contra decimas præscribi non possit, posse tamen præscribi contra quantitatem earum & solutionis formam, ad quod etiam requiruntur 40. anni; 3°. decimas quæ *infeodatæ* dicuntur, & quæ à Laïcis ante Concilium Lateranense III. anno 1179. possessæ sunt, ab iis legitimè retineri.

C. 16. de præscript. 5°. Non præscribuntur quæ juris sunt naturalis: sic præscribere non possunt subditi adversùs Prælatum, ut ab eo non visitentur, vel ut non solvant *procurationem* ipsi tempore visitationis debitam. Potest tamen Ecclesia Collegiata præscribere adversùs Archidiaconum, ut ab eo non visitetur; quia ejus dignitas est juris humani adversùs quod præscribi potest.

Ibid. 6°. Non præscribuntur fines Provinciarum, Episcopatuum aut Parochiarum, si de limitibus constet: alioqui enim præscribere potest Prælatus ut alterius Antistitis subditi ad se pertineant.

7°. Non præscribitur adversùs hominem liberum, ut fiat servus. Instit. Lib. 2. tit. 6.

Ibid. 8°. Non præscribitur servus fugitivus, quia suî ipsius furtum fecit: neque etiam præscribuntur *res furtivæ, & quæ vi* possessæ sunt; quia res transit cum vitio quo affecta est, quæ tamen non obstant nè res furtivæ annorum 30. spatio præscribantur ab hærede vel acquisitore bonæ fidei.

9°. Non præscribuntur res illius qui adeò impotens est aut impeditus, ut rem suam in judicio repetere non possit. Sic non præscribitur contra mente captum, aut eum qui amentiæ, vel dissipationis causâ interdictus est; contra filium sub potestate patris existentem; contra uxorem cujus bonorum administratio penes virum manet; nec denique contra minorem 25. annis, exceptâ tamen Armoricâ, exceptis itèm Parlamentis quæ Jure scripto reguntur, & in quibus præscriptio annorum 30. contra minores currit.

1°. Addi potest, in multis Galliæ locis nullâ temporis possessione præscribi jura publici furni & mo-

læ: itèm servitutes prædiales sinè titulo: licèt ubique contra servitutes præscribi possit. Sed in hàc materiâ necessariò consulendi sunt locorum mores.

Porrò notandum, leges & Romanas & nostras cùm dicunt certa quædam bona præscriptioni obnoxia non esse, eo sensu aliquando debere intelligi, quòd ea bona non præscribuntur ordinario tempore; licèt longissimo tempore, putà 30. aut ampliùs, annorum, præscribi possint. Sic Jure Romano res fisci, fundus in dotem datus, res furtivæ, alicubi dicuntur non præscribi, alibi verò longâ possessione præscribi dicuntur.

§. II.

De possessione & titulo ad præscriptionem requisitis.

Possessio, est Actus, aut jus detentionis rei: Actus detentionis vocatur *possessio facti*; jus detentionis vocatur *possessio juris*.

Possessio facti, est rei detentio adminiculo corporis, & animi, & juris.

Dicitur 1°. *detentio rei*: quo nomine intelligitur quidquid possideri potest, sive illud sit *corporale* ut ager, domus, &c. sive sit *incorporeum* ut census, servitus, &c.

2°. *Adminiculo corporis*: quia ut res incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi vel manibus, ut feræ, vel pedibus, ut Insulæ, vel oculis, ut si antiquus possessor eminùs aut cominùs fundum mihi ostendat, & me acceptante possessionem ejus tradat. Apprehensio quæ fit manu aut pede, dicitur *vera*: *ficta* verò, quæ fit oculis, vel ope scripturæ seu instrumenti.

3°. *Animi*: quia ad possessionem requiritur intentio rem apprehensam occupandi ut suam.

4°. Denique *adminiculo* etiam *juris*: quia ad possessionem requiritur ut leges non impendiant nè detentio rei censeatur possessio ejus: quâ de causâ detentio rei sacræ à Laïco facta, ne quidem est possessio facti, lege id *prohibente*. Detentio verò rei

furtivæ profanæ, licèt injusta, est tamen vera possessio, quia jus non impedit nè detentio talis rei sufficiat ad possessionem.

Possessio juris, est jus insistendi rei tanquam suæ, non prohibitæ possideri. *Jus*, inquam, verum vel præsumptum, prout oritur ex possessione facti, vel justâ in se, vel quæ justa præsumitur in externo foro, licèt in se justa non sit. *Jus insistendi rei*, *&c.* id est rem ut propriam perseveranter timendi, & tuendi contra perturbantes. *Non prohibitæ possideri* per Juris dispositionem, per quam prohibetur, v.g. ne locus publicus à privato possideatur, seu justè, seu etiam verè.

Possessio multipliciter dividitur. Nam 1°. alia est quæ fit *proprio nomine*, ut in proprietario; alia quæ est *nomine alieno*, ut in depositario.

2°. Alia est *justa*, quæ fundatur in titulo qui justus sit vel in se, vel ex bonâ fide; alia est *injusta*, quæ legitimo titulo destituta est.

3°. Præcipuè, alia est *civilis*, alia *naturalis*. Civilis est detentio rei adminiculo solius animi: quamvis enim ad inchoandam possessionem civilem requiratur adminiculum corporis simul & animi, ad eam tamen continuandam sufficit solus animus retinendi rem; hinc verè possidet, is qui corpore absens à rebus suis, ea tamen animo retinet & occupat. Hæc possessio dicitur civilis, quia parit effectus civiles, nempe rei usucapionem, & dominium fructuum.

Possessio naturalis ea est, quâ res corpore & animo simul occupatur, ut cùm quis rem occupat de facto quam etiam retinere vult.

Titulus est causa ex se habilis vel ad transferendum dominium, vel ad præbendam usucapiendi potestatem. Quadruplex distinguitur titulus: verus scilicet, coloratus seu apparens, existimatus, ac denique præsumptus.

Titulus *verus* est ille qui à parte rei subsistit, & qui sufficit ad fundandum jus quod quis se habere contendit, talis est emptio valida.

Titulus *coloratus* est ille qui bonâ fide creditur esse validus, licèt ob latentem defectum invalidus sit: talis est venditio ab eo facta qui contra legitimam existimationem vel rei venditæ dominus non erat, vel carebat alienandi potestate.

Titulus *existimatus*, seu *putativus*, est cùm nec vera nec apparens præcessit causa quæ dominium transferre posset; sed tamen errore probabili creditur præcessisse, ut si possideas quasi à servo emptam rem quam emi jusseras, & ille subripuit.

Denique titulus *præsumptus*, ille est quem jus ob temporis diuturnitatem intervenisse præsumit, etsi tamen fortè non intervenerit. Sit jam

Conclusio I. Possessio est necessaria ad præscriptionem.

Prob. tùm ex ipsâ præscriptionis definitione, quæ possessionem involvit; tum ex hâc regulâ Juris in 6. *Sinè possessione præscriptio non procedit.*

Porrò ut possessio ad præscriptionem sufficiat, requiritur 1°. ut sit proprio nomine. Hinc tutor aut Monasterii procurator, quia non sibi sed aliis possident, non sibi sed aliis præscribunt; 2°. non sufficit possessio precaria: quia quod accipitur precario, non possidetur ut proprium; 3°. neque etiam sufficit possessio naturalis: nam depositarius, imò & fur naturaliter possident, nec tamen præscribunt; 4°. demum non sufficit cujusvis temporis possessio, sed requiritur possessio continuata per totum tempus quod lex exigit. Hinc si quis re, quam per aliquod tempus legitimè possedisset, privaretur justè, & eam iterùm deinceps possideret, non posset annos prioris possessionis computare, & conjungere cum annis possessionis subsequentis, quia possessio non esset continuata.

Non est tamen necessarium ut possessio ab eâdem personâ continuetur; potest enim secundus possessor, annos quibus possedit, conjungere cum iis quibus possedit autor suus seu prædecessor.

Conclusio II. *Ad præscriptionem ordinariè requiritur titulus.*

Prob. 1°. quia dominii translatio non fit sinè causâ ad translationem sufficiente : Atqui ea causa & quidem sola est ordinariè titulus, cùm titulus esse soleat radix & fundamentum justæ possessionis.

Prob. 2°. Ad præscriptionem requiritur bona fides : Atqui hæc non subsistit sinè titulo. Non enim potest quis credere se habere jus rei possidendæ, nisi credat se habere titulum unde jus illud oriatur.

Porrò non requiritur titulus verus : is enim si adesset, putà si res empta fuisset à legitimo ejusdem domino, opus non esset præscriptione. Sufficit ergo & requiritur titulus apparens, qualis est donatio ab eo qui putabatur esse dominus, licèt reipsâ dominus non esset. Et is quidem titulus non præsumitur, sed probatur, cùm agitur de præscriptionibus quæ fiunt breviori vel ordinario trium, decemve aut viginti annorum tempore : at verò in præscriptionibus quæ vocantur longissimi temporis, quia nonnisi spatio 30. & 40. vel ampliùs annorum complentur, opus non est ut allegetur & probetur titulus : possessio enim tam longa locum habet tituli, & meritò, quia verus titulus innumeris modis per tempus adeò longum perire potuit.

Limitatur hæc regula præsertim cùm res à possessore malæ fidei transit ad successorem ejus universalem seu hæredem : hæres enim aut legatarius, vel donatarius universalis, etiamsi bonâ fide successerint in hæreditatem sibi à possessore malæ fidei relictam, eam tamen nunquam præscribunt. Ratio afferri solet, quòd hæres ità personam defuncti repræsentet, ut fictione juris una sit cum ipso persona; adeòque & damna per eum illata resarcire debeat : qui autem damnum rei resarcire tenetur, multò minùs rem illam quantumvis diù possessam retinere potest.

Sed mala fides autoris successori particulari non nocet : potest enim is, si bonam fidem habeat, præscribere, non quidem prædecessoris sui possessionem computando, sed incipiendo præscriptionem à propriâ suâ possessione. Porrò nomine successoris par-

ticularis, ille intelligitur qui in re aliquâ particulari ſuccedit, quocumque titulo, ſive gratuito, ſive oneroſo, ſive ex teſtamento, ſive inter vivos, dummodò hæres non ſit, aut hæredis conditionem ſuſcipiens, prout eum ſuſcipiunt legatarius & donatarius univerſales.

§. III.

De bonâ fide ad præſcribendum requiſitâ.

Bona fides eſt perſuaſio quâ quis prudenter exiſtimat rem quam poſſidet eſſe ſuam, licèt fortè ſua non ſit; ut cùm quis abſque ullâ ſuſpicione emit equum quem neſcit furtivum eſſe. Hæc autem bona fides deeſſe poteſt, vel ab initio, vel in decurſu ſolùm præſcriptionis: quo in caſu quæritur an locum habeat præſcriptio.

Conclusio. Bona fides toto præſcriptionis tempore neceſſaria eſt.

Prob. 1°. tum ex reg. 2. Juris in 6. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit;* tùm ex Concilio Lateranenſi IV. ubi ſic: *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bonâ fide præſcriptio, tam canonica, quàm civilis.... unde oportet ut qui præſcribit, in nullâ temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.*

Prob. 2°. Si valeret præſcriptio cum malâ fide, poſſent ſimoniacus, uſurarius, & latro res ablatas & diu poſſeſſas retinere: Atqui illud eſt contra jus naturale, quod vetat nè cui fraus & dolus patrocinentur; Ergo.

Quæres 1°. quid ſentiendum ſit de legibus municipalibus quæ vetant nè mercenarii elapſo certo tempore, æqua laboribus ſuis ſtipendia repetere poſſint. R. Intentio hujuſmodi Legum non eſt ut qui certi ſunt ſe aliorum eſſe debitores, non ſolvant; hoc enim iniquum foret: ſed ut operarii, aliive in foro externo actionem non habeant, quod æquitati conſonum eſt: tum ut unuſquiſque ſollicitus ſit de poſtulando quod ſibi debitum eſt; tum ut ii quibus aliquid præſtitum *eſt operæ*, non ſubeant periculum *bis ſolvendi.*

Quæres 2°. an præscribat qui malam habet fidem, sed solùm ex ignorantiâ, quia falsò credit non licere sibi præscribere id quod possidet.

R. negat. quia Lex 31. *Si fur*, ff. *de usurpat.* decernit præscriptionem nullam esse in hypothesi prædictâ.

Quæres 3°. an dubium tollat bonam fidem.

R. vel dubium præcedit possessionem, vel possessioni bonâ fide inchoatæ supervenit. Si primum, fatentur omnes, bonam fidem eâ dubitatione impediri; nec proinde cum ipsâ præscriptionem inchoari posse. Quia non stat bona fides cum peccato : peccat autem qui apprehendit rem de quâ dubitat an sua sit.

Si secundum, credimus cum non paucis, eum qui dubium habet grave & probabile, an res quam possidet sua sit necne, eo ipso non habere bonam fidem, nec præscribere posse; ac proinde eum non posse rem totam retinere sibi, sed teneri vel dividere pro ratione dubii, vel aliquam cum altero compositionem inire, &c. Ratio est 1°. quia ad bonam fidem requiritur ut quis *quietè* & tranquillè judicet rem esse suam : sed in dubio fundato & probabili, non potest quietum hoc judicium efformari, sed vacillans tantummodò; Ergo 2°. Quia qui dubium grave & discretum habet, exponit se periculo rem alienam retinendi.

Nec nocet hæc juris regula : *In pari causâ potior est conditio possidentis*; nam regula hæc non dicit in pari causâ totum esse possidentis; sed in pari causâ meliorem esse conditionem possidentis. Porrò melior est conditio possidentis in nostrâ etiam opinione : 1°. quia qui possidet, non tenetur statim rem abdicare, sed etiam tandiu retinere potest, donec adhibitâ sufficienti diligentiâ, dignoscere possit, an sua sit, an alterius : 2°. quia ceteris æqualibus, majorem rei partem sibi retinere potest, cùm ex ipsâ suâ possessione jus quoddam habeat.

Quæres 4°. an & qui error impediat præscriptionem.

Certum est præscriptionem omnem fundari in aliquo errore ; fundatur enim in bonâ fide quâ per errorem existimas id esse tuum, quod tuum non est. Duplex autem est error : alter juris, cùm ignoratur ipsa lex ; ut si quis nesciat requiri autoritatem tutoris ut aliquid validè à pupillo accipiatur : alter *facti*, cùm lex quidem cognoscitur, sed ignoratur hoc factum huic esse legi contrarium ; ut si cognoscas illicitum esse aliquid emere à fure, sed nescias eum à quo emis, esse furem. His præmissis,

Dico 1°. Error vincibilis juris aut facti, impedit præscriptionem. Ratio est, quia reipsâ bonam fidem impedit : nemo enim censetur bonâ fide ignorare id quod scivisset de facto, si sufficientem diligentiam impendisset.

Dico 2°. Error inculpatus facti præscriptionem non impedit, sed facit. Patet id ex naturâ præscriptionis, quæ semper aliquid erroris supponit.

Dico 3°. Error etiam invincibilis juris clari & evidentis impedit præscriptionem ordinariam.

Prob. Quia vis præscriptionis ex Legum dispositione pendet : Atqui leges excludunt præscriptionem fundatam in ignorantiâ etiam invincibili juris. Ità colligunt Doctores ex Lib. 4. ff. *de juris & facti ignor.* quæ sic habet : *Juris ignorantia negatur in usucapione prodesse ; facti verò ignorantiam prodesse constat ;* Ergo qui aliquid usurario contractu acquisivit, quive munus accepit à Religioso, id præscribere nequit, etiamsi supponatur bonâ fide credidisse neutrum esse illicitum : atque id extendit Molina ad eos etiam, qui, ut milites, rustici, feminæ, ejus sunt conditionis in quâ error legum toleretur ; iis enim prodest quidem error, ut nec puniantur, nec in bonis suis detrimentum ferant, non autem ut resistente jure, alieni boni dominium comparent.

Dixi 1°. ignorantia *juris clari*, quia si jus verè dubium sit, currit præscriptio : quod licèt quidam negent, videtur tamen esse tutum ; tùm ob majoris doctorum partis consentionem, tùm quia lex dubia

non est verè lex quam claram esse oportet ex cap. 2. dist. 4.

Dixi 2°. *præscriptionem ordinariam*, quia communior Doctorum opinio tenet, eum qui ex invincibili juris errore quidpiam acquisiit, illud idem 30. annorum spatio præscribere : 1°. quia præscriptio hæc nullibi irritatur in jure; 2°. quia leges nequidem titulum requirunt ad præscriptionem extraordinariam.

§. IV.

De tempore ad præscribendum requisito.

Not. 1°. Rerum quæ præscribi possunt aliæ sunt *mobiles*, aliæ *immobiles*. Res mobiles eæ sunt quæ possunt loco moveri, ut animalia : ad res mobiles reducuntur debita mobilium, actiones ad ea obtinenda. Res immobiles eæ sunt quæ nequeunt loco moveri, ut ager, domus, &c. Ad res immobiles reducuntur eæ quæ in jure *incorporales* dicuntur, ut servitutes, jura & actiones ad immobilia, beneficia, census, reditus, jus patronatûs, ususfructus. Quædam tamen mobilia, fictione juris immobilia reputantur, ut cuniculi in garenâ, pisces in vivario.

Not. 2°. tempus quod sufficit ad præscribendam rem unius, non semper sufficere ad præscribendam rem alterius : Duplex enim est genus possessorum contra quos præscribitur. Alii sunt *privilegiati*, quorum bona non præscribuntur, nisi per tempus solito longius : tales sunt Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria, & Communitates Ecclesiasticæ. Alii non sunt privilegiati, contra quos, ut valeat præscriptio, sufficit tempus communi lege requisitum, & ii *privatorum* nomine exprimi solent.

Not. 3°. præscriptionem dividi in eam quæ est longi, & eam quæ est longissimi temporis. Prima est 20. annorum vel infrà : secunda est 30. annorum, & suprà. Illa requirit titulum coloratum, ut suprà dixi : hæc ordinariè non requirit, nisi in quibusdam casibus Jure expressis : sic Episcopus qui per

annos 40. Diœcesis alterius decimas possedit, non præscribit tamen sinè titulo, *nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat;* ex cap. 1. *de præscript.* in 6. Unde patet, supradictis præscriptionibus addi posse eam quæ est temporis immemorialis.

Not. 4°. plus aliquando, aliquando minùs temporis ad eandem rem præscribendam requiri; quia præscriptio nonnunquam dormit, aut interrumpitur. Præscriptio dicitur *dormire*, quando jam inchoata currere desinit; ità tamen ut finitâ causâ propter quam dormiebat, incipiat de novo currere sicut anteà, adeò ut posteriores anni cum prioribus jungantur, licèt ii non numerentur quibus dormivit. Præscriptio *interrumpitur*, quando postquam inchoata est ità cessat, ut si rursùs reviviscat, posteriores anni cum prioribus continuari non debeant.

Dormit præscriptio, 1°. tempore belli vel pestis, quando jus non dicitur, vel homines aliò diffugiunt; 2°. cùm Ecclesia caret Rectore, tunc enim cessat contra Ecclesiam; 3°. cùm is contra quem præscribitur non potest agere, qualis est pupillus durante pupillari ætate, absens ob publica regni negotia, captivus, &c.

Interrumpitur præscriptio, vel *naturaliter*, ut si possessor à rei possessione etiam per vim ejectus, intra annum non postulet restitui; vel *civiliter*, hoc est per actum juridicum, putà per litis contestationem. Si tamen actor rem non prosequatur, non interrumpitur præscriptio, quia qui litem spontè deserit, censetur ejus injustitiam agnovisse. His positis, sit

CONCLUSIO I. Res mobiles cum titulo per triennium usu capiuntur. Ità Justinianus, l. 2. tit. 6. Instit.

Conclusio extenditur etiam ad bona mobilia locorum Religiosorum & Ecclesiæ cujuslibet, etiam Romanæ, ex communi Doctorum sensu.

Dixi, *cum titulo*, quia res mobiles, sive privatorum sint, sive Ecclesiæ, non præscribuntur sinè titulo, nisi *spatio triginta annorum.*

Conclusio hæc in totâ ferè Galliâ obtinet : nisi quòd moribus Armoricæ quinquennalis exigitur præscriptio ; & Biturigum, 30. annorum spatium.

CONCLUSIO II. *Res immobiles* privatorum, *inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis* cum titulo *usucapiuntur* ordinariè. Instit. ibid.

Dixi 1°. *res immobiles privatorum ;* quia res immobiles Ecclesiæ Romanæ non præscribuntur nisi 100. annis ; alterius verò Ecclesiæ, nonnisi annis 40. quod etiam locum habet in Monasteriis, Hospitalibus, aliisque locis quibus bona pias ad causas relicta sunt, & id observatur in Galliâ. Nota quòd si contra privatum præsentem jam cucurrerint quinque anni, & res illius incipiat pertinere ad Ecclesiam particularem, sufficiant 2. anni ut contra eam compleatur præscriptio.

Dixi 2°. *decennio inter præsentes, &c.* Jure autem Gallico præsentes ii dicuntur, qui sunt sub unius aut Ballivi, aut Senescalli, ut vocant jurisdictione. Hinc patet quid intelligatur per absentes. Quòd si quis post transactos, v. g. annos quinque sub eâdem Jurisdictione, in aliam commorandi causâ transeat anni superstites duplicari debent : quia æquum non est ut quis habeatur tanquam præsens eo tempore quo reipsâ absens fuit.

Dixi 3°. *cum titulo ;* quia ad præscribendum sinè titulo requiruntur anni triginta.

Dixi 4°. *ordinariè*, quia quædam sunt exceptiones : sic Beneficium Ecclesiasticum per tres annos à pacifico possessore titulum coloratum habente, præscribitur. Sed de his sicut & de plerisque casibus qui in hâc materiâ pullulant, videndi locorum usus qui non omnes inter se conveniunt.

Quæres an detur remedium aliquod adversùs præscriptionem.

R. dari, scilicet *restitutionem in integrum*, quâ tribuitur alicui potestas suam sibi rem vindicandi. Conceditur autem, 1°. minoribus, id est iis qui nondum annum 25. expleverunt ; iis nempè in locis

in quibus præscriptio contra eos currit; 2°. Ecclesiis & piis locis, etiam si præscriptio sit 40. annorum; quia Ecclesia est instar pupilli & minoris; 3°. majoribus; non quidem in præscriptione 30. aut 40. annorum, sed in præscriptione 10. aut 20. annorum: modo probent præscriptionem, aut omninò sinè suâ negligentiâ, aut cum probabili suâ ignorantiâ fuisse peractam.

PUNCTUM QUARTUM.

De ceteris acquirendi Dominii modis.

PLures insuper sunt modi quibus dominium comparari possit: præcipui sunt alluvio, specificatio, accessio, confusio, commixtio, & ædificatio, de quibus secundùm Gallicum Jus & Romanum loquemur.

Alluvio est *incrementum latens*, seu insensibile, quod flumen ex uno prædio detrahit, & alteri paulatim adjicit. Incrementum hoc ad eum cujus fundo adjicitur, pertinet etiam in Galliâ. Sed si repentina *vis fluminis, de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit* (quo casu dicitur *incrementum patens*) *palam est eam tuam permanere.* Incrementa hæc, si magna sint & à nemine repetantur, censentur Regis in Galliâ.

Inst. lib. 2. tit. 1. n. 20.

Ibid. 21.

Specificatio est *cùm ex alienâ materiâ*, quoddam opus *confectum est ab aliquo: ut si quis ex alienis uvis, vinum fecerit, aut ex alieno auro, vas aliquod fecerit. Quæri verò solet, quis eorum dominus sit: utrùm is qui fecerit, an potiùs ille qui materiæ dominus fuerit.* Circa quod, nisi aliud ferat consuetudo loci, hæc regula statuenda videtur, ut quoties specificatio facilis est, & quasi sinè arte, ità ut rei substantia laborem superet, res ei cedere debeat, cujus est substantia: secùs si opus materiam superet, ridiculum enim est *picturam Apellis in accessionem vilissimæ tabellæ cedere.* Tunc tamen pictor priori domino tenetur de damno tabellæ.

Ibid. 25.

Ibid. 34.

Accessio est cùm quid ornatûs causâ adjicitur rei alterius ; ut si quis alienam domum pinxerit : & tunc accessio ejus est qui rei dominus erat ; quia *accessorium sequi congruit naturam principalis.* Si tamen ornamentum, rem cui adjectum est, pretio longè superaret, ut diximus de picturâ Appellis, ornamentum haberetur pro principali, & pertineret ad artificem.

Ibid. n. 7.

Commixtio & confusio, eo differunt, quòd quæ confusa sunt novam pariunt speciem : sic ex vino & melle confusis, efficitur nova species quam mulsum dicunt ; mixta verò eandem servant speciem, ut grana tritici, vel oves. De iis statuuntur regulæ sequentes. Prima : separari debent, quæ separari possunt, ut oves. Secunda : si separari non possunt, ut mel & vinum semel confusa, seu casu fortuito, seu ex utriusque domini consensu confusa fuerint, tunc quod resultat, utrique commune fit, pro ratâ materiæ.

Ibid. n. 9. & 30.

Ædificatio dupliciter fieri potest, vel *ex alienâ materiâ, in suo solo ; vel ex suâ materiâ in solo alieno.* Si primum : valet in nostro, sicut & in Romano Jure hæc regula, *Ædificium semper solo cedit.*

Quòd si quis alienâ materiâ usus sit bonâ fide, non tenetur, nisi ad solvendam ejus æstimationem ; si verò malâ fide, tenetur insuper de omni, ut aïunt, interesse, de lucro cessante, &c. Si secundum : vel qui ædificavit, ignorabat se alieno in solo ædificare, & tunc jus habet materiæ & artificii pretium repetendi ; vel non ignorabat se in alieno fundo ædificare, & tunc in Galliâ contra Romanis Juris dispositionem potest adhuc exigere materiæ & impensarum pretium, nisi justâ de causâ velit dominus ut solum suum priori statui restituatur, ut aliquando contingit, cùm quis intra annum & diem ædificia minùs necessaria constituit in fundo unde retractu gentilitio extruditur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De reliquis ſpeciebus Juris.

INter alias juris ſpecies numerantur uſusfructus, uſus, habitatio, emphyteutis, feudum, libellus, ſuperficies, ſervitus, pignus & hypotheca, quibus affinis eſt poſſeſſio.

Uſusfructus definitur : *Jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalvâ rerum ſubſtantiâ.* Inſtit. Lib. 2. tit. 4.

USUS FRUCTUS

Dicitur 1°. *Jus* : neque enim hîc loquimur de uſu actuali, quem Juriſperiti uſum *facti* vocant; 2°. *utendi* : ut diſtinguatur à jure quod habet creditor in re ſibi oppigneratâ, aut depoſitarius in depoſito; hi enim ſi rebus illis domino invito utantur, tenentur ad reſtituendam æſtimationem uſûs; 3°. *fruendi* : & ſic diſtinguitur uſusfructus à mero uſu. Nam ſimplex uſuarius habet ſolummodò uſum rei, v. g. equi, domûs, agri, ſylvæ, *ad neceſſitatem quotidianam*, unde ſuperfluos fructus vendere, *jus quod habet, alii locare, vendere aut gratis cedere non poteſt* : *cùm is qui uſumfructum habet, poſſit hæc omnia facere.* Inſtit. ibid. tit. 5.

Leg. 12. § De uſu.

Hic duo notanda : 1°. fructus maturos, quos antequam collegerit, moritur uſusfructuarius, non pertinere ad hæredes fructuarii, ſed ad proprietarium rei. Sed viciſſim, *ſi pendentes fructus jam maturos reliquiſſet teſtator, fructuarius eos feret.... nam & ſtantes fructus, ipſo facto ad fructuarium pertinent.* In his tamen videndum quid ferat conventio quâ quis uſusfructuarius conſtitutus eſt. Sic in Beneficiis fructus ultimi anni, annum à menſe Januario, ut moris eſt, inchoando, ſucceſſorem inter & titularis hæredes dividuntur pro ratâ temporis quo poſt inchoatum annum vixit titularis. Unde ſi Beneficiarius ſub finem menſis Martii decedat, quarta pars fructuum *ſtantium* ad hæredes ejus pertinet; tertia verò, ſi ſub *Aprilis finem mortuus ſit.*

2°. Non solùm in fructu esse immobilia, fundum v. g. & ædes; sed etiam mobilia, putà gregem, cujus lana, lac & fœtus percipi possunt. Hinc in Jure, silva cædua, apes, seminaria plantarum, statuæ & alia id genus, in usumfructum relinqui posse dicuntur.

Dicitur 4°. *rebus alienis*; usufructus enim est servitus, quæ nonnisi in re alienâ constitui potest.

Dicitur 5°. *salvâ rerum substantiâ*; quia ususfructuarius rem integram proprietario reservare debet. Porrò ut salva maneat rei substantia, quædam sunt onera fructuarii.

1°. Enim *si gregis usumfructum habeat in locum capitum demortuorum*, alia capita, *è fœtu* quem recepit, *submittere debet*, Instit. *De rer. divis.* §. 38. Si tamen singulorum capitum divisim, non gregis collectivè sumpti usumfructum habuerit, non tenetur ad alia substituenda capita in locum eorum quæ perierint. Idem dicendum si pecus ejus sit naturæ ut prolem non habeat.

2°. Qui vineæ aut silvæ usumfructum habet, *in locum demortuarum arborum* aut vitium, alias plantare tenetur: & tunc *priores* quæ mortuæ sunt *ad fructuarium pertinent.* Leg. 18. ff. *de usufr. Arbores verò vi tempestatis, non culpâ fructuarii eversas, ab eo substitui non placet*, ait Lex 59. eod. Verùm arbores istæ non cedunt fructuario, sed proprietario, qui eas impensis suis tollere tenetur. Si tamen eversæ arbores ad villæ refectionem necessariæ sint, iis uti poterit fructuarius.

3°. Qui domûs usumfructum habet, tenetur modicas reparationes de suo præstare, nè pereat rei substantia; non tamen majores; neque etiam ædes, si vetustate corruerint, reficere tenetur. Imò quamvis rem possit facere meliorem, qualitatem ejus immutare prohibetur: unde ei ædes altiùs tollere non licet.

Ususfructus dupliciter acquiritur: 1°. dispositione Legis, & tunc dicitur *Legalis*: talis ille est quem *pater* Jure Romano habet in adventitio peculio filii

sub

sub potestate suâ constitui; 2°. Hominum voluntate, putà testamento, venditione, &c. & hic dicitur *conventionalis*.

Finitur autem usufructus, 1°. per mortem usufructuarii; 2°. si res, v. g. domus in quâ constitutus est pereat. Quòd si ea reficiatur, non reviviscet usufructus; 3°. si fructuarius tanto tempore jure suo non utatur, quanto opus est ut dominus directus contra eum præscribat; 4°. si usufructus *domino proprietatis ab usufructuario cedatur*, (*nam cedendo extraneo nihil agitur*) *vel ex contrario, si usufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio appellatur*; 5°. si ad certum tempus vel ex lege, vel ex conventione constitutus sit, eo enim exacto finitur.

Institut ibid. n. 3.

In Gallia extinguitur usufructus, morte etiam civili. Civiliter autem moriuntur, 1°. qui peremptorio & ultimo judicio ad mortem damnati sunt; 2°. qui carceri perpetuo, itèm qui triremibus, exiliove in perpetuum & ultrà 9. annos mulctantur; 3°. qui solemnia Religionis vota emittunt: quidquid enim eorum est, hæredibus cedit, non Monasterio.

Usus.

Usus est jus utendi tantùm re alienâ in usum proprium, salvâ ejus substantiâ: unde multò minùs competit juris usuario, quàm fructuario. Nam qui merum habet usum domûs, vix *hospitem recipere* potest, neque alii jus suum cedere valet: qui usum habet fundi, oleribus, pomis, fœno, lignis uti potest, sed non nisi ad proprium usum: qui denique ovium usum haberet, iis solùm uti posset ad stercorandum agrum, non tamen uti agnis, lacte, vel lanâ, quia hæc sunt in fructu. Plura verò potest fructuarius, ut patet ex dictis.

Instit. l. 2. t. 5.

Dixi, *salvâ substantiâ*; quia usuarius, sicut & fructuarius, rem integram domino directo conservare debet: unde si cui legaretur usus vini vel panis, non tam videretur ei tribui usus quàm dominium; *quia rei substantia ipso* ejus usu destruitur

Atque hinc oritur quæstio, quæ olim inter Franciscanos magno animorum æstu agitata fuit, an in rebus quæ usu consumuntur, possit usus à dominio distingui; adeò ut possit Minorita uti vino ad bibendum, pecuniâ ad emendum, absque vero ejusdem vini aut pecuniæ dominio; quâ de re sit

CONCLUSIO. In iis etiam rebus quæ usu consumuntur, dominium ab usu separari potest.

Prob. 1°. ut usus in iis etiam rebus quæ per usum pereunt, à dominio distinguatur, sufficit ut possit quis earum usum concedere, non concesso dominio; Atqui hoc non repugnat. Potest enim quis alteri tradere facultatem re suâ utendi, sed eâ lege ut quoties voluerit, facultatem hanc revocet: tunc autem qui usum habebit, non habebit dominium cùm ille verè dominus remaneat, qui rem suam ad se pro nutu revocare potest; Ergo.

Prob. 2°. Conviva habet usum ciborum sibi appositorum: Atqui tamen eorum dominus non est semper enim prohiberi potest ab eo qui ipsum invitavit, isque cibos jam mensæ impositos, removere, aut pauperibus largiri potest.

Prob. 3°. Dominium rei non habet, nisi qui vul illud acceptare: Atqui Minores acceptare nolunt dominium rerum quæ sibi dantur, sed usum duntaxa pro dantis aut alterius nutu revocabilem.

Obj. 1°. Qui re per usum consumptibili uti potest, eo ipso potestatem habet ejusdem destruendæ Ergo & ejus dominium habet.

R. neg. conf. Non enim satis est ad dominium ut rem destruere possit; sed insuper requiritur ut e rei destruendæ potestas non pendeat ab alio, ad cujus nutum revocari possit: Atqui Minoritæ re sil certos in usus concessâ non utuntur, nisi dependenter à volunrate alterius, &c.

Obj. 2°. Usus est facultas aliquâ re utendi salv ejus substantiâ: Atqui nemo potest uti re usu consumptibili, salvâ ejus substantiâ; Ergo res consumptibilis, usum non habet à dominio distinctum.

R. Majorem esse veram de usu, prout in jure civili accipitur, quia Jurisperiti de usu differunt, prout versatur circa res quæ ipso usu non consumuntur: at si jus metaphysicè accipiatur, strictiùs definiri potest, Actus, vel facultas utendi re alienâ, ad nutum illius ad quem pertinet ea res.

Habitatio definiri solet, Jus habitandi in alienis ædibus, salvâ earum substantiâ.

HABITATIO.

Habitatio domûs in Jure etiam Gallico distinguitur ab usu domûs: qui enim solum domûs usum habet, eam per se habitare tenetur; qui verò jus habitationis habet, *non solùm in* domo *per se* degere, *sed etiam aliis* eam *locare* potest.

Instit. lib. 2. *tit.* 5. *n.* 5.

Jus habitationis perdurat totâ legatarii vitâ, nisi aliter conventum sit. Si marito concessum sit, extenditur ad uxorem, filios, domesticos; neque enim seorsim ab iis vivere præsumitur. Idèm dicendum si uxori concessum sit, aut viduæ (modò non à priori marito) quæ ad ulteriores nuptias transvolet: sed si legata marito pars domûs, toti ejus familiæ non sufficiat, non ideo alias domûs partes sibi non legatas poterit occupare.

EMPHYTEUSIS.

Emphyteusis quæ sic dicta est à meliorando, est contractus quo res immobilis possidenda & fruenda alicui traditur, eâ lege ut pensio annua inde domino directo præstetur. Hæc pensio quæ dicitur *Canon*, modica esse debet, prout emphyteuta plus aut minùs ad meliorationem tenetur. Emphyteuta pensionis remissionem exigere nequit, eo prætextu quòd toto sterili anno, nihil collegerit; imò si rei emphyteuticæ pars aquis abrepta, aut aliter perierit; quod residuum est integram, ut antè, pensionem debet; sed in eo casu emphyteuta à contractu resilire potest.

Quæres 1°. an rejici possit emphyteuta qui pactam pensionem non solvit. R. posse expelli, si pro Ecclesiasticâ emphyteusi per biennium, pro seculari per totum triennium non solverit: sed expulsionem *hanc per Judicem*, *partibus* vocatis, de-

cerni oportet. Expulsus autem Emphyteuta, impensas quas in meloriando fundo posuit, repetere non potest: debet tamen Judex habitâ meliorationum ratione, congruam dilationem emphyteutæ concedere, ut vel solvere, vel emphyteusim suam aliis vendere possit, quod sinè consensu domini facere potest.

Quæres 2°. an emphyteuta fundum, quo voluerit modo, meliorare possit. R. negat. Soli enim faciem immutare non debet; unde non licèt agros in silvas, aut silvas in arationes vertere; si tamen emphyteuta fœno, pascuis, ligno indigeret, aut Baccho magis quàm Cereri opportuna esset tellus, tunc vetitæ non essent eæ mutationes.

UDUM. Feudum est contractus, quo rei immobilis dominium utile, alicui sub fidei & obsequii conditione traditur à domino rei ejusdem proprietatem retinente. Qui tradit, dicitur *infeudator*, qui accipit, *vasallus*, aut *feudatarius* : res data, *feudum* ; ejusque proprietas ad vasallum magis quàm ad dominum nunc pertinere censetur.

Jura domino à vasallis præstanda, alia sunt honorifica ut fidelitas, *foi & hommage*; alia utilia, quæ consistunt in quibusdam emolumentis. Jura dominis in singulis mutationibus debita, gallicè *lods & ventes*, à die initi contructûs, verè & ex justitiâ debentur: unde qui rem feudalem vendit aut emit, (sunt enim eâ de re variæ consuetudines) ea in conscientiâ solvere tenetur, etiam non requisitus.

BELLUS. Libellus est contractus quo emphyteuta, aut vasallus rem suam emphyteuticam, aut feudalem, cedit tertio in emphyteusim aut feudum.

JPERFI-S. Superficies est jus quo quis alicui soli superficiem possidet, & in eo ædificare potest. Qui hoc jus habet, habet dominium utile domûs superficiariæ, cujus proprietas penès dominum loci remanet.

ERVI-S. Servitus sumpta activè, est jus quod quis habet in re alterius, ut sibi aut rei suæ serviat. Servitus passivè sumpta est ipsa rei subjectio in commodum alterius.

Servitus dividitur 1°. in *realem* & *personalem*. Realis ea est per quam res rei servit, ut domus domui cujus stillantes aquas excipit. Personalis ea est, quà res personæ obligatur, vel persona rei; res quidem, ut si jus habeam non propter agrum, sed aliunde, hac transeundi: persona verò rei, ut si Titius agrum meum excolere debeat. Ususfructus, usus & habitatio sunt propriè servitutes personales.

2°. Servitus realis dividitur in *urbanam*, & *rusticam*. Urbana ea est quæ urbano prædio debetur; rustica quæ prædio rustico debita est. Sed nota urbani prædii nomine, intelligi, quodcumque ædificium à patre-familias habitandum, sive sit in urbe, sive in villis & in vicis, & hortum amœnitatis causâ annexum: per prædium verò rusticum intelligi prædium omne distinctum ab humano habitaculo, appendicèque illius horto amœno. Hinc ager, stabula, horrea ab hominis habitaculo separata, prædium rusticum constituunt, etiamsi in urbibus sita sint.

Urbanorum prædiorum servitutes & *jura talia sunt: altiùs tollendi* ædificii, *& officiendi luminibus vicini, aut non extollendi: itèm stillicidium avertendi in tectum vel arcam vicini, aut non avertendi: itèm immittendi ligna in parietem vicini.*

Instit. l. 2. *tit.* 3

Servitus rusticorum prædiorum sunt iter, actus, via, aquæductus; dicunturque servitutes *nominatæ*.

L. 1. De servi prædior. rustic.

Iter est jus quo quis pedes aut eques per alterius fundum transire aut ambulare potest: qui solùm itineris jus habet, etsi jumento vehi potest, jumentum tamen agere non potest ante se. Actus, est jus agendi jumentum aut vehiculum. Via, utrumque itineris & actûs jus complectitur; adeoque est jus eundi, & agendi jumentum & vehiculum. Aquæductus est jus aquam ducendi per alienum fundum, sive canalibus, sive rivo per alterius terram depresso, quo aqua decurrat.

Servitutes rusticæ quæ *innominatæ* dicuntur, sunt, aquæ haustus, jus pascendi pecoris, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, &c.

Quæres, quibus modis servitus acquiratur.

R. servitutes alias esse quæ alicui liberè conce duntur, & eæ comparantur ut alia quæcumque bona putà venditione, &c. alias quæ necessariò const tuuntur: ut *si quis sepulchrum habeat, viam aute ad sepulchrum non habeat;* is enim Judicis ope vicinum cogere potest, ut justo pretio iter sibi præ tet ad sepulchrum.

L. 12. ff. de elig.

Omnes servitutes præscribuntur *decennio cont præsentes, vel viginti spatio annorum contra absen tes.* Leg. 13. Cod. *de servit.* In Galliâ consulen sunt locorum usus; nam v. g. in consuetudine Pa risiensi, *nulla est servitutum præscriptio sine titulo* unde, sivè ruri sive in urbe, nequidem post an nos centum servitutem præscripseris, nisi titulu exhibeas.

Servitus finitur non præscriptione solùm, sed contrariis pactis; itèm reductione prædii ad dom num cui serviebat, aut destructione rei quæ serv tuti occasionem dederat. Sic si aruerit fons, in qu ut aquam haurires, per fundum meum transire p teras, jam hàc transire non poteris: at reviviscen fonte, reviviscet jus tuum, etiamsi elapsum fuiss tempus præscribendi.

CAPUT TERTIUM.

De Restitutione in genere.

OBligationem restituendi parit injustitia, qu definitur alieni juris violatio, & quæ proinc volenti inferri non potest, cùm implicet lædi ju illius qui volens jure suo cedit, si tamen cede non prohibetur; unde qui Clericum percutit voler tem, subjacet censuræ, quia Ecclesia ob honore suî totius, vetat nè Clerici etiam volentes cont meliâ afficiantur.

Restitutio definiri potest, Redditio rei debit

vel in se, vel in æquivalenti. Est quidem 1°. redditio, ac proinde actus justitiæ commutativæ, quo constituitur æqualitas rei ad rem, inter jus personæ & rem quæ personæ illi redditur; 2°. est redditio *rei debitæ*: seu res debeatur ex injuriâ, furto, v. g. vel rapinâ: seu debita sit alio titulo, depositi v. g. commodati, &c. 3°. est redditio *in se vel in æquivalenti*: quia restitutio fieri potest absque eo quòd reddatur, aut reddi possit illud numero bonum quod alteri ablatum est; ut si pecuniæ summam ei conferas cujus bovem occidisti. Ut restitutio fiat æquivalenter, lucrum cessans & damnum emergens compensari debent, ut ex dicendis constabit.

Restitutio differt tum à satisfactione, tum à solutione; à satisfactione quidem, quia satisfactio est injuriæ alicui illatæ reparatio, eò major quò dignior est persona offensa: restitutio autem neque necessariò supponit injuriam, ut patet in redditione mutui; neque respicit personam, sed rem, unde major esse non debet restitutio quæ fit nobili quàm quæ plebeio. A solutione verò, 1°. quia solutio supponit rem quæ solvitur diversam esse ab eâ pro quâ solvitur; restitutio verò ejusdem rei esse potest; 2°. quia solvi dicitur quod debetur, ex voto & juramento, non dicitur verò restitui; è contrario, depositum dicitur restitui, non verò solvi.

His præsuppositis videndum an necessaria sit restitutio, quæ ejus radices, quâ ex culpâ oriatur, qui ad eam teneantur, quo ordine facienda, quinam demum ab eâ immunes sint.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate Restitutionis, ejusque radicibus.

CONCLUSIO. Restitutio in re aut in voto necessaria est ad salutem.

Prob. 1°. ex Scripturâ. Ezech. 33. *Si impius fecerit judicium & justitiam, & pignus restituerit*,

rapinamque reddiderit... vitâ vivet, & non morietur. Jacobi 5. *Merces operariorum.... quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Unde sic : illud est ad salutem necessarium, cujus omissio mortem infert animæ, & severam à Domino vindictam expectare debet : Atqui ex citatis textibus restitutionis omissio infert mortem animæ, &c. Hinc notum illud S. Augustini Epist. 54. *Si res aliena propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur : si autem veraciter agitur, non remmittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.... cùm restitui potest.*

Prob. 2°. ratione. Omissio restitutionis est virtualiter furtum, est enim acceptio rei alienæ continuata : Atqui fur salvari non potest ; Ergo nec qui rem alienam non restituit.

Dixi, restitutio *in re, aut in voto,* quia ei qui restituere non potest, satis est ut sincerum habeat propositum restituendi cùm poterit.

Obj. 1°. Qui rem habet alienam, domino consentiente, aut irrationābiliter invito, non tenetur ad ejus restitutionem : Atqui dominus consentit aut consentire debet, ut res sibi ablata retineatur à fure ; alioqui præferret rem temporalem æternæ alterius saluti, quæ periclitabitur nisi consentiat ut alter rem illam sibi retineat.

R. ad 1. neg. min. Si enim valeat pia hæc subtilitas, jam unusquisque rem alterius invadere poterit ; nemini etiam in judicio opes suas defendere licitum erit, nè fortè fratris sui animam peccato exponat. Apage novum caritatis genus.

Ad 2. dico nos non teneri spirituale proximi bonum bono nostro corporali anteferre, nisi cùm proximus in gravi aut extremâ constitutus est necessitate, à quâ liberari nequit, nisi per boni nostri jacturam. At cùm homo animæ periculum non nisi propriâ voluntate subit, aliter ratiocinandum est ; alioqui melior esset furium quàm virorum frugi conditio.

Obj. 2°. Rachel, Genes. 31. furata est idola patris sui: David, I. Reg. 27. legitur oves & boves abstulisse: Atqui nec Rachel nec David leguntur restituisse; Ergo.

R. 1°. Nec sancta fuisse omnia quæ fecerunt viri sancti, nec scripta fuisse omnia eorum pœnitentiæ opera: fieri ergo potuit ut restituerint, & hoc Scriptura non expresserit.

2°. Quod spectat ad Rachelem, multi eam accusant furti domestici, & ità sensisse videtur ipse Jacob cùm ad Laban dixit: *Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris*, Alii verò existimant potuisse Rachelem jure compensationis auferre idola Laban, qui debitam filiabus suis dotem denegaverat, ut patet ex v. 14. ibid.

Quod pertinet ad Davidem, abstulit ille pecora eorum quos Deus occidi jusserat: quibus autem eripi vita potest, iis & bona eripi possunt.

Quæres. 1°: an præceptum restituendi, affirmativum sit, an negativum. R. cum S. Thomâ, q. 62. art. 8. ad 1. *Præceptum de restitutione faciendâ, quamvis secundùm formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Hæc autem negativi præcepti ratio est quid primarii in præcepto restitutionis: primariò enim vetamur retinere alienum, tum deinde ex consequenti illud restituere jubemur.

Hinc colliges 1°. præceptum restituendi obligare *ad statim*, sive agatur de animi præparatione, quia qui novit se rem alterius habere, statim animum habere debet ejusdem quamprimùm restituendæ; sive agatur de ipsâ executione. Illud tamen *statim*, non mathematicè accipiendum est, quasi consistat in indivisibili, sed moraliter: moraliter autem id censetur statim fieri quod fit cùm commodè fieri potest. Et verò dominus rationabiliter invitus non erit, si quis per levem moram, restitutionem differat.

Colliges 2°. hominem qui non restituit, cùm potest, *semper peccare*. Docet tamen Sylvius pec-

catum hoc unum esse & idem, nisi expressè ve tacitè renovetur propositum non restituendi: expressè quidem, ut si positivè statuas alienum detinere; tacitè verò, ut cùm advertis aut facilè advertere potes te alienum retinere, nec tamen proponis restituere. In hâc autem continuatione gravitas peccati semper crescit, tum ratione damni quod diutiùs sustinere cogitur verus rei dominus: tum quia ipsa detentionis, imò & injustæ voluntatis diuturnitas potest esse circumstantia notabiliter aggravans. Unde debet pœnitens aperire, 1°. à quo tempore rem alterius detineat; 2°. an eam semper restituere potuerit; 3°. an voluntatem ejus retinendæ pluries iteraverit.

Colliges 3°. negandam esse absolutionem pœnitentibus restitutioni obnoxiis; 1°. cùm firmum non habent restituendi propositum, quo carere prudenter judicantur qui media ad comparandam restituendi facultatem necessaria non adhibent.

2°. Etiam in periculo mortis, cùm restitutionem quam per se possunt, hæredibus faciendam committunt. Et hoc præcipuè locum habet in Magnatibus, quorum testamenta vix unquam implentur ab hæredibus, qui satis se facere putant, si quam restitutionem avus patri, & sibi pater præcepit, hanc ipsi posteris suis, novis onustam debitis commendent.

3°. Cùm toti solvendo pares, non nisi partem restituunt, sub eo prætextu quòd dominus, utpotè dives, nihil ex hâc dilatione patiatur detrimenti: peccas enim eo ipso quo alienum rapis, sive dominus inde damnum patiatur, sive non: crescit tamen peccatum crescente proximi damno.

4°. Cùm jam in aliis confessionibus polliciti se restituturos, necdum tamen promissis steterunt, quia æquum non est ut habeatur fides mendaci, nisi fortè, ait Sylvius, evidentia sinceritatis indicia præ se ferat, quibus absque ullà erroris formidine vir sapiens fidem habere queat.

Quæres 2°. quandonam censeatur non perseve-

vare virtualiter propositum detinendi rem alienam. R. hos vulgò assignari casus, 1°. cùm detentor contritionis actum elicit, & rem quam detinet restituere sibi proponit. Videndum tamen an non illusorius sit ille contritionis actus : *à fructibus eorum cognoscetis eos;* 2°. cùm rei alienæ detentio desinit esse peccatum, v. g. quia detentor factus est impotens ad reddendum; sed & videndum, an non ità mente sit affectus, ut etiamsi possit restituere, nolit.

Quæres 3°. quot sint restitutionis radices.

R. Quatuor assignari posse; scilicet injustam acceptionem; injustam detentionem; injustam damnificationem, ac denique contractum aut quasi contractum.

Injusta acceptio est cùm res aliena domino rationabiliter invito usurpatur.

Injusta detentio est cùm aliquis rem alterius iniquè retinet, quod contingere potest absque injustâ acceptione, ut si meas inter gemmas, alterius gemmam quam sinè advertentiâ collegi, detexero, eamque restituere nolim.

Injusta damnificatio, cùm cuipiam infertur damnum absque ullà rei ejus acceptione, aut detentione : ut cùm quis alterius ædes succendit, vel dolosè impedit nè bonum aliquod obtineat.

His titulis addi potest quartus, nimirum ratio contractûs expliciti aut impliciti. Sic tenetur ad restituendum, qui pecuniam mutuo acceptam, fortuito casu amisit : sic ei restitui debet qui alterius absentis negotia spontè & utiliter gessit, aliquid pretio æstimabile pro illis impendendo, ut si flammam à domo ejus removerit.

Porrò plurimi interest scire quo ex titulo teneatur quis ad restituendum. Si enim tenetur quia rem alterius iniquè possidet, perseverat restituendi obligatio, re etiam destructâ vel sublatâ; licèt non inde ditior factus sit; qui iniqua damnificatio fundat restitutionis obligationem quæ subsistit, donec realis *ponatur damni reparatio. Si verò* teneatur ad resti-

tuendum absque præviâ injustitiâ, tunc si absque ipsius culpâ pereat res quam restituere debebat, non tenetur, nisi quantum ex eâ factus est ditior; quia totum obligationis ejus fundamentum inde est, quòd habeat rem alterius vel in se, vel in aliquo quod ei succedat. Est autem differentia inter rem ipsam secundùm se, & id quod loco ejus succedit, quòd res ipsa semper clamet domino, eique secundùm se debeatur quandiu superest, excepto præscriptionis casu; id verò quod lucro rei succedit, tunc solùm domino debetur, quando & quantùm bonæ fidei possessor factus est locupletior. Ut autem hæc meliùs intelligantur, videndum est an non aliquando ad restituendum teneatur quis absque ullâ culpâ, &c.

ARTICULUS SECUNDUS

De culpâ Restitutionis obligationem pariente.

CUlpa duplex hîc distinguitur: alia *theologica*, quæ est peccatum mortale vel veniale; alia *juridica*, quæ est omissio alicujus diligentiæ per ignorantiam, incuriam aut inadvertentiam, ex quâ alicui damnum creatur: non refert autem an omissio hæc peccatum sit, necne.

Culpa juridica triplex, lata, levis, & levissima; quibus addunt alicui latissimam & latiorem.

Culpa *latissima* est diligentiæ, quam ceteri adhibere solent, omissio damnosa, eâ intentione ut alter damno afficiatur. Talis est culpa militis excubias agentis, qui dormit aut dormire fingit ut faciliorem hosti accessum præbeat. Hæc culpa grande est peccatum, & verus dolus. Dolus autem est quævis machinatio ad decipiendum.

Culpa *latior* est dolus præsumptus: ut si sciens & valens impedire, non impediam tamen quominus v. g. fur rem apud me depositam auferat.

Culpa *lata* est omissio diligentiæ quam prudentes *ejusdem conditionis homines*, in ejusmodi rebus,

adhibere solent. Talis est negligentia ancillæ quæ domûs januam claudere vesperè neglexit.

Culpa *levis* est omissio diligentiæ quam adhibent diligentiores. Talis est culpa illius qui librum relinquit in cubiculo quod seris non occluserat, aut qui servum admisit probitatis non satis notæ.

Culpa *levissima* est omissio diligentiæ quam solertissimi in rebus ejusdem naturæ adhibent; qualis est illius qui cubiculum clausit, sed non probavit manu pulsando, an bene clausum esset.

Ex his multa sunt quæ sinè ullo peccato contingere possunt, putà ex oblivione naturali, &c.

His positis videndum est quâ ex culpâ nascatur restituendi obligatio : sed antequam id præstetur, sedulò est observandum non eandem esse rerum omnium quæ alicujus culpâ pereunt, conditionem. Quædam enim non supponunt contractum, ut si bestia tua de se stabulum meum ingressa, ibi cum meis subrepta fuerit. Quædam supponunt contractum, aut quasi contractum. Contractus autem vel transfert dominium, ut emptio & mutuum; vel non transfert, ut locatum & depositum. Insuper contractus vel cedit in utilitatem solius recipientis, ut commodatum; vel in utilitatem solius dantis, ut depositum; vel in utilitatem utriusque, ut locatum. Quasi contractus sunt negotiorum alienorum gestio, tutela, cura, officium Judicis, Advocati, Medici, &c. Sit nunc

CONCLUSIO I. Ad inducendam restitutionis obligationem sufficit & requiritur culpa theologica venialis adversùs justitiam commutativam, extra casum contractûs aut quasi contractûs.

Prob. 1. pars * 1°. ex cap. 9. *de injuriis*, ubi sic : *Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus, opem fortè tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentiâ evenerunt, jure super his te satisfacere oportet :* Atqui per peccatum etiam veniale, alicui injuria etiam formalis inferri potest. Nam *infertur formaliter* injuria ab eo, qui

ſciens & volens jus alterius lædit: Atqui venialiter peccando lædit quis jus alterius ſciens & volens; Ergo.

† † 2°. Quia ſi venialis culpa non ſufficeret ad inducendam reſtituendi obligationem, nullum eſſet veniale furtum; nulla reſtituendi lex eis imponenda qui per minuta furta magnam pecuniæ quantitatem congeſſiſſent; quod abſurdum eſt.

Prob. 2. pars, quòd nimirum ſecluſo contractu requiratur culpa theologica. Quia non tenetur quis ad reſtituendum, niſi ratione alicujus ex radicibus reſtitutionis quæ ſuprà recenſitæ ſunt: Atqui ubi deeſt tum contractus, tum culpa quævis theologica, deeſt omnis radix quæ reſtitutionis obligationem parere poſſit. Nulla enim eſt rei acceptio, detentio, aut damnificatio formaliter iniqua, cùm abſit omne peccatum; nullus quoque eſt contractus aut quaſi contractus, ex hypotheſi; Ergo.

Sup. 59.

Obj. 1°. Sanciunt Romanæ & Gallicæ leges, ut animal quod alicui damnum ſinè domini ſui culpâ intulit, ab eo qui damnum paſſus eſt occupari & retineri poſſit, niſi malit dominus feræ damnum totum reparare; Ergo.

Inſtit. l. 10. *tit.* 9.

R. 1°. Caſus iſte unicus eſt & ſingularis, adeòque eſt exceptio firmans regulam; 2°. ea lex, juxta Theologos multos, non obligat in conſcientiâ ante ſententiam Judicis. Unde non videtur dominus peccare, ſi neque reſtituat, neque animal dedat, ſed occultet; quando neque lata eſt contra ipſum ſententia; nec quidquam omiſit eorum, quæ neceſſaria erant ut proximi damnum averteretur.

Obj. 2°. Jure naturali qui poſuit inæqualitatem, tenetur eam reparare; ſed qui alteri damnum intulit, etiam ſinè culpâ, poſuit inæqualitatem.

Inſtit l. 10. *tit.* 9.

R. neg. maj generaliter intellectam. Ea enim ſolùm inæqualitas eſt neceſſariò reparanda, quæ eſt formaliter injurioſa, non autem quæ naſcitur ex caſu fortuito extra contractum. Neque hoc durum *videri debet* domino qui damnum ſenſit, tum quia

nosse debet neminem sinè culpâ puniri debere; tum quia ipse in simili casu immunis erit à restituendo.

CONCLUSIO II. Qui ex culpâ veniali, grave damnum intulit, non videtur teneri ad reparationem totius, extra contractum. Ità viri graves.

Prob. 1°. Injuria venialis citra contractum, aut quasi contractum, non debet tantam parere obligationem, quantam injuria gravis & plenè voluntaria, quia nimirum obligatio restituendi minùs sumitur ex parte objecti, quàm ex parte injuriæ formalis; unde statim dictum est, ubi est grave damnum, & culpa theologica nulla, nullam esse restituendi obligationem: Atqui si teneretur quis ex culpâ veniali ad refusionem damni totius, injuria venialis tantam pareret restituendi obligationem, quantam injuria gravis, &c.

Prob. 2°. Obligatio restituendi, licèt non sit propriè pœna, pœnæ tamen rationem imitatur; est enim quoddam onus impositum delinquenti: Atqui pœna culpæ proportionata esse debet; Ergo si levis sit culpa, pœna levior esse debet.

Hic duo notanda: 1°. in dubio an culpa mortalis sit, an venialis, judicandum est eam mortalem esse, adeòque imponenda est damni totius reparatio: tum quia potior esse debet conditio innocentis, quàm delinquentis: tum quia in operibus externis quæ graviter periculosa sunt, raro contingit, si quosdam vehementis passionis casus tollas, ut quis non tantùm attendat, quantùm ad peccatum mortale necessum est: opus enim graviter periculosum, naturaliter & quasi sponte suâ, mentis advertentiam excitat, ut experientia docet. Porrò cùm occurrit dubium aliquod in praxi, resolvendum est ex iis quæ communiter, non ex iis quæ raro contingunt.

Not. 2°. quòd licèt non teneatur quis ex culpâ veniali, nisi ad reparandam illati damni partem, ad id tamen teneri possit sub peccato mortali: quia tanta esse potest illati damni quantitas, ut pars culpæ *veniali respondens* gravis sit momenti.

Obj. Ut quis totam quam posuit inæqualitatem resarcire debeat, sufficit ut hæc ei secundùm se totam voluntaria sit: Atqui res sic se habet in casu damni per culpam venialem illati; cùm qui illud intulit, ab eo toto potuerit & debuerit abstinere; Ergo.

R. neg. min. non enim sufficit ut aliquis quomodocumque voluerit damnum proximi; sed requiri videtur ut id voluerit in gradu qui injuriam formaliter gravem constituat: alioqui enim injuriæ solùm levis reus, eodem plecteretur modo; quo qui gravissimam intulisset; quod justitiæ regulis minùs congruit.

At, inquies, idem damnum intulit, ac si mortaliter peccasset; Ergo eâdem opus est reparatione.

R. dist. ant. Idem intulit damnum objectivè, C. formaliter, N. Porrò, ut jam monuimus, non damni objectivè sumpti, sed injuriæ formalis præcipuè habenda est ratio: alioqui teneretur quis aliquando sinè ullâ culpâ theologicâ totum refundere damnum: quia fieri potest ut majus alicui damnum inferas ex inadvertantiâ, quàm si sciens & volens eidem noceres.

Conclusio III. Ad obligationem restituendi, supposito contractu, requiritur culpa lata, cùm contractus cedit in commodum solius dantis; sufficit verò culpa levissima, si cedat in utilitatem solius recipientis; requiritur autem & sufficit culpa levis, si cedat in utilitatem dantis & recipientis.

Prob. 1. pars. Non tenetur quis majorem adhibere diligentiam erga rem alienam quam sinè ullo suî commodo recepit, quàm erga res proprias: Atqui ad majorem teneretur diligentiam, si restituere deberet ex culpâ levi, vel levissimâ. Quisque enim censetùr res suas prudenter curare, cùm in earum curâ culpam omnem latam devitat, ut indicat ipsa culpæ latæ definitio; Ergo qui servábat depositum quod ablatum est, nec de levi culpâ, nec *de casu fortuito* tenetur regulariter loquendo.

Dixi, *regulariter loquendo;* quia de deposito teneris ex culpâ etiam levi; 1°. *Si te ipsum deposito obtulisti, vel si aliquid pro ejus custodiâ recepisti;* quia tunc vel contractus vergit in utilitatem utriusque, vel majorem solito diligentiam promittere censeris: imò teneris ex culpâ levissimâ, si te tanquam diligentissimum custodem obtulisses, quia eo ipso diligentiam maximam promisisses; 2°. adhuc teneris ex culpâ levissimâ, imò etiam de casu fortuito, si ex pacto ad casum fortuitum te obligaveris, si depositum transtuleris in locum periculosum, si fueris in morâ, non reddendo cùm reddere poteras. *Pacto enim culpâ vel morâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.*

C. 1. deposi

Cap. sup.

Prob. 2. pars, quia postulat æquitas, ut qui rem alterius in solam suî utilitatem accepit, summâ, nè quid dominus patiatur damni, utatur diligentiâ; Ergo si librum tibi commodatum amiseris, quia januam non clausisti, vel quia non sat observasti an clausa esset, teneris ad restituendum.

Non tamen teneris ex casu fortuito, quia ubi nulla culpa vel pactio intercedit, res domino suo perire debet.

Excipe 1°. si commodatarius casui fortuito causam præbuerit: ut si equum Versalias usque acceperit, cum promissione ultrà non transeundi, & tamen ultrà progressus in latronum manus inciderit; 2°. si præcesserit pactum de re quocumque periret modo restituendâ; 3°. si commodatarius sit in morâ restituendi rem præfixo tempore, quæ interim perierit, aut deterior evaserit, quod verisimiliter sinè morâ hâc non contigisset.

Quæres 2°. an eadem sit conditio precarii, quæ commodati. R. negat. Cùm enim precarium habeat hoc onus annexum, ut semper revocari possit ad nutum concedentis, meritò sancitum est ut in precarii contractu non teneatur quis ad restituendum, nisi ex dolo aut culpâ latâ. Aliud est de commodato: commodans enim *rem commodatam* revocare non

potest, nisi post usum & tempus de quibus conventum est; adeoque cùm ex parte plus habeat oneris, ex aliâ minùs sustinere debet.

Quæres 2°. quid juris, si res commodata apud commodantem peritura fuisset, sicut apud commodatarium, v. g. communi incendio? R. Nulla est tunc restituendi obligatio, quia commodatarius non est causa damni; supponimus enim eum incendii causam non esse.

Quæres 3°. si commodatarius res suas simul & alienas sibi commodatas liberare nequeat ab incendio, quid faciendum. R. Videndum in cujus utilitatem cedat commodatum. Si, ut fieri solet, in utilitatem solius accipientis, debet ille præferre rem alienam suis propriis minoris aut æqualis valoris, non autem suis quæ pluris notabiliter valent. Si agatur de commodato impropriè dicto, quod magis vergat in commodum dantis, potest res suas etiam minoris valoris, rebus alterius præferre. Quòd si contractus sit in utilitatem utriusque, potest quisque ceteris paribus res proprias majoris aut æqualis valoris præferre alienis, non autem quæ sunt viliores. Idem dicendum de re depositâ, conductâ, in pignus traditâ, &c.

Quæres 4°. an censeri debeat in culpâ, qui rem sibi commodatam remittit per nuntium cujus culpâ perit? R. eos qui aliquid commodato accipiunt, non intendere obligari ad illud per semetipsos reportandum. Itaque vel eligunt aliquem de cujus fidelitate & diligentiâ certi sint quantùm satis est, vel non: si 1. restituere non debent, quia sinè suâ culpâ decepti fuêre: si 2. restituere tenentur, quia tunc magnæ negligentiæ rei sunt. Si quis tamen per nuntium etiam fidelem remittat rem mutuo acceptam, quæ fortuitò pereat in viâ, tenetur de damno; quia mutuatarius rei mutuo acceptæ dominus est, res autem domino suo perit.

Prob. 3. pars Conclusionis, quòd nempè sufficiat & requiratur culpa levis, si contractus cedat

in utriusque contrahentis utilitatem; prob. inquam, quia in hoc casu nec sufficit culpa levissima, nec requiritur culpa lata: 1°. quidem non sufficit culpa levissima, quia cùm hujusmodi contractus cedat etiam in utilitatem dantis, æquum non est ut accipiens ad tantam teneatur diligentiam, ac si contractus in solam suam utilitatem vergeret: 2°. non tamen requiritur culpa lata, quia propter oppositam rationem, æquum non est ut qui commodum percipit ex contractu, non teneatur ad majorem diligentiam, quàm si nihil inde perciperet emolumenti; Ergo superest ut requiratur & sufficiat culpa levis.

Nautæ tamen, Caupones, Stabularii de culpâ etiam levissimâ tenentur, etiamsi aliquid gratis apud se receperint.

Quæres 5°. an teneatur quis ante Judicis sententiam restituere id quod ex culpâ levi vel levissimâ debet. R. affirmat. quia id non solùm legibus, sed & unanimi contrahentium usu constitutum est.

CONCLUSIO IV. Ad obligationem restituendi ex quasi contractu, requiritur aliquando culpa lata; aliquando sufficit culpa levis, aut levissima.

Prob. Nam 1°. requiritur culpa lata, cùm quis ex officio aliquid facit in utilitatem alterius sed gratis: qui enim gratis aliquid facit, non censetur majorem spondere diligentiam, quàm quæ à prudentibus in eodem casu communiter expectatur, nisi se obtulerit, alio diligentiore se offerente, quia tunc censetur eandem promisisse diligentiam, quam spondebat ille diligentior.

2°. Ex culpa levi tenentur qui ex officio aliquid faciunt mercede conducti, ut Tutores, Curatores, Advocati, Medici, Chirurgi, Artifices, Architecti, &c. Ratio est, quia qui ex officio suo aliquid percipiunt emolumenti, majorem adhibere debent diligentiam, quam si nullum inde lucrum reportarent. Equidem si Advocatus bonâ fide præstiterit id omne quod verè prudentes præstare solent, non tenebitur, si causa cadat, ad restituendum, tametsi

omiserit aliquid quod non omisissent diligentissimi: sed si eam non admiserit diligentiam quam diligentiores solent, est in culpâ levi, & ad restituendum obligatur.

3°. Varii sunt casus in quibus tenetur homo de culpâ etiam levissimâ: ut v. g. 1°. si se profiteatur diligentiorem & peritiorem aliis, tunc enim promittit saltèm implicitè, se plus præstiturum quàm præstent alii; 2°. si operas locet in re tanti valoris ut ex naturâ suâ singularem custodiam requirat, ut si agatur de lite ex quâ sequi debeat familiæ alicujus infamatio; aut si transferenda sit columna, quam sinè grandi periculo transferri non posse manifestum est; in his enim casibus tacita esse videtur diligentiæ maximæ postulatio & promissio.

¶ Quæres, quid sentiendum de iis qui suo consilio nocuerunt. R. Si agatur de iis ad quos ratione officii vel professionis spectat consilium dare, quales sunt Confessarii, Theologi, Jurisconsulti, imò ii etiam qui pro idoneis consiliariis se gerunt, eos teneri ad restitutionem ex culpâ latâ. Ratio est 1°. quia ex cap. 9. *de injur. Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata.... aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentiâ evenerunt; jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam;* 2°. quia qui ex officio consilium dant, eam saltèm adhibere tenentur diligentiam quam passim adhibent diligentes ejusdem professionis viri; Ergo si eam non adhibuerint, tenentur ad restituendum.

Imò qui mercede seu stipendio conductus (ut Medici, Advocati, Parochi) malum consilium dedit, videtur de culpâ etiam levi teneri, ut notat Silvius, & satis probant quæ hactenus dicta sunt. Unde multùm sibi metuere debent ii omnes qui ratione officii sui sunt imperitorum consiliarii: ex iis enim multì per liberiora consilia frequentem injustitiis causam præbent. Qui tamen bonâ fide exequitur id quod ex decisione Confessarii vel Advocati licitum esse putat

non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus aliquid habet rei alienæ, aut ex eâ ditior factus est : Advocatus verò & quilibet alius consulens ex officio, tenetur ad totum.

Ab hâc ob datum consilium restituendi obligatione immunes sunt, 1°. qui indicant se dubitare de casu proposito ; 2°. qui dicunt ita quidem sibi videri, at monent ut alii consulantur ; 3°. ii ad quos ratione officii vel professionis non pertinet consilium dare, quales sunt idiotæ, rustici, mulieres, & qui pro idoneis consultoribus non se gerunt. Si tamen agitur de damno tertii, putà si suadeas alteri ut non restituat, peccas graviter & ad restituendum teneris, quia illi tertio damnum infers ; nec obstat quòd veritatem ignores inculpatè, quia nihilominus imprudenter agis ; utpotè qui in rebus quæ te prætereunt, aliis consilium præbere ausis.

ARTICULUS TERTIUS.

De iis qui ad restituendum tenentur.

HIc nobis dicendum est : 1°. de possessore bonæ fidei ; 2°. de possessore malæ aut dubiæ fidei ; 3°. de iis qui alterius damno cooperantur.

SECTIO PRIMA.

De Possessore bonæ fidei.

POssessor bonæ fidei ille dicitur, qui aliquid possidet quod sinè dolo & fraude suum esse putat, licèt sit alterius. De eo hæc certa sunt :

1°. quod non peccat contra justitiam, rem alienam retinendo, minoris vendendo, & dissipando, quandiù durat bona ipsius fides.

2° quòd rem illam, etiamsi publicè emerit, gratis restituere debeat statim ac cessat bona fides, nisi satis effluxerit temporis ad præscriptionem. Deduci tamen debent *impensæ quas in rei conservatione fecit emptor bonæ fidei.*

3°. Si cùm dominus compareat, res quam bonâ fide à fure emisti, jam alteri à te revendita fuerit, debes rescisso contractu, suam secundo emptori pecuniam reddere, quia venditor emptorem de venditione indemnem servare tenetur. Quòd si is qui rem furtivam secundo loco emit, cum eâdem non compareat, primus emptor seu bonæ fidei possessor id solùm vero domino restituere debet quo factus est ditior; quia id solùm penes se habet alieni boni. Et hæc quidem intelligenda sunt sensu paulò post explicando.

4°. Si is qui rem alterius bonâ fide comparavit, eandem legitimo quem cognoscit domino restituere culpabiliter moretur, jam erit malæ fidei possessor, ac proinde in eum cadent quæ infrà dicam de malæ fidei possessoribus. His præsuppositis, quæritur an qui alienæ rei quam inculpatè possidebat fructus percepit, eosdem cessante bonâ fide restituere teneatur. Circa quod

Not. 1°. Nomine fructuum intelligi solet utilitas omnis quæ ex aliquâ re colligi potest, deductis impensis quæ fieri debent.

Not. 2°. Fructus dividuntur in *naturales*, *industriales*, *mixtos*, & *civiles*. Naturales ii sunt qui naturâ solâ aut ferè solâ operante producuntur. Tales sunt fœtus animalium, fructus arborum, &c. Industriales ii sunt qui per hominis industriam proveniunt ex re merè sterili. Tale est lucrum ex negociatione pecuniæ, ex artificioso usu alicujus instrumenti, ex rerum venditione, &c. Fructus mixti ii sunt qui partim naturaliter, partim ex industriâ proveniunt; sive æqualiter à naturâ & industriâ proveniant, sive paulò plus ab unâ quàm ab alterâ. Dixi, *sive paulò plus*, *&c.* quia ubi non parùm est industriæ, licèt plus sit naturæ, habenda est adhuc ratio industriæ. Denique fructus civiles sunt reditus qui ex certo jure alicui concesso secundùm leges percipiuntur. Sic *urbanorum prædiorum pensiones pro fructibus accipiuntur*, Leg. 36. ff. *de usuris*.

Not. 3°. eum qui rem alterius bonâ vel malâ fide possidet, posse circa eam triplicis generis impensas facere, necessarias, utiles, & voluptarias. Impensæ necessariæ eæ sunt, quæ si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit; ut si ædificium ruens reparatum fuerit, &c. unde industria & labor, in re conservandâ, in fructibus colligendis, inter expensas necessarias censeri possunt. Impensæ utiles eæ sunt, quæ licèt necessariæ non sint, rem tamen meliorem faciunt & ejus reditum adaugent. *Veluti si novelletum in fundum factum sit, aut si in domo pristinum* quis, *aut tabernam adjecerit.* Demum *voluptariæ impensæ sunt, quas aliquis ad voluptatem fecit, & quæ speciem duntaxat ornant, non fructum augent, ut sunt viridaria, aquæ salientes & picturæ.* Fatendum tamen ex impensis voluptariis, multas esse quæ cùm rei valorem adaugeant, inter utiles recenseri debent; quia si dominus rem viridariis v. g. picturis instructam vendere velit, majus ex eâ pretium percipiet. His positis, sit

L. 5. 6 ff. D impens. res, &c

L. 7. ibi

CONCLUSIO I. Possessor bonæ fidei non tenetur fructus merè industriales restituere.

Prob. Nemo tenetur restituere id quod suum est: Atqui fructus merè industriales sunt illius à cujus industriâ prodierunt; Ergo qui alterius instrumento usus est ad opus aliquod artificiale peragendum, opus illud sibi retinere potest. Et hoc extenditur etiam ad possessorem malæ fidei: unde si quid ex alienâ pecuniâ, etiam iniquè partâ lucratus sit, ludendo vel mercaturam exercendo, non tenetur ad restitutionem hujusce lucri.

CONCLUSIO II. Possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus naturales, si extant: si verò non extant, restituere debet id quo factus est ditior.

Prob. 1. pars: quia res quælibet domino suo fructificat: Atqui possessor bonæ fidei, non est dominus rei, quæ ex hypotesi est aliena; Ergo res illa non fructificat huic possessori, sed vero ipsius domino; Ergo fructus ei restitui debent, sive adhuc

pendeant, sive jam collecti sint, modò adhuc extent. Deducendæ tamen sunt expensæ, quæ præmitti solent ut fructus colligantur.

Prob. 2. pars: quia nemo justè ditior fieri potest ex alienis bonis; Ergo id quo quis factus est ditior restituendum est, quia alioqui possideretur res aliena saltèm in æquivalenti.

Ditior autem factus censetur, qui adhuc habet valorem rei alienæ sibi donatæ quam vendidit. Quive consumendo rem alienam, pepercit suæ, aut sumptibus quos ex propriâ fecisset, adeòque restituere debet quantùm propriis rebus pepercit. Si quis verò occasione rei alienæ quam suam esse putabat, majores fecerit sumptus quàm alioqui fecisset, si se credidisset minus divitem, non tenetur ad restituendum; quia nec habet alienum, nec ex alieno ditior factus est. Porrò ex dictis suprà ubi de Præscriptione, sequitur eum qui fructus etiam naturales & civiles instar rerum mobilium triennio possedit, non teneri ad eorum restitutionem, quia res mobiles præscribuntur possessione triennali cum titulo colorato.

Quæres an Titius qui rem alienam bonâ fide viliùs emit à fure, & bonâ fide cariùs revendidit, teneatur pretii excessum restituere. R. si excessus pretii à solâ Titii industriâ provenerit, nulla est obligatio restituendi, ut patet ex dictis: si verò excessus non industriæ solùm, sed etiam rei venditæ fructus sit, Titius id solùm retinere potest, quod vir prudens judicaverit ipsius industriæ & labori respondere. Unde si Titius equum alterius hîc valentem 50. aureis, vendiderit Lutetiæ, ubi rariores erant equi, aureis 100. non satisfacit si solùm 50. domino reddiderit; quia licèt industria Titii causa sit cur hic equus Lutetiam conductus fuerit, non tamen causa fuit cur ibi valeret 100. aureis; Ergo Titius retinere non potest nisi æstimationem laboris, industriæ & expensarum in equo illuc transferendo. Ratio est, 1°. quòd res ubicumque sit, *semper* est domini, & domino valet, quod ibi

valet,

valet, sive tanti valuisset in manu domini, sive non; 2°. quòd qui sentit onus, debeat sentire & commodum: Atqui si equus ille periisset, aut deterior factus fuisset in manu possessoris bonæ fidei, onus illud in dominum cecidisset, etiamsi idem equus in manu domini, nec periturus fuisset, nec deterior evasurus; Ergo à contrario æquum est, deductis deducendis, ut dominus augmentum ejus percipiat.

Hactenùs multoties dixi possessorem bonæ fidei repetere posse expensas quas fecit; verùm circa hoc quædam sunt animadvertenda. Et 1°. tenetur quidem dominus qui rem suam repetit, refundere valorem expensarum meliorationis; at non ipsum valorem meliorationis: sæpè enim melioratio rei pluris valet, quàm expensæ in re meliorandâ factæ, major autem illè valor ipso facto pertinet ad dominum rei; 2°. si expensæ superent valorem meliorationis, dominus rei nihil debet pro hoc excessu, alioqui teneretur rem suam emere pluris quàm reipsâ valeat, quod absurdum est; 3°. si dominus rei, minori pretio, putà dimidio, meliorationem hanc per se facturus fuisset, non tenetur nisi ad refundendum dimidium pretii quod in his expensis insumpsit alter; 4°. si possessor ex fructibus rei tantùm percepit & consumpsit, quantùm expendit, nihil pro expensis exigere potest; quia per hoc eas compensavit.

CONCLUSIO III. Fructus mixti, sive adhuc extent, sive iis ditior factus sit possessor bonæ fidei, restituendi sunt secundùm id quod naturales sunt, non verò prout sunt industriales. Patet ex Conclusionibus præcedentibus.

CONCLUSIO IV. Quod dictum est de obligatione restituendi fructus naturales, ad fructus etiam civiles extendi debet.

Prob. quia fructus illi maximè accedunt ad naturales; unde sæpè cum iis confunduntur. Hic tamen deduci debent expensæ, quæ factæ fuerint.

Quæres an repeti possint impensæ voluptariæ.

R. affirmat. si impensæ illæ auferri possint, absque rei vel fundi deterioratione. Sic qui villam alterius tabellis & statuis instruxit, hæc repetere potest; quod verum est etiam de possessore malæ fidei. Si verò ameliorationes ità fundo cohæreant, ut ab eo vel nullatenùs, vel sine gravi fundi læsione separari non possint, possessor etiam bonæ fidei damnum hoc pati debet; non enim tenetur dominus rei sumptus *nullâ re urgente, sed voluptatis causâ factos*, à quibus ipse abstinuisset, solvere. Monet tamet Domat postulare quandam æquitatem, ut, si fieri potest, hujusmodi sumptuum ratio habeatur.

L. 27. ff. de negot. gest.

SECTIO SECUNDA.

De Possessore malæ fidei.

POssessor malæ fidei, ille est 1°. qui injustè accipit alienum, seu id quod judicat vel judicare potest non esse suum; 2°. qui licèt injustè non acceperit, injustè tamen retinet, ut debitor & depositarius qui sunt in morâ culpabili. Quæritur ad quid teneatur is malæ fidei possessor. Sit

CONCLUSIO I. Possessor malæ fidei tenetur rem ipsam restituere, si extet; si verò non extet, pretium æquivalens reddere debet: etiamsi res ea casu fortuito perierit.

Prob. tùm quia locupletari nemo debet cum injuriâ alterius, tùm quia qui inæqualitatem in alterius bonis suâ culpâ posuit, eandem reparare tenetur, etiamsi nihil inde perceperit lucri.

Quæres 1°. si quis triticum, gemmas, aut similia, octo abhinc annis furatus sit, quomodo prætium æquivalens refundere possit. R. restituendum esse pretium, non supremum, vel infimum, sed medium, quo res venundabantur cùm furtò subreptæ sunt. Hoc autem pretium vel ex publicis registris cognoscetur, si sermo sit de annonâ, vel ex libris mercatorum si agatur de gemmis & similibus. Quòd si gemma ab eo cui subrepta est, ad præsens

usque tempus servari debuisset, restituenda est secundùm valorem quem hodie habet, etiamsi fortè multò majorem quàm esset tempore ipsius furti; res enim domino suo crescit.

Quæres 2°. an qui subripuit & statim vendidit pullum equinum, qùem dominus usque ad annos perfecti valoris servaturus erat, teneatur restituere equi perfecti valorem. R. affirmat. quia alioqui damnum inter illatum & restitutionem, non esse vera æqualitas. Hìc tamen 1°. deduci debent expensæ quas pulli dominus facturus fuisset; 2°. cùm id quod est in spe, non æquivaleat ei quod est in re, restitutio hæc ad arbitrium viri prudentis temperari debet.

Quæres 3°. secundùm quem valorem restitui debeat triticum, quod vilioris erat pretii cùm subripuisti, v. g. 10. vendebatur libris; posteà cùm esset apud te crevit usque ad 20. ac demum decrevit ad 10.

R. 1°. Si dominus rem suam servaturus erat usque ad tempus incrementi, & tunc eam venditurus aut consumpturus, tenetur malæ fidei possessor ad refundendum totum illius valoris incrementum. Idem dicendum, si res apud furem passa sit, etiam ex casu fortuito, detrimentum quod apud dominum passura non fuisset. Ratio est 1°. quia malæ fidei possessor tenetur domino restituere & lucra cessantia & damna emergentia: 2°. quia quisquis est in morâ culpabili, tenetur de casibus fortuitis.

R. 2°. Si fur vendiderit rem tempore majoris incrementi, quam dominus tempore quo vilioris erat pretii vendidisset, restitutio facienda est secundùm valorem quem habebat res quo tempore vendita fuit à fure. Ratio est, quia sicut res est domini quoad substantiam, sic & est domini quoad statum; Ergo cùm res est in optimo statu, restituenda est domino, vel in se, vel secundùm pretium eidem æquivalens.

R. 3°. si fur rem vendiderit primo tempore quo minoris valebat, sufficere ut valorem hunc refundat, si rei dominus rem suam eodem tempore venditu-

rus aut consumpturus erat. Ratio est, quia læsio de quâ agitur, non nisi in valore infimo damnificativa est, ad discrimen læsionis de quâ in præcedenti responso dictum est: hæc enim dominum privat re suâ in statu optimo constitutâ.

Dixi, *primo tempore*; quia si rei pretium creverit, & posteà decreverit in manibus furis, restitutio fieri debet secundùm majus pretium. Ratio est, quia obligatio semel à fure contracta, non extinguitur per fortuitum rei interitum, aut deteriorationem sequentem, sed restitutione solâ vel domini condonatione: porrò fur tenebatur ad restituendam rem eo ipso tempore quo pluris apud ipsum valebat; res enim quæ sive ab extrinseco, sive ab intrinseco melioratur, domino suo melioratur; eique pluris valet. Ità S. Raymundus.

Quæres 4°. an res quæ periit apud furem, restituenda sit, si apud dominum peritura erat.

R. 1°. Si dubium sit an res apud dominum fuisset peritura, necessariò restituendum est: quia in dubio melior est conditio innocentis.

R. 2°. Si res apud dominum certò peritura erat, sed injustè, putà quia ab alio rapienda erat, non excusatur fur à restituendo: quia qui furtum alterius prævenit, non desinit esse fur.

R. 3°. Si res non perierit apud furem quo tempore apud dominum peritura erat, sed posteà, fur adhuc est obnoxius restitutioni. Ratio est 1°. quia res quam v. g. fur ex incendio eripuit, non desinebat esse domini sui; Ergo eidem restituenda erat; ac proinde si fur restituere omiserit, fuit in morâ culpabili, consequenter ad quam tenetur de casu fortuito; 2°. quia alioqui qui hodie emisset equum cras apud se pereuntem, sed æquè periturum apud venditorem, non teneretur pretium ejus solvere, quod absurdum est.

R. 4°. Si res quæ apud injustum possessorem periit, simul eodem casu apud dominum fuisset peritura, censent viri graves restituendum esse; quia

qui damnum verè intulit, damnum reparare debet: Atqui fur in casu præsenti damnum verè intulit, hoc ipso quòd dominum rationabiliter invitum re suâ spoliavit. Neque casus subsequens efficit ut damnum non intulerit, sicut quòd Titius occidatur à Petro horâ tertiâ, alioqui eâdem horâ occidendus à Joanne, non facit quòd Petrus non sit verè homicida. Hæc opinio utpotè tutior, nec minùs probabilis, videtur melior in praxi, sed cum limitatione ad calcem sequentis casûs afferendâ.

Hinc colliges, eum qui furatus est rem valentem 20. quæ paulò post decrevit usque ad 10. non satisfacere reddendo 10. etiamsi res ea idem in domini manibus decrementum passura fuisset. Ratio est 1°. quia fur tenebatur rem restituere quo tempore plurimi erat: Atqui obligatio semel contracta rem restituendi secundùm maximum ejus valorem, solâ valoris hujus restitutione auferri potest: neque enim hinc tollitur, quòd dominus pro tunc re suâ usurus non fuisset; aliàs si servaturus erat eam in tempus, quo nihili esset; aut eam in ignem vel mare projecturus, nulla esset restituendi obligatio, quod à nemine hactenùs dictum est; 2°. quia si fur rem primùm abstulisset, quo tempore valebat florenis 20. libentiùs fatentur adversarii hoc pretium domino restituendum esse: Atqui quòd fur rem vel abstulerit primùm, vel injustè retinuerit, quo tempore pluris erat, idem est in sanioribus principiis; Ergo.

Objiciuntur duo, eaque gravia: quòd fur æqualitatem ponat, actuale rei pretium refundendo: quandoquidem dominus sic constituitur in eo statu in quo alioqui futurus erit; 2°. quòd furi satis esset rem, si adhuc extaret in se, restituere prout est de præsenti, ut quid ergo ad eam pro præterito statu restituendam tenebitur?

R. ad 1. ponendam esse à fure æqualitatem proportionatam damno quod dominus ex furto passus est; cùm ergo furtum pro certo tempore intulerit damnum florenorum *20. æquum* est ut illud resar-

ciatur. Etverò si res aliter esset, fur re 20. florenis venditâ, 10. solùm restituere teneretur, ut qui iis solùm 10. dominum damnificasset.

R. ad 2. reipsâ satis non esse ut res secundùm se restituatur; sed debere superaddi aliquid unde compensetur valor à quo res excidit.

Quia tamen adductæ rationes non omne dubium perimunt, consulerem iis quibus hujusmodi restitutio facienda esset, ut mitiùs agerent cum restitutoribus. Imò non dubitem quin pro dubii gradu, quem rebus hinc & inde coram Deo perpensis sentiet unusquisque, minuenda sit restitutio, quia hæc juri creditoris commensurata esse debet: jus autem aliquid habens ambigui, minus est quàm jus liquidum; & hæc unâ vice pro ceteris ejusdem speciei casibus dicta sunto.

Conclusio. II. Possessor malæ fidei restituere debet fructus omnes, tùm civiles tùm naturales, & mixtos etiam, quâ parte naturales sunt; quia res domino suo fructificat. Et hoc verum est 1°. etiamsi dominus hos fructus percepturus non fuisset, quia eo ipso quo producti sunt, in domini solius commodum producti sunt: deduci tamen debent expensæ; 2°. etiamsi malæ fidei possessor eos non perceperit, modò tamen rei dominus eos percepturus fuisset: secùs si dominus eos de facto percepturus non erat: tunc enim nec lucratus est possessor malæ fidei, id quod erat alienum; nec amisit dominus id quod suum erat; 3°. etiamsi possessor malæ fidei ditior inde factus non sit: qui enim rem alienam consumpsit malâ fide, eam restituere tenetur. Tenetur insuper malæ fidei possessor ad restituenda lucra cessantia & damna emergentia; quia alioqui non constitueretur debita æqualitas.

Quæres an possessor malæ fidei expensas detrahere aut repetere possit. R. Expensæ etiam voluptariæ, si à re in quâ aut circa quam factæ sunt separari possunt, possunt & repeti: à fortiori æquum videtur ut restituantur impensæ necessariæ & utiles,

Ratio est, quia æquitas utcumque exigit ut dominus rei contentus sit rem suam sibi quoad se & quoad fructus totam restitui, absque eo quòd ditior fiat ex alieno; equidem alienum illud te invito rebus tuis à prædone immixtum est, sed tamen alienum est; Ergo non satis æquè agis, si tales impensas tibi serves: nihilque restituas ei qui ut conscientiam suam exoneret, totum restituit tibi. Et in hoc omnes ferè Theologi consentiunt.

SECTIO TERTIA.

De Possessore dubiæ fidei.

POssessor dubiæ fidei is est, qui vel acquisivit rem de quâ dubitabat an esset aliena; vel postquam bonâ fide acquisiit, dubitare incipit an res aliena sit, necne.

Circa primum, certum est 1°. eum peccare mortaliter qui rem acquirit, de quâ dubitat an v. g. furtiva sit. Ratio est, quia se exponit periculo rem alienam possidendi, domino rationabiliter invito. Tenetur itaque homo in hoc dubii casu, malum quem habuit animum mutare: deinde sufficientem adhibere diligentiam, ut rei veritatem comperiat. Si autem adhibitâ convenienti diligentiâ perseveret dubium, videtur is aliquam rei partem sibi servare posse, quantitati dubii sui proportionatam; eam enim alteri ad quem ut pertinere, sic & non pertinere potest, totam cedere, pœna est quæ ante Judicis sententiam subiri non solet.

Hæc autem procedunt de casu æqualis aut penè æqualis dubii. Si enim rebus omnibus coram Deo pensatis, longè probabilius appareat rem furtivam esse, res tota vel domino si cognoscitur; vel, si ignoretur, pauperibus donanda est cum omnibus fructibus: quia non possum prudenter judicare meum esse, quod multò magis appareat esse alienum. Si è contra longè probabilius appareat rem esse alienam, videtur eam ab *acquisitore*, & multò magis

à possessore qui ipsam sua inter bona reperisset; retineri posse; quia in pari causâ par esse judicium debet.

Quòd si cùm dubitare cœpisti an res penès te existens aliena esset, neglexeris inquirere rei veritatem, quam posteà detegere non vales; 1°. peccasti mortaliter exponendo te periculo privandi alium re suâ; 2°. teneris & rem & rei fructus naturales ac mixtos restituere domino ab ipso dubii tempore; neque verò eos solùm fructus quos percepisti, sed & quos dominus percepturus erat si suam habuisset rem, reddere debes. Ratio est, quia ex tunc fuisti possessor malæ fidei, & violasti justitiam non expendendo jus alterius.

Certum est, 2°. si dominus compareat, suam ei rem esse restituendam, & quidem gratis; cùm legitimus rei dominus rem suam solvere nè quidem possessori bonæ fidei cogatur.

Quæres quid de eo dicendum, qui dubitans an res aliena esset, eam emit, non animo retinendi, sed eam domino si posteà compareat reddendi.

R. 1°. Non tenetur de casu fortuito, sed solùm ex culpâ latâ; cùm se habeat ut depositarius, qui rem servat in utilitatem domini. 2°. Potest exigere pretium quod in servandis alteri rebus suis impendit; non enim tenebatur proprii boni dispendio alterius jacturam avertere. In his tamen habenda est ratio circumstantiarum: qui enim justo aut etiam majori pretio rem à fure emeret, reddendam domino de eâ parum laboranti, utiliter domini hujus negotia non gereret; unde tunc sufficiet ut dominus partem pretii refundat ad arbitrium viri prudentis: secùs si rem pluris emisset, quia noverat eam domino gratissimam esse, aut valdè necessariam.

Quod spectat ad eum qui postquam rem bonâ fide emit, dubitare incipit an sit furtiva; debet is 1°. veritatem omni quo poterit modo inquirere; 2°. durante inquisitione, non potest illâ re uti, si

sit usu consumptibilis: secùs si non sit usu consumptibilis. An autem debeat dicti usûs pretium solvere, definiendum est ex naturâ usûs ejusdem: durum enim videretur, si quis equo ad modicum iter usus sit, eundem cogere ad restituendum; secùs si eo usus fuerit ad agendum vehiculum, aut ad alia, quæ pœnosa sint; 3°. si post sufficientem inquisitionem subsistat idem dubium, res vel ex æquo dividenda erit, vel tota ei cedenda cujus jus longè probabilius fuerit. Quod si vendatur, ut vendi potest, monendus erit emptor de conditione rei ut nimirum eam domino si comparuerit restituat; & ideò minoris vendenda erit, quia ratione vitii hujus non tanti valet.

SECTIO QUARTA.

De iis qui ad restituendum obligantur, ratione cooperationis.

AD restituendum teneri, non eos solùm qui per se & proximè damnum inferunt, sed & illos etiam qui ipsis cooperantur, docuit Innocentius XI. cùm hanc proscripsit propositionem: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Ii porrò cooperari dicuntur, qui jubendo, suadendo, &c. causa sunt cur illius damnum inferat, quod quidem contingere potest novem modis, qui his versibus comprehenduntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Primi sex directè & positivè concurrunt, tres alii solùm privativè. Qui dato pretio alterum allicit ad inferendum proximo damnum, revocari potest ad mandantem, quia alium sibi subjicit ut ministrum voluntatis suæ: revocari etiam posset ad consulentem; quod ex circumstantiis æstimari debet. Antequam de *cooperantibus* sigillatim loqua-

mur, quædam de illis in genere prænotanda sunt.

Not. itaque 1°. non omnes cooperatores eodem ordine & modo ad restituendum obligari: cùm ii ceteris in restituendo præire debeant, qui sunt principalis causa damni, ut infrà dicemus.

Not. 2°. neminem ex iis qui damno cooperantur teneri ad restituendum, nisi qui fuerit efficax causa damni; censemus porrò eum omnem esse efficacem damni causam, qui vel per se damnum operatur, vel sic cooperatur aliis, ut ex ejus cooperatione physicâ vel morali sequatur damnum alterius, sive interim alii per se solos id facturi fuissent, sive non. Unde si quis jam ità ad malum determinatus erat, ut consilium tuum nihil influxerit in ejus actionem, non teneris ad restitutionem, ut docet S. Thomas, 2. 2. q. 62. a. 7.

Ex quibus colliges, cooperatorem plus vel minùs teneri ad restitutionem, prout plus vel minùs in actionem damnosam influxit. Unde si influat solùm in partem damni, tenebitur solùm ad restitutionem partis: si influat in modum, v. g. si causa sit cur ille cui mors certò inferenda erat, citiùs aut atrociùs occidatur, tenebitur in quantùm intererat damnificari, ut damnum tam citò vel tam atrociter non sustineret; si denique licèt cooperetur quantùm est de se, ipsius tamen actio sit prorsùs inefficax, ad nihil tenebitur.

Sed quid in dubio an mandatum v. g. influxerit? R. teneri te ad restituendum pro ratâ dubii, seu dubites an mandatum, consilium, vel auxilium iniquæ damnificationis executori dederis; seu certus te dedisse, dubites an in effectum influxerit.

Prob. 1. pars: tum quia æquum videtur, ut qui dubitat an efficax alieni damni causa fuerit, non se gerat ut si certus esset se nemini nocuisse, ac proinde ut aliquid restituat secundùm gradum dubii sui, attendendo, v. g. an & quousque exitialia aliis consilia dare solitus esset, &c. Tum quia qui seriò & *graviter* dubitat an votum emiserit, tenetur illud *implere*; Ergo à pari.

Prob. 2. pars; 1°. quia innocenti magis favendum est quàm reo: reus autem est qui consilium de se damnificativum dedit; 2°. quia qui actum de se validum posuit, potiùs judicare debet eum suo non caruisse effectu, quàm è contra.

Aliquando tamen valdè probabiliter æstimari potest consilium aut mandatum nihil influxisse in damnum alterius: ut 1°. si damnificator neget se alieno consilio motum fuisse; ei enim, si aliunde fidem meretur, in interiori foro credi potest: 2°. si homicida, v. g. post consilium datum, inimicum non occiderit, etsi fausta illius occidendi sese obtulerit occasio, sed solùm ad facinoris executionem devenerit, ob novas quæ inter utrumque exortæ sunt simultates, vel propter vetera odia quæ ex novâ occasione recruduerunt.

Quòd si certum sit injustæ damnificationis causam ab uno ex pluribus positam fuisse, sed dubitent illi, à quo præcisè posita fuerit, omnes tenentur ad partem damni restituendam, pro ratione damni & dubii: 1°. quia tunc vel omnes restituere debent, vel omnes à restituendo eximi: Atqui æquum non est ut omnes à restitutione liberentur; 2°. quia qui in certâ hypothesi commodum sentiunt, in hypothesi oppositâ onus sentire debent: Atqui in dubio quinam è certo numero damnum passi sint, omnes de quibus dubium est recipere debent partem ejus quod restituitur, ergo à contrario, &c. Injustè tamen quidam nobiles certi quòd furtum ab uno è famulis, sed incerti à quo commissum sit, stipendii partem unicuique famulorum subtrahunt; cùm plerumque non omnes damni causam posuerint, ut ii posuisse supponuntur de quibus loquimur in præsenti.



PUNCTUM PRIMUM.

De Mandante, & Consulente.

PEr *mandantem* intelligitur quisquis explicitè vel implicitè præcipit, & præcipiendo movet ad actionem injustè damnificativam. *Explicitè* mandat, qui mandat verbis expressis; *implicitè*, qui mandat signis & nutibus; aut qui manifestat inferiori, gratum sibi fore si actionem hanc exequatur. Hinc implicitè mandant Magnates, cùm erumpunt in verba quæ vindictæ desiderium spirant. De mandante hæc communiter docentur.

1°. Restituere debet omne damnum quod ex mandato suo secutum est, non minùs ac si ipsemet propriâ manu damnum intulisset. Actio enim ex mandato facta, magis tribuenda est mandanti, quam executori; cùm mandans se habeat ad executorem, ut causa primaria ad instrumentalem.

2°. Non tantùm tenetur de damno quod jussit, sed etiam de illo quod, habitâ circumstantiarum ratione, prævidere potuit ex mandato suo secuturum. Hinc si famulis iracundis præceperit ut aliquem baculi ictibus insigniter exciperent, tenebitur etiam de morte, licèt contra ejus probationem evenerit. Quòd si mandatum de se periculosum non erat, & mandatarius præ malitiâ suâ plus fecerit, quàm fuerat sibi imperatum, mandans non tenebitur nisi pro ratione damni quod mandavit.

3°. Qui mandatum suum revocavit, communiter non tenetur ad restituendum, etiam secùto effectu. Ratio est, quia mandans in hoc casu non est causa damni; sed mandatarius solùm utpotè qui suo, non autem mandantis nomine egerit. Porrò mandatum revocari potest, vel expressè vel æquivalenter, ut si mandans cum adversario affinitatem contraxisset, aut aliter cum eo in gratiam sincerè rediisset. Si tamen mandatarius cognitâ magistri sui indole dolosâ, revocationem hanc crederet non fieri

serio, sed ut faciliùs illi struerentur insidiæ, mandans adhuc teneretur de damno, quia vi mandati poneretur effectus.

Dixi mandantem revocato mandato non teneri *communiter*, *&c.* Nam adhuc tenetur in multis casibus; & 1°. cùm mandati revocatio mandatario non innotuit ex incuriâ, v. g. vel malitiâ illius qui onus susceperat hancce revocationem mandatario notificandi. Sic qui propinavit alteri venenum, cujus effectum posteà impedire conatus est, sed frustrà, non desinit teneri ad restitutionem damni ex homicidio procreati; 2°. cùm mandatum etiam revocatum in damnum influit per modum consilii: putà si mandans mandatarii voluntatem tam potenter commoverit, ut alio opus sit remedio quàm simplici mandati revocatione; 3°. qui mandatum jam revocare nequit, tenetur eum monere qui injuriam accepturus est, ut sibi invigilet: quia qui damnum cùm illatum est reparare debet, idem cùm nondum illatum est impedire tenetur. Si tamen id fieri non posset sinè longè graviori mandantis detrimento, morte, v. g. aut gravissimâ infamiâ, aliter esset dicendum, quia ut non tenetur quis ad restituendum hìc & nunc, cùm id sinè graviori longè proprio incommodo non potest, sic nec alium in eodem casu monere tenetur: tenetur tamen ad resarciendum posteà damnum illatum, ut qui ejus causa extiterit. Imò si absque damno tuo longè graviori, damnum alterius avertere potes, teneris avertere, quia pejor est tua quàm innocentis conditio. Denique si mortem alterius, nonnisi propriæ vitæ dispendio impedire queas, potius moriendum est, quàm sinendum ut alter vi mandati tui occidatur; 4°. si scias alium paratum esse alicui damnum inferre nomine tuo, nec id impedias cùm potes, teneris ad restitutionem: quia tenetur quisque etiam ex justitiâ impedire nè quis nomine suo damnum aliis inferat.

Quæres 1°. an *qui approbat* damnum nomine

suo illatum, quod tamen non mandavit, ad restituendum obligetur. R. negat. Ratihabitio enim non est causa efficax damni jam facti, sed inefficax in eo jam commisso complacentia. Si tamen ex tuâ ratihabitione moveretur alter ad non restituendum, jam esses causa injustæ detentionis, ac proinde teneris ad restitutionem.

Quæres 2°. an mandans teneatur de damno, quod mandatarius ob iniqui mandati executionem patitur. R. Si mandans sit superior, tenetur de damno mandatarii: 1°. quia subditus superioris mandato quasi cogitur moraliter, ità ut ferè invitus operari censeatur; 2°. quia mandans virtualem cum servo suo contractum inire videtur, quo eum à quocumque quantùm poterit, damno incolumen præstet. Quod si mandans non sit superior, sed mandatarium stipendio conducat, negant plures eum teneri ad restituendum, quia mandatarius cui liberum fuit periculo huic se non exponere, omne quod patitur damnum imputare sibi debet; cùm volenti non fiat injuria. Jam de consulente.

Consulens est ille qui alium ad damnificationem movet consilio, precibus, promissis; itèm hortando, motiva suggerendo, facilitatem ostendendo. De consulente hæc in praxi tenenda.

1°. Tenetur ad restitutionem, quia est causa moralis & injusta damni: unde proscripta est hæc superiùs adducta propositio, *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetùr ad restitutionem istius damni illati.* Quòd si plures rem injustam consuluerint, omnes ex æquo ad restituendum tenebuntur, quia ex æquo ad damnum concurrerunt.

2°. Consulens tenetur ad restitutionem secundùm naturam damni quod vi consilii sui illatum est. Qui ergo consuluit alteri ut aureos 100. furaretur, totidem refundere debet. Qui jam verè determinato ad furandos 50. persuasit ut 100. subriperet, non nisi 50. restituere tenetur. Qui persuasit

ut decem furaretur eo in loco ubi majorem esse summam noverat, quæ reipsâ sublata fuit, ad summæ totius restitutionem obligatur, quia consilium dedit periculosum.

3°. Qui consulit minus malum ei qui jam ad majus inferendum determinatus erat, aliquando immunis est à restituendo, aliquando non. Immunis quidem est, si minus malum consulat, animo solùm avertendi majoris damni; quia qui, v. g. Petro vaccam furari volenti, persuadet ut vitulum duntaxat auferat, proximi rem utiliter gerit.

Sed immunis à restitutione non est, 1°. si minus malum ex nocendi affectu consulat. Sic duo prædones quorum alter viatoris pecuniâ contentus, alterum à morte eidem inferendâ averteret, ambo ad restituendum tenerentur; 2°. si consulat ut minus malum inferatur alicui de quo damnificator non cogitabat; non enim licet tibi rem Petri utiliter gerere cum dispendio Pauli. Si tamen consuleret tantùm ut potiùs divitis quàm egeni bona auferret; aut si volenti egenum spoliare, diceret duntaxat: *Hunc relinque, alii sunt ditiores*, nulla esset saltem juxta multos obligatio restituendi; quia, inquiunt, non tam hortaretur ad spoliandos ditiores, quàm ad parcendum pauperi.

Quæres an sit obligatio restituendi revocato consilio, secuto tamen effectu. R. Si consulens ità consilium revocet, ut totum motivum totamque quam dederat damni causam auferat, ad nihil tenetur, etiam secuto effectu: tenetur verò si adhuc motivum & data causa subsistunt. Porrò tunc sufficienter tollitur omne mali consilii motivum, cùm motivum illud consistebat in precibus solis, blanditiisve, aut promissis, aut falsâ doctrinâ, falsove supposito, quæ retractata fuerint: secùs si consilii motiva petita fuerint ex damnificationis facilitate, delectatione, utilitate, &c.

Utraque hæc regula æquitati consentanea videtur. Si ergo consulueris *Petro* ut talem ineat con-

tractum, quippe qui usurarius non sit; & posteà doctior factus ostendas contractum hunc verè usurarium esse, rationesque in contrarium allatas destruxeris, certum est quidquid faciat alter, te à restituendo liberum fieri. Pariter si Caïum blanditiis aut promissionibus determinaveris ad inferendum alicui mortem, & seriò hæc omnia revoces, jam Caïus, si quid faciat mali, non movetur nisi à se ipso. At verò si alteri malum consulueris, ostendendo quantùm inde percepturus sit utilitatis, & lætitiæ; itèm suggerendo modum & vias faciles exequendi, tunc revocato etiam consilio, remanet obligatio restituendi: quia adhuc subsistere potest totum consilii robur, motivum & impressio; adhuc, quidquid in contrarium dixeris, sentio quàm facilè, quàm impunè, alteri malum inferre possim, quantùm inde accrescere mihi debeat gaudii & utilitatis. Quandiù ergo momenta hæc per alia graviora non elidentur, consulens damni causa meritò judicabitur; quia non tam consilium revocaverit, quàm revocare conatus fuerit.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Consentiente, Palpone, Receptante, & Participante.

Consentiens hîc dicitur, qui externâ approbatione efficaciter determinat ad inferendum alicui detrimentum: atque hujusmodi consentientem ad restitutionem teneri nemo ambigit, quia est efficax damni inferendi causa. Sed quia consensus aliquando simplex est complacentia quæ cadit in actionem ità determinatam, ut in eam non influat, quæri solet quandonam consensus sit efficax damni causa.

R. tunc censeri causam, cùm consentiens ex officio tenetur non consentire, & damnum impedire potest. Unde ad restituendum obligantur 1°. Consiliarii Regis, vel alii, qui bello iniquo, quod

impedire possent, vel condemnationi iniquæ, suffragantur; 2°. qui in Collegio, Capitulo, &c. consentiunt ut vel indignus eligatur, vel rejiciatur dignus; 3°. qui præ hominum metu, suffragari omittunt in Senatu, ità ut non avertant damnum quod avertere possunt, & ex officio avertere tenentur.

Sed hîc oritur difficultas, an Senator, v. g. qui inter postremos suffragium ferens, consentit injuriæ, quæ jam irrevocabiliter decreta est sufficienti suffragantium numero, teneatur ad restituendum: quòd enim peccet, nullus dubitat, quia iniquitati consentit.

Certum est eum teneri de damno: 1°. si suffragium dederit antequam damnum sufficienti votorum numero decretum esset, quamvis non obstante ejus suffragio, damnum sufficienter ab aliis statuendum fuisset. Ratio est, quia etiamsi sufficiens damni causa sinè illo ponenda fuisset, ipse tamen reipsâ in damnum influxit; 2°. adhuc tenebitur si nesciat sufficientem esse suffragatorum numerum, ut si secretò ferantur suffragia: tùm quia hîc militat ratio præcedens, tum quia tunc fuit quantùm de se erat damni causa; 3°. quamvis non dederit suffragium, nisi postquam malum jam sufficienter decretum erat, adhuc tenebitur si tantæ erat autoritatis ut priores suffragatores à suâ posset sententiâ revocare: tunc enim tenetur non solùm ut mutus, sed ut positivè concurrens ad damnum, quod ex hypothesi non erat irrevocabiliter decretum.

Tota igitur quæstio est de casu in quo præcesserit sufficiens suffragatorum numerus, qui à sententiâ suâ deterreri non possint. Et tunc credimus Senatorem hunc teneri ad restitutionem: 1°. quia promptiùs & alacriùs sententia iniqua executioni mandatur, cùm omnes in eam consentiunt; 2°. quia illi omnes ad restitutionem tenentur, quorum nomine damnum infertur: Atqui damnum, posteriorum etiam suffragatorum nomine infertur; omnes enim damni inferendi facultatem conferunt, omnes

iniquam quæ damni causa est sententiam formant & constituunt.

Palpo seu adulator ille dicitur, qui laudibus, applausu, adulatione ad damnum proximi provocat & accendit. Ad hoc genus referuntur qui offenso suam, si non ulciscatur, ignaviam exprobrant; qui vitam alicujus pauperem despiciendo, ad furandi artem impellunt; qui uxoris adulterium marito objicientes, causa sunt ut illa vel adulter occidatur.

Hi omnes tenentur ad restituendum, si contingat ut quispiam ex his laudibus, vel vituperiis ad inferendum damnum moveatur. Ratio est, quia sunt moralis causa damni, atque sæpè efficaciùs ad injustum aliquod facinus determinant, quàm si idem expresè consulerent porrò necessarium non est ut adulatores directè intendant alterius damnificationem; sed satìs est ut prævidere debeant, eam ex iniquâ hâc agendi ratione sequi posse.

Quòd si adulator hominem laudet de injustitiâ jam commissâ, non tenebitur ad restitutionem, quia damni causa non fuit: nisi fortè alter hisce laudibus ad aliud furtum, aut ad non restituendum id quod jam furatus est, impellatur.

Receptans ille est, qui sive ante, sive post illatum damnum, securitatem, fiduciam & commoditatem præbet damnificatori, ut vel malum inferat confidentiùs, vel illatum non reparet: tales sunt qui malefactoribus asylum promittunt, aut iisdem post patratum scelus, refugium præstant sive personas eorum, sive res furtivas, sive maleficii instrumenta recipiendo & occultando, itèm qui spolia emunt, aut servant. Quòd autem hujusmodi receptatores de damno teneantur, patet quia ante furtum v. g. causa sunt injustæ acceptionis, & post illud causa sunt injustæ detentionis. Quapropter si prædam in manibus habent, tenentur eam vero domino restituere, nisi graviora mala, incendium v. g. vel mortem sibi à latrone inferenda vereantur: *tunc enim* satis est ut damnum postea compensent,

ad quod non tenentur qui bonâ fide rem, quam furtivam esse nesciebant, receperint.

Hinc colliges inter receptantes meritò numerari; 1°. Advocatos qui partis suæ injustitiam contra propriæ conscientiæ dictamen tuendo, causa sunt quòd parti læsæ non satisfiat; 2°. legionum Præfectos, qui milites protegunt eosque ad varias extorsiones implicitè stimulant: Magnates itèm, qui cùm officiarios potentiæ suæ innixos, plures committere injustitias vident, non tamen obsistunt, sicque causa sunt cur malum eò liberiùs fiat, quò magìs impunè.

Hinc etiam colligitur, eos qui malefactorem hospitio reciperent titulo amicitiæ, consanguinitatis, patriæ, &c. aut etiam qui eundem à Magistratu vel lictoribus quæsitum absconderent, aut fugiendi vias indicarent, non esse verè & formaliter receptantes: tunc enim exercent actum caritatis, ob quem reprehendi non possunt. Quod si fur quem Justitiæ Ministris subtraxisti, denuò ad latrocinia revertatur, non teneberis ad restituendum, quia relapsus ille non nisi per accidens ex opere misericordiæ secutus est: si tamen cognosceres furem ex benignâ tuâ in ipsum agendi ratione, occasionem arrepturum in nova proruendi crimina, tenereris de damno, ut qui malefactis ejus concurreres.

Participans aliquis dupliciter esse potest; 1°. ratione rei acceptæ, licèt non ratione actionis, ut cùm qui furatus non est, suam in prædâ partem habet: 2°. ratione actionis damnosæ, cùm quis quoquo modo juvat ad actionem injustam, sive aliquid de furto recipiat, sive non.

De participante ratione rei acceptæ idem dicendum, quod de possessoribus bonæ vel malæ fidei dictum est. Nempè si rem furtivam bonâ fide acceperint, eam si adhuc extat reddere debent; si non existat, satis est ut restituant in quantùm ditiores facti sunt. Si verò malâ fide, tunc rem, vel aliquid æquivalens, etiamsi ditiores facti non sint, refundere debent, *pro ratione* damni quod intulerunt,

unde si Petrus gallinam pullos 12. foventem occiderit, tenebitur de damno matris & pullorum; Paulus verò qui gallinæ partem cùm Petro manducavit, non nisi de parte hâc tenebitur; quia eò usque & non ampliùs damnificavit; nec alium in actione hâc adjuvit, ut supponimus.

Quod spectat ad participantes in actione damnosâ, putà qui præbent auxilium, instrumenta, vel qui explorant, &c. certum est eos teneri ad resarciendum damnum pro ratâ; imò totum, si suas alii partes non restituant: & hoc verum est, sive damnum sinè eis nihilominùs fuisset illatum, sive non; quia reipsâ damni hujus causa fuêre.

Ex hoc capite ad restituendum tenentur, 1°. Faber Ferrarius qui adulterinas claves efficit; 2°. qui furi scalam applicat & tenet; quive eunti comitem se facit ut animos addat, aut qui exploratorem agit, portas aperit aut effringit; 3°. institor seu factor usurarii, &c. 4°. qui venenum præbet ei quem eo usurum esse novit ad inimici sui mortem, aut qui arma subministrat homini jam ad occidendum parato; 5°. famuli etiam abstemii, qui aliis conservis heri vina furantibus præsto sunt, aut circumspiciendo impediunt nè deprehendantur.

Quæres an rustici qui à militibus gravi metu coacti, fores effringunt, pecora è stabulis abigunt, per fenestras ascendunt, instrumenta præbent, prædas vehunt, &c. peccent & ad restituendum teneantur.

Ego quidem rebus maturè pensatis crederem hæc omnia esse illicita, cùm in his sit vera cooperatio furto. Sed quia Sylvius aliique viri graves, à quibus durum est recedere, permittunt ut rustici prædas vehant, id improbare non ausim. Undè dici fortè potest, communi quodam multitudinis consensu stabilitum esse, ut utriusque ad salvandam vicini sui vitam, aut bona direptis sibi bonis majora, jure suo cedat, eaque ab ipso transferri consentiat. Addendum verò erit, idem non fuisse permissum in aliis casibus suprà enumeratis, prout ex Doctorum judicio colligi potest.

ineris, pacti vel contractus. Ratio est, quia
officio tenetur malum proximi impedire,
justitiam, quatenùs non servat pactum quod
e impediendo proximi damno : qui verò ex
non tenetur, solam caritatem lædit, non au-
ctum, quod ut supponitur, non fecit.
es : Qui à latrone pecuniam accepit nè clama-
restituendum tenetur : Atqui tamen non tene-
ex officio ad avertendum illud damnum; Ergo.
list. maj. Tenetur ad restituendum ut positivè
s in actionem latronis, C. ut simpliciter mu-
. Itaque qui pactâ pecuniâ latroni silentium
t, eundem ex timido reddit audaciorem;
n damnum positivè influit. Contra verò mu-
quo loquimur, negativè prorsùs se habet;
non obligatur ad restituendum; etiamsi ex
vel invidiâ taceat; quia odium & invidia so-
ficiunt, ut contra caritatem graviter peccet.
obstans dicitur ille qui ex officio vel pacto
e tenetur, v. g. dando subsidium, aut ope-
nè proximo noceatur. Tales sunt Duces belli,
ri Justitiæ, custodes nemorum, vinearum,

officii vel ſtipendii tenetur ad dam-
nifeſtationem. Et ii peccant 1°.
unde damnum ſuâ negligentiâ illatu
bent; 2°. contra religionem, quia
tum quod præſtare ſolent. Ab utro
cato immunes eſſe videntur, ſi d
ſit, aut illatum à perſonâ tam paup
rationabiliter poſſit eum à quo con
des, non eſſe invitum. Sic alibi ex
caduca & inutilia ligna quæ in ſ
vitæ ſuſtentationem colligunt :
ſari debent cuſtodes. Ut ſolvantur

Quæres 1°. an vectigalium colle
dantibus non obſtant, teneantur
niariam quæ in defraudatores con
an cuſtodes qui ſinunt introduci
prehenſæ fiſco cedere debebant, e
ſolvere teneantur : an non ſatis ſ
tium quod pro introducendis mer
ſolvendum erat.

R. videri quòd ſic : quia merc
ſe prohibitæ ſunt, ut telæ indicæ
ex naturâ rei debitæ ſunt, cùm
cauſis ſuas eſſe velit ſi deprehen
eas intrare permittunt, videntur
tionem illis æquivalentem, quia
Rex privatus fuerit.

Quòd ad alias merces quæ n
cium, ſed certa quædam jura ſol
niſi ſolverint, aut fiſco applicantur
mulctâ tenentur, quæro quid inte
urbium portas cuſtodibus commit
exigant vectigal? 2°. ut in lucrum
pent eorum merces qui vectigal n
tenus hâc agendi ratione partim
communi, partim recuperet Prince
tis aliorum vel eorumdem merc
tionibus perdidit ? Quidni ergo
aut pecuniâ corrupti, teneantur

officii vel ſtipendii tenetur ad damnificatoris manifeſtationem. Et ii peccant 1°. contra juſtitiam, unde damnum ſuâ negligentiâ illatum reſarcire debent; 2°. contra religionem, quia violant juramentum quod præſtare ſolent. Ab utroque tamen peccato immunes eſſe videntur, ſi damnum tam leve ſit, aut illatum à perſonâ tam paupere, ut præſumi rationabiliter poſſit eum à quo conſtituti ſunt cuſtodes, non eſſe invitum. Sic alibi excuſavimus eos qui caduca & inutilia ligna quæ in ſaltibus jacent, ad vitæ ſuſtentationem colligunt: unde & tunc excuſari debent cuſtodes. Ut ſolvantur aliqui caſus,

Quæres 1°. an vectigalium collectores, qui fraudantibus non obſtant, teneantur ad mulctam pecuniariam quæ in defraudatores conſtituta eſt. Itèm, an cuſtodes qui ſinunt introduci merces, quæ deprehenſæ fiſco cedere debebant, earumdem pretium ſolvere teneantur: an non ſatìs ſit ut ſolvant pretium quod pro introducendis mercibus à mercatore ſolvendum erat.

R. videri quòd ſic: quia merces quæ ſecundùm ſe prohibitæ ſunt, ut telæ indicæ, regio fiſco quaſi ex naturâ rei debitæ ſunt, cùm Rex eas juſtis de cauſis ſuas eſſe velit ſi deprehendantur; Ergo qui eas intrare permittunt, videntur teneri ad reſtitutionem illis æquivalentem, quia in causâ ſunt cur iis Rex privatus fuerit.

Quòd ad alias merces quæ non extra commercium, ſed certa quædam jura ſolvere debent, quæ niſi ſolverint, aut fiſco applicantur, aut de quâdam mulctâ tenentur, quæro quid intendat Princeps dum urbium portas cuſtodibus committit? An non 1°. ut exigant vectigal? 2°. ùt in lucrum Principis occupent eorum merces qui vectigal non ſolverunt, quatenus hâc agendi ratione partim conſulatur bono communi, partim recuperet Princeps id quod occultis aliorum vel eorumdem mercatorum defraudationibus perdidit? Quidni ergo cuſtodes incauti, aut pecuniâ corrupti, teneantur ad reſtitutionem

vel mulctæ, vel ipsarum mercium; cùm causa sint cur iis Princeps fuerit defraudatus?

Idem servatâ proportione dicendum de custodibus silvarum, vinearum, &c. si enim conducti sint, ut fieri solet, non solùm ut vigilent, & damnum avertant, sed etiam ut malefactores manifestent, tenentur ad refundendam domino mulctam in locum prædonis cui pepercerunt (licèt ad eam non teneatur ipse prædo, sed solum ad damni reparationem, quæ sæpè minoris est quàm mulcta.) Ratio est quia custodes vi pacti cum dominis initi, tenentur ex justitiâ ad manifestandos hujusmodi deprædatores: porrò violatio justitiæ, restituendi obligationem inducit.

Quæres 2°. an custodes qui de industriâ latitant, ut fures deprehendant in furto, teneantur ad restitutionem. R. negat. non enim tenentur domino, quia damnum ipsi illatum satìs compensatur per eos qui deprehenduntur; non etiam iis quos deprehendunt, quia nullam ipsis injuriam inferunt, cùm non teneantur ex justitiâ impedire nè peccent.

Quæres 3°. an ad restituendum teneatur, qui clamare contra fures volentem impedit, unde sequitur alterius damnum. R. teneri, 1°. si alter ex officio clamare tenebatur; quia qui impediit nè clamaret, causa est cur alteri injustitiam fecerit; 2°. si per vim aut dolum eum impediat qui clamare voluit, etiamsi is ex officio clamare non teneretur; unusquisque enim jus habet nè quis defensionem suam vi aut dolo impediat: aliàs non tenetur, ut qui solam caritatem lædat.

Quæres 4°. an testis qui rei veritatem non aperit, teneatur ad restitutionem.

R. 1°. Si testis ultrò non prodeat ad testandum, peccare potest contra caritatem, sed non peccat contra justitiam strictè sumptam; quia qui damnum passus est, jus non habet strictum, ut testis damni ipsum reparari curet, antequam à Judice citetur.

R. 2°. Testis legitimè citatus à Judice, seu per

Monitorium, ut aiunt, seu aliter, si verum taceat, tenetur ad restituendum: 1°. quia qui vocatur in judicium, agit personam officiumque publicum, ac proinde ex pacto quodam, non autem ex obedientiâ solâ veritatem aperire debet; 2°. qui falsum asserendo, aut verum tacendo, est causa damnorum alterius, qui implorato legis auxilio jus habet, ut sibi succurratur.

R. 3°. Eum qui à Magistratu citatus ut verum dicat, non comparet cùm potest, probabiliùs teneri ad restituendum: 1°. quia per citationem Judicis, is qui læsus est jus acquirit ut damnificator suus manifestetur; 2°. quia sicut Judex qui ad jus dicendum invitus eligitur, debet reparare damna quæ inferri passus est; ità & testis, qui ex citatione contrahit quoddam onus à Republicâ sibi impositum.

Quæres 5°. an servus qui heri sui bona dilapidari videt, & tacet, teneatur ad restituendum.

R. 1°. Fatentur omnes servum cui domus vel aliud quid particulariter commissum est, ad restituendum teneri, quia ratione officii sui obstare tenetur.

R. 2°. Communis quoque est sententia, servum, cui commissa non sit specialis rerum cura, teneri de damno quod ab extraneis hero suo advenit. Quis enim famulum conducit, nisi cum pacto saltèm tacito, quod bona ejus servet, si possit?

R. 3°. Longè probabiliùs esse servum qui à conservis suis damnum communi domino inferri cognovit, teneri ad restituendum; 1°. quia hoc etiam pacto saltèm virtuali conducuntur omnes servi; 2°. quia quò damnum faciliùs & diutiùs inferri potest, eò strictior incumbere debet illius avertendi obligatio.

Quæres 6°. an Confessarius ad restituendum teneatur, si pœnitentem restitutioni obnoxium, ad restituendum non obliget, vel obliget eum qui non tenebatur. R. Confessarium etiam non Parochum ex culpâ latâ ad restituendum teneri: tùm quia tunc est causa damni quod impedire potest & debet; tùm quia

quia Confessarius qui restitutionem non præcipit, se habet quasi qui negaret eandem fieri debere. Excipi solet casus in quo Confessarius pœnitentem officii sui monere omisit, vel ex incogitantiâ, cui & ipsi Sacramentorum ministri inculpabiliter obnoxii esse possunt; vel ex legitimâ persuasione quòd pœnitens, qui damnum à se commissum intelligebat, idem reparaturus esset.

ARTICULUS QUARTUS.

De Restitutionis affectionibus seu circumstantiis.

RESTITUTIONIS circumstantiæ hoc disticho habentur:

Quis, quid restituat, cui, quantùm, quomodo, quando;
Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

Ex dictis patet *quis* restituere debeat: *quomodo* autem facienda sit restitutio, nihil habet difficultatis; optimo enim modo restituit qui quod alteri debet, hoc reddit ad æqualitatem, sive per se, sive per alium: nihil etiam interest an palàm & occultè, nisi agatur de restitutione famæ, cui labes si palàm inusta fuerit, palam resarciri debet. Superest igitur ut alias circumstantias prosequamur; quod ut fiat dicemus, 1°. de ordine qui à damnificatoribus servari debet, quis nempè, cùm plures in idem damnum influxerunt, omnium primus restituere teneatur; 2°. de ordine servando erga eos quibus restituendum est, & sic de ceteris.

SECTIO PRIMA.

De ordine quem damnificatores restituendo servare debent.

NOT. 1°. inter damnificatores qui ad se invicem relationes habent, & de quibus solis agitur in præsenti, alios concurrere *inæqualiter*, ut cùm unus

mandat, alter exequitur, tertius consulit; alio concurrere æqualiter, sive sint causæ magìs prin cipales, ut duo mandantes; sive causæ sint mini principales, ut duo consulentes.

Not. 2. eos qui priùs in damnum influunt, te neri ad restituendum primo loco. Is porrò ad rest tuendum *primo loco* teneri dicitur, qui sic obliga tur, ut eo restituente ceteri fiant liberi, alio autei restituente, ipse eidem refundere teneatur; is ver secundo loco teneri dicitur, quo restituente; ceter excepto primo, fiunt immunes, & sic de aliis. H præmissis, sit

Conclusio I. Is ad quem res furtiva pervenit primo loco eandem restituere tenetur, sive extet sive non.

Prob. 1°. quia obligatio ratione rei acceptæ, e omnium maxima, cùm res aliena semper domir suo clamat; 2°. quia factâ rei restitutione ab eo a quem res illa pervenit, ceteri damnificatores a omni restitutione liberi sunt: quod non esset, ni is qui rem alienam babet, omnium primus ad resl tuendum obligaretur.

Dixi, *sive res extet, sive non;* quia quòd quis re alterius consumpserit, nova est iniquitas quæ eu à restitutione eximere non potest. Aliquando tam à restitutione immunis esse potest, qui rem aliena consumpsit, neque factus est ex eâ ditior. Sic si h rus ovem furto subreptam, à famulo suo come præcipiat, eo ipso in se suscipere videtur obligati nem restituendi in locum famuli.

Conclusio II. Cùm plures æqualiter dam cooperati sunt, æqualiter restituere debent: u autem deficiente, ceteri tenentur in solidum; qu obligatio restituendi in solidum, locum habet in etiam qui minùs quàm alii cooperati sunt.

Prob. 1. pars; quia cùm omnes æqualiter dam cooperati sunt, non est cur unus plus restituat quà alter.

Prob. 2. pars: illi obligantur ad restitutionem

solidum qui non partem solùm damni, sed damnum totum resarcire debent, quod alii vel nolunt vel non possunt: Atqui non partem solùm damni, sed damnum totum resarcire debent qui damno huic efficienter cum aliis cooperati sunt. Singuli enim cooperatores sunt causa totius damni, non quidem totalitate causæ, sed totalitate effectûs. Nam 1°. si plures auferant trabem quam quilibet eorum auferre non potuisset, palàm est quòd totalitas effectûs; nempè trabis asportatio sit unicuique attribuenda: quia uno deficiente trabes à ceteris asportari non potuisset, ut supponimus; 2°. si duo duas ponant actiones, quarum unaquæque per se solam satis fuisset ad effectum, evidens est utrumque de toto damno in solidum teneri, quia uterque ità influit in effectum, ut sit simpliciter causa illius, ut si duo letale homini vulnus seorsim infligant; 3°. si duobus tignum per se ablaturis, accedat tertius, qui iisdem opem ferat, ille adhuc in solidum restituere debet, quia nulla est damni pars in quam non influxerit, & licèt alii sinè ejus auxilio damnum illaturi fuissent, reipsâ tamen sinè ipso non intulerunt. Quòd vérò fuerit tantùm causa partialis damni, probat quidem eum non teneri ad restitutionem totius absolutè; sed non probat eum non teneri ad totum, ex hypothesi quòd alii non restituant.

CONCLUSIO III. Cùm plures inæqualiter damno cooperati sunt, mandans primo loco restituere debet, deinde executor, tertiò ceteri cooperantes.

Prob. 1. pars: quia mandans est principalis causa damni; est enim causa tùm efficiens, quia non nisi imperio ejus damnum infertur; tùm finalis, quia quidquid proximo infertur mali, própter mandantem inferri supponitur.

Et hæc intelliganda sunt non solùm de mandante qui autoritatem habet, quales sunt pater, Judex, Præfectus militiæ, sed de eo etiam, qui vi, metu, aut fraude alium impellit & quasi cogit ut malum proximo inferat; *itèm de eo qui* suasit aut rogavit

damnum nomine suo inferri. Ratio est, quia ii omnes, & reipsâ mandantes sunt, aut mandantibus æquivalent; & totum restituendi onus in se suscipiunt, ex communi hominum æstimatione.

Prob. 2. pars; quia executor, utpotè physicè in damnum influens, est principalis post imperantem ejusdem damni causa; Ergo consulenti, palponi, &c. restituendo præire debet. Si tamen multi uno consensu in damnum aliquod conspirent, illudque unus ceterorum nomine exequatur, tunc omnes ad restituendum æqualiter tenentur; quia nemo eorum est qui non sit principium damni.

Prob. 3. pars: si enim nec imperans, nec executor restituere velint aut possint, superest ut ceteri qui damni causæ sunt, restituere teneantur.

Quærés 1°. quis sit ordo inter eos qui minus præcipuè cooperantur; tùm positivè, ut consulens, & palpo; tùm negativè, ut mutus, & non obstans.

R. inter prædictos cooperantes hunc esse ordinem, ut positivè cooperantes ante eos qui privativè solùm cooperati sunt, restituere teneantur. Ratio est: 1°. quia positivi cooperatores, priùs influunt in damnum quàm negativi; cùm isti ideò solùm peccent, quia aliorum actionem non impediunt; 2°. quia ineptum esset ut positivus cooperator, qui illatum damnum compensavit, recursum suum habere vellet in eum qui malam ejus actionem non impediit.

R. 2°. inter cooperatores positivos minùs præcipuos, ad se invicem comparatos, non videtur esse aliquis ordo; sed omnes in eodem gradu ad restitutionem obligandi sunt: ità tamen ut qui efficaciùs cooperatus est damno, plus restituere teneatur.

Prob. 1. pars; quia qui pari gradu influunt in damnum, pari gradu ad damni reparationem concurrere debent: Atqui consulens, consentiens, palpans, &c. pari gradu influunt in damnum, quia nemo eorum alterius nomine operatur; nemo aliud

agit quàm ut quempiam impellat, ut proprio suo nomine alteri damnum procreet. Hi autem impulsus, etsi alii aliis priores tempore esse possunt, unà tamen concurrunt ad movendam damnificatoris mentem; Ergo prædicti cooperantes non sic sibi subordinati sunt, ut alter ante alterum restituere teneatur: tenebitur tamen quilibet in aliorum defectum restituere.

Prob. 2. pars; quia qui magis contulit in damnum, majorem restitutionis partem, qui minùs, minorem subire debet. Unde fieri potest, ut consulens ad minus teneatur quàm palpans, quia viri nobilis adulatio, majorem quàm plebei consilium efficaciam habere potest.

R. 3°. Si positivi cooperatores restituere non possint, is inter negativos ordo constitui potest, ut 1°. restituat superior ex cujus incuriâ illatum est damnum; 2°. custos rei; 3°. testis qui juridicè interrogatus, damnificatorem non manifestat.

Prob. quia superior ante custodem, custos ante testem damnum avertere debet; Ergo ante alios restituere tenetur; alii verò non nisi in solidum.

Verùm hæc doctrina quoad superiores, putà Magistratus, & *Politiæ* Præfectos, tunc tantùm vera est, cùm vel custodes constituere negligunt, vel eorum actionibus non invigilant: alioqui enim custos particularis qui non obstat, ante Magistratum aut ducem restituere debet, quia immediatiùs concurrit ad damnum, quod prospector generalis per se ipsum impedire non potest. Unde practica principiorum mox expositorum applicatio, magnam ad singulares circumstantias attentionem requirit. Sic aliquando causa negativa ad restitutionem ante causam positivam teneri potest; si quis v. g. non obstiterit damno, & damnificator ex præteritâ ejus negligentiâ ad inferendum novum proximo damnum excitetur, profectò non obstans primaria damni causa evadet, adeòque ante alios ad restituendum *obligabitur.*

Quæres 2°. an plures qui ad damnum aliquod non idem in individuo, sed diversum concurrerunt, teneantur ad restitutionem in solidum : putà si plures milites eandem in bello injusto urbem depopulati sint.

R. 1°. eos non teneri, si alii aliis insciis & nullo pacto moventibus damnum intulerint; quia in hoc casu aliis cooperati non sunt.

R. 2°. Si quis eorum qui damnum intulerunt, primus alios moverit; videndum est an moverit per modum causæ, an solùm exemplo. Si moverit per modum causæ, rursùs expendendum est in quo causæ genere moverit; an imperando, ut nonnunquam faciunt juvenes nequam, qui alios ætate & viribus inferiores ad scelus minis & imperio trahunt; an simpliciter consulendo, palpando, &c. in his autem casibus, sequendum est, quantùm circumstantiæ ferent, id quod statim diximus de ordine inter damnificatores observando.

Quòd si quis alios solùm moverit exemplo, ut faciunt ii qui coram aliis furando, eosdem exemplo suo ad furtum excitant; probabilius nobis videtur, & hîc quoque esse obligationem restituendi, 1°. quia ex cap. ultimo, *de injuriis : Si culpâ tuâ datum est damnum, jure super his te satisfacere oportet;* Atqui cùm prævidere potuisti probabiliter alium exemplo tuo movendum esse ad inferendum proximo damnum, jam idem damnum culpâ tuâ datum est; 2°. quia ex l. 30. ff. ad Leg. Aquil. *qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur :* Atqui in hoc casu damni occasionem præstitisti, ut fatentur omnes; 3°. quia non minus movet quis exemplo, quàm consilio; imò magìs, quia *exempla trahunt;* sed qui consilio movet, ad restituendum tenetur; Ergo & qui movet exemplis.

R. 3°. Cùm plures ad furtum aliquod à singulis pro se peragendum conspirârunt communi consilio & consensu, sed absque eo quòd alter alterius motor principalis extiterit, aut etiam traxerit exemplo,

ut cùm dicente uno : *Ecce eo ad prædam*, exclamant alii : *& ego id habebam in mente*, *jamque profecturus eram*, & hîc quoque credimus urgere obligationem restituendi in solidum : 1°. quia singuli milites in hâc hypothesi, ex ipsâ suâ multitudine depopulandi audaciam sumunt ; 2°. quia nisi tanta esset eorum multitudo, singuli nihil deriperent : facilè enim à civibus impedirentur ; Ergo singulorum influxus magni est momenti.

Quæres 3°. an cùm ille qui damnum passus est, debitum relaxat uni cooperatorum, alii à restituendo immunes fiant.

R. 1°. Si condonatio fiat ei qui primo loco restituere tenebatur, ceteros post ipsum à restitutione liberati : 1°. quia ceteri in ejus tantùm defectum restituere debent ; Ergo eo nihil ampliùs debente, ceteri nihil debent ; 2°. quia qui damnum passus est, non potest efficere pro nutu ut hic vel ille primo loco restituere debeat : Ergo cùm eum à restituendo eximit qui primo loco tenebatur, ceteros omnes eximit.

R. 2°. Si condonatio fiat alicui qui nonnisi secundo loco restituere debeat, anteriores & magis principales non eximi : quia principales tenentur independenter à posterioribus.

R. 3°. Si multæ sint causæ primariæ, aut secundariæ, & uni condonatio fiat, ceteras ejusdem ordinis causas adhuc teneri ad restituendum : non quidem partem illam quæ condonata est, sed id quod eâ parte detractâ supererit. Ratio est, quia singuli partes singulas debent : Ergo uni remissio fieri potest, eâdem ceteris non factâ.

SECTIO SECUNDA.

Quo ordine personis quæ læsæ sunt restituendum sit.

QUæstio procedit de debitore qui multis creditoribus diversi ordinis debet, sed omnibus satisfacere nequit.

Debita porrò multiplicis sunt generis : nam 1°. alia sunt *certa*, ut si certò noveris te Titio debere centum aureos : alia sunt *incerta*, ut si dubites de debito, vel certus de debito, dubites cui debeas.

2°. Alia sunt quæ in dominium tuum transierunt ut merces à te emptæ, sive adhuc extent apud te, sive non ; alia sunt quorum dominium non habes, ut pignus, res furtivæ.

3°. Debita alia sunt *realia*, cùm bona debitoris sunt creditori obligata per hypothecam generalem, vel specialem ; alia *personalia*, cùm creditor in personam debitoris, non verò immediatè in ejus bona actionem habet.

4°. Debita, tum realia, tum personalia, vel sunt *privilegiata*, vel *simplicia*, prout creditores sunt hypothecarii, vel chirographarii ; & utrique vel habent privilegia quibus præ aliis creditoribus solvantur, vel hisce privilegiis carent.

5°. Debita vel sunt *ex delicto*, ut si debeas quia furatus es ; vel *ex contractu*, ut si debeas quia mutuo accepisti, &c. Itèm alia sunt ex titulo *gratuito*, v. g. promissione, legato, &c. alia ex titulo *oneroso*, putà emptionis, &c. His positis, sit

CONCLUSIO I. Debita ex delicto vel ex titulo oneroso, priùs solvi debent, quàm debita ex titulo gratuito.

Prob. quia alioqui gratuita promissio vergeret in præjudicium tertii, illius nempè cui aliquid debetur propter delictum aut emptionem, &c.

Hinc colliges 1°. quòd illicitum sit acceptare dona vel legata illius, qui ex donationibus aut legatis efficitur impar solvendis debitis quæ titulo oneroso contraxit ; 2°. quòd hæres onerosa defuncti debita priùs solvere debeat, quàm legata etiam acceptata, imò quàm res voto promissas ; quia vota quæ in tertii præjudicium vergunt, à Deo reprobantur ; hæc tamen, utpotè quæ ipsam voventis personam ligent, priùs solvi debent, quam legata.

CONCLUSIO II. Res aliena extans priùs est resti-

tuenda domino suo, quàm solvatur quodcumque aliud debitum; deinde solvi debent impensæ pro funere debitoris, itèm pro curatione ejus.

Prob. 1. pars; quia hujusmodi res domino suo clamat; Ergo ei præ ceteris est restituenda; Ergo depositum, pignus, res per usuram ablatæ, dominis suis reddendæ sunt, non aliis creditoribus dividendæ. Quòd si ignoretur dominus rei quæ in suâ specie remanet, ut hæc vestis, tunc in pauperes aut opera pia erogari poterit, quia non tenetur debitor creditori satisfacere ex alieno; an verò id possit, expendemus Conclusione quartâ.

Prob. 2. pars ex L. 45. *de relig. & sumptibus funerum.* Porrò *sumptus funeris* æstimantur *pro facultatibus* & *dignitate defuncti.* L. 12. ibid.

Quæres an res quam quis emit, & quibus pretium nondum solvit, ante omnia venditori reddi debeat.

R. In Galliâ venditor rei immobilis qui pretium non recepit, ceteris creditoribus præfertur, etiam Regi, juxta art. 3. Edicti an. 1669. imò venditor ille jus habet, rem, ut aiunt, suam insequendi, quocumque transierit: at non ità est de bonis mobilibus, quæ semel ab emptore revendita, à venditore occupari non possunt, (nisi aliud ferat loci consuetudo necessariò consulenda) possunt verò quandiù sunt in manu primi emptoris.

CONCLUSIO III. Debita de quibus certò constat, priùs solvi debent, quàm ea de quibus dubitatur an debita sint.

Prob. ex unanimi Theologorum consensu, qui magni esse debet ponderis; tum quia ubi est aliqua obscuritas, id sequendum est in praxi quod prudentissimi quique judicant; tum quia consensus ille indicat populos inter se quasi convenisse, ut priùs iis restitutio fieret quibus certò debetur, quàm iis quibus nihil fortè debitum est.

CONCLUSIO IV. Debita certa ante incerta hoc etiam sensu solvi debent, quòd priùs restituendum sit domino *certo quàm incerto*, etiamsi de debito

constet ; ità S. Antoninus, 2. p. tit. 2. c. 7. hæc tamen opinio non caret difficultate.

Prob. Ut debita certa de quibus loquimur, priùs restituenda sint quàm incerta, sufficit ut præsumi meritò possit dominum ignotum in id consentire : Atqui hoc præsumi meritò potest. Voluntas enim pia, & quæ domino ignoto favet, de unoquoque legitimè præsumitur : Atqui voluntas ut debita certa priùs restituantur quàm incerta, & pia est, & domino incerto favet : 1°. quidem pia est, cùm pium sit opem ferre iis qui ære alieno gravati, premuntur à creditoribus, idque quoddam sit genus eleemosynæ Deo acceptissimæ : 2°. eadem voluntas creditori incognito favet : sic enim integrum servatur ejus debitum, ità ut debitor si ad pinguiorem fortunam redeat, teneatur illud domino cùm comparuerit reddere, vel tunc saltèm ipsum pios in usus expendere.

Obj. Dominus incertus seu ignotus tantùm habet juris quàm notus; Ergo non minùs ipsi satisfieri debet in personâ pauperum, quàm ceteris.

R. dist. Tantùm habet juris, sed jus illud non eodem exigit modo pro pauperibus ac pro se, vel hæredibus suis, C. & exigit illud eodem modo, N. vel enim debitor postquam creditoribus suis satisfecerit, ad priorem fortunam reverti potest, vel in eas conjectus erit angustias, unde moraliter loquendo resurgere non possit. Si 1. quis dubitet hanc esse creditoris ignoti voluntatem, ut debitor illud pauperibus non distribuat, quod aliquando recuperare ipse poterit ? Si 2. an non æquè pium est ut debitor debita sua ex ære alieno solvere possit, quàm ut illud pauperibus eroget ?

CONCLUSIO V. Debita contracta ex delicto, non sunt priùs solvenda, quàm quæ ex justo contractu oneroso prodeunt, sed inter utraque nullus est ordo.

Prob. Quia nec positivo nec naturali jure ostendi potest, majorem esse unius debiti quàm alterius solvendi obligationem. Non positivo, cùm jus positi-

rum inter varia hæc debita nullibi distinguat. Non naturali ; quia jure naturali unum debitum non ligat arctiùs quàm aliud.

Obj. 1°. in gratiam eorum qui debita ex delicto præferunt : Cùm ab omnibus culpis recedi non potest, ab iis primò recedendum est quæ graviores sunt : Atqui rapina est culpa gravior quàm furtum, & furtum quàm usura ; Ergo priùs restituendum est pro furto quàm pro usura, priùs pro usurâ quàm pro contractu oneroso in quo nihil fuit mali.

R. dist. maj. Recedendum est primò à culpis quæ graviores sunt, si sunt diversæ speciei, C. si ejusdem, N. Sic si Petro fureris centum, & Joanni decem, non ideò priùs Petro quàm Joanni restituere teneris ; porrò delictum rapinæ & furti ejusdem speciei sunt quantùm ad actum restituendi.

Inst. Qui ex delicto damnum passus est, magis est & esse debet invitus quòd sua res retineatur, quàm ille cui quidpiam debetur ex contractu ; Ergo.

R. neg. conseq. Obligatio enim restituendi non hinc desumitur, quòd creditor magis aut minùs invitus sit, id est animo magis impatienti rei suæ jacturam ferat, alioqui præ ceteris omnibus restituendum esset avaro seni, qui bonis suis tenaciùs adhæret : sed restituendi onus inde oritur, quòd homo invitus sit objectivè, id est non cedat jure quod in rem suam habet ; porrò venditor non magis cedit jure suo, quàm is cui res sua subrepta fuit.

Obj. 2°. in gratiam eorum qui debita ex contractu oneroso præferenda esse putant : Quod ex contractu debetur, duplici fidelitatis & justitiæ titulo debetur ; Ergo priùs absolvi debet.

R. dist. conseq. Priùs solvi debet, si priùs solvi possit sinè injuriâ & damno alterius, C. si non possit, N. Itaque exigit fidelitas ut quantùm inculpatè fieri potest, promissa tua impleas, sed non postulat ut ei totum solvas cui totum solvere non potes sinè alterius dispendio : Atqui si totum solveris venditori, *v. g.* & *nihil ei cujus* equum furatus

es, jam inde dispendium patietur ille cui furto tuo nocuisti; Ergo.

CONCLUSIO VI. Ceteris paribus creditori pauperi priùs restituendum non est quàm diviti.

Prob. Quia paupertas non efficit ut pauper plùs habeat juris quàm dives; Ergo.

At, inquies, restitutio fit ut tollatur proximi damnum; hoc verò in paupere majus est quàm in divite.

R. dist. maj. Ut tollatur damnum proximi, id est ut reddatur proximo secundùm jus quod habet, C. secùs, N. Cùm ergo jus in paupere majus non sit quàm in divite, consequens est quòd inter utrumque nullus sit præferentiæ ordo. Si tamen pauper in extremâ necessitate constitutus sit, imò in gravi juxta aliquos, tunc præferri debet aut saltèm potest diviti. Ratio est, quia cùm negatur aliquem alteri esse præferendum, id semper intelligitur salvo ordine caritatis virtutum omnium reginæ.

CONCLUSIO VII. Creditoribus qui hypothecam aut privilegium habent priùs est satisfaciendum, quàm iis qui non habent.

Prob. Quia jus hypothecæ ideo legibus constitutum est, ut creditores qui eo gaudent, aliis anteponantur. Idem est de privilegiatis.

Porrò circa privilegia & hypothecas sequendæ sunt locorum consuetudines. Unde in casibus qui ad hanc materiam pertinent, Confessarius, nisi uberi juris legumque scientiâ instructus sit, necessariò consulere debet Advocatos & similes, qui magnam Juris seu communis seu municipalis cognitionem adepti fuerint; in hâc enim materiâ, sicut & in aliis circa quas jus naturale nihil præscribit, standum est legibus locorum, & justæ consuetudini, quia obligant in conscientiâ.

Quæres 1°. an debitor qui omnibus solvere non potest, & uni totum solvit prætermissis aliis, qui privilegiati non sint, peccet contra justitiam.

R. Vel ille cui debitor totum solvit, hoc exegit

in judicio, vel extra judicium, vel nullatenus. Si 1. tenetur debitor ei totum solvere, etiamsi esset tempore posterior. Ratio est, quia *vigilantibus jura subveniunt;* & Legibus constitutum est, ut qui diligentior est in repetendo debito, ceteris præferatur. Si 2. crederem cum Lugo, non sufficere privatam creditoris petitionem absque sententiâ Judicis; quia privata petitio non potest uni tribuere jus quod in aliorum detrimentum vergat. Si quis tamen aliter egisset bonâ fide, damnare non auderem. Si 3. debitor contra justitiam peccavit, quia debet unicuique tantùm largiri quantùm pro circumstantiis potest: hoc autem non facit, qui unum etiam non petentem ceteris anteponit, ut eidem gratificetur; Ergo peccat contra justitiam, ac tenetur de damno alterius creditoris æquale jus habentis, nisi eum juris vel facti ignorantia excuset.

Quæres 2°. an creditor qui jus prælationis non habens, solutionem ante alios recepit, teneatur aliis restituere. R. Vel alii creditores jus prælationis habebant vi privilegii, aut hypothecæ; vel non habebant nisi jus æquale. Si alii creditores prælationis jus habebant ei cognitum cui præ ipsis restitutum fuit, tenetur is ad restitutionem ante sententiam Judicis; quia recipiendo id quod primo loco aliis debebatur, recepit id quod suum non erat, & aliunde iniquæ aliorum damnificationi cooperatus est. Si verò creditores alii non erant potiores jure, sed omninò pares, probabilius nobis videtur, quod docent Lugo & Sylvius, creditorem qui totum debitum recepit, teneri ad restituendum aliis: quia creditor ille cooperatur tum debitori violanti justitiam, tum injustæ aliorum creditorum damnificationi, prout efficaciter impedit nè iis hîc & nunc solvatur quod ipsis saltèm ex parte solvendum erat.

At, inquies, creditor ille non recipit nisi quod suum est; Ergo.

R. non esse creditoris id quod ei sinè aliorum

injuria solvi non potest, ut in præsenti casu contingit. Fatendum tamen quòd in re intricatâ & multùm controversâ facilè excuset bona fides. Dico, *bona fides*. Si enim creditor debitum suum obtineat per fraudem, v. g. simulando gravem inopiam, non posset eximi à restitutione.

Hinc à fortiori sequitur, eum ad restituendum teneri, qui aliquid gratuito titulo accipit à debitore quem inde scit conjiciendum in restituendi impotentiam. Ratio est quia cooperatur iniquæ actioni quâ debitor solvendo imparem se constituit. Meritò igitur proscripta est an. 1700. Clero Gallicano propositio ista : *Etiamsi donatario perspectum sit, bona sibi donata à quopiam eâ mente ut creditores frustrentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.*

SECTIO TERTIA.

Cui facienda sit Restitutio.

CErtum est 1°. restitutionem rei vero ejus domino cùm cognoscitur esse faciendam, si nihil obstet; quia hic est naturalis æqualitatem reponendi modus. Quod si dominus rei fato functus sit, restitutio hæredi ejus facienda erit, quia hæres in omne jus mortui succedit. Hæres porrò dicitur quisquis de jure in hæreditatem defuncti succedit, sive ab intestato, sive aliter.

Certum est 2°. rem à possessore malæ fidei ablatam, non ipsi, sed domino esse restituendam; cavendum tamen nè injustus possessor restitutionis iterum faciendæ periculo exponatur, quod fiet si vel ipse, vel rei dominus, debito modo commoneantur. Sed quia fieri potest, 1°. ut res eadem secundùm diversos respectus, diversis personis restitui possit; 2°. ut legitimo domino non nisi periculosè restituatur; 3°. ut verus rei dominus non congnoscatur : inde fit ut variæ circa præsentem materiam exoriantur disceptationes, quas ut breviter expediamus, sit

CONCLUSIO I. Res ordinariè ei reddenda est à quo legitimo titulo possidetur, etsi non sit rei dominus.

Prob. quia si res commodata, deposita, locata, non reddatur commodatario, depositario, &c. sed domino, commodatarii qui re illâ utendi jus habent, læduntur; Ergo nisi fiat iis restitutio, peccatur contra justitiam, contrahitur onus iisdem restituendi pro damno emergente & lucro cessante. Pariter si vestis, vel farina, domino, non sartori, vel molitori quorum in manibus erant, reddantur, iisdem grave creatur incommodum; tùm quia fortè laboris sui pretium amittent; tùm quia ab eorum quasi negligentium officinâ recedent, qui antea iisdem utebantur.

Dixi *ordinariè*, quia si possessor nihil patiatur detrimenti ex eo quòd restitutio fiat proprietario, nihil interest an uni vel alteri fiat.

CONCLUSIO II. Qui à possessore bonæ fidei accepit aliquid quod alterius esse comperit, hoc vero ejus domino restituere debet, si gratis acceperit; si autem oneroso titulo comparaverit, id reddere potest possessori, & pretium suum repetere.

Prob. 1. pars; quia ei facienda est restitutio qui jus in rem habet, non ei qui tali jure non gaudet: Atqui possessor in præsenti casu nullum jus in eà re habet, quam supponimus alienam esse; Ergo.

Quòd si rem sinè gravi tui incommodo, domino, v. g. nimiùm distanti restituere nequeas, sufficit ut eam reddas possessori, nisi meritò conjicias futurum fortè ut possessor eam domino non reddat; tunc enim habere te debes quasi inventorem, qui rem inventam eâ quâ par est curâ servare debet.

Prob. 2. pars. Unicuique licet bono proprio consulere, cùm id potest sinè alterius dispendio: sed qui rem reddit ei à quo emit, bono suo consulit sinè alterius dispendio: supponimus enim possessorem à quo res empta fuit esse hominem in cujus manu eadem res non periclitetur, & cui proinde non secùs ac fideli nuntio committi possit ad verum dominum transmittenda.

Hâc occasione quæritur an qui rem emit à fure; hanc ei reddere possit ut pretium suum consequatur. Quæstio non movetur de eo qui rei quàm animadvertit furtivam esse, possessionem inire noluit. Si quis enim numeratâ pecuniâ, gemmam receptaturus, cognoscat eam non esse venditoris, potest is & pecuniam suam recipere, & furtivam gemmam in manu furis relinquere : sicut qui rem alienam invenit in viâ, potest eam ibi relinquere, si metuat nè propter eam furti redarguatur, quia licet unicuique sibi magis consulere quàm alteri. Quæstio igitur procedit de eo qui rem furtivam apud se habere cœpit, ejusque possessionem iniit.

R. Rem etiam bonâ fide à fure emptam, eidem reddi non posse, nisi moraliter judicari possit eam vel à fure, vero domino esse reddendam, vel in manibus furis deprehendendam esse à domino prudenter admonito.

Prob. 1°. Ideò, juxtà Lessium & alios, rem furi à quo eam emisti reddere potes, quia tunc nullam domino injuriam facis, cùm rem ejus in eo reponas statu in quo eam invenisti, & à quo eam extrahere cum proprio tuî detrimento non teneris : Atqui hæc ratio omni ex parte nutat. Nam 1°. falsum est quòd in hoc casu nulla fiat domino injuria. Qui enim rem è manibus furis ablatam eidem reddit, causa est cur dominus re suâ privetur, re, inquam, quæ semper domino clamat; etiam dum ab aliquo empta est, quia emptio nunquam efficere potest ut res alterius eidem debita non sit ; 2°. emptor rem restituendo furi, eam quidem non ponit pejori in loco quàm fuerit ante emptionem ; at eam pejori in statu ponit quàm fuerit post emptionem ; quia res illa securè erat in manu emptoris, non ità verò in manu furis : Atqui non potest emptor rem alterius semel bono in loco constitutam, in alio periculoso constituere ; quia res ad dominum pertinet cum omnibus suis *melioramentis* : Atqui quòd res sit in statu securitatis, quoddam ejus est melioramentum : Ergo qui

c tollit, reipsâ domino facit injuriam, & rem
ıs in pejori quàm anteà erat statu reponit.
Prob. 2°. ex istâ juris naturalis regulâ : Alteri nè
:eris quod tibi fieri non vis : Atqui nullus adver-
iorum vellet ut res sua quam quis bonâ fide
ıisset à fure, furi redderetur à quo eam non
et recepturus. Durum quidem est quòd quis pre-
ım bonâ fide datum amittere debeat : sed si fur
ıisset, si non inveniretur, si solvendo par non
et, an non res furtiva domino reddi deberet ?
ı sanè est ex omnium confesso : Atqui ex eo quòd
veniatur latro qui solvendo par sit, dominus nihil
nittit juris sui : Ergo qui rem alienam reddit furi
ccat & contra caritatem, &, ut ex primâ pro-
ıtione liquet, contra justitiam.
Prob. 3°. Non liceret emptori rem furtivam
:ndere extraneo, ut pretium suum recuperaret,
rgo nec ipsi licitum est eam reddere furi, quia fur
ɔn plus in eam juris habet quàm extraneus.
Obj. 1°. Emptor rem reddendo furi jure suo uti-
ır. Prob. Unusquisque jus habet, contractum ex
nâ parte injustum, ex alterâ verò per errorem
ıitum rescindendi : Atqui talis est contractus emp-
ɔris cum fure.
R. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. Unusquisque jus ha-
et contractum injustum rescindendi, si fieri id
ossit sinè injuriâ tertii, C. si non possit, N.
Inst. Rei dominus non potest rationabiliter invitus
sse quod rescindatur contractus de quo loquimur.
Nemo enim rationabiliter invitus esse potest quòd
lter propriis rebus magis consulat quàm alienis,
ùm par est utriusque innocentia, par & causa ;
Atqui res sic se habet in præsenti. Quandoquidem
mptor non minùs ad pretium suum juris habet,
uàm dominus ad rem suam.
R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. Par quidem
st utriusque innocentia, sed non par est causa.
Dominus enim nullo modo causa est cur emptor
retii sui jacturam *subeat, sed in* totum venditoris

malitiæ, imputari debet : atverò emptor rem restituendo furi, causa erit cur dominus rei suæ jacturam faciat.

Obj. 2°. Non teneor damnum pati, ut alterius damnum avertam ; Ergo rem furi reddere possum.

R. neg. conseq. Non teneris quidem damnum pati ut alterius damnum avertas, sed teneris damnum pati, cùm illud evitare non potes, nisi fias alteri & quidem innocenti moralis damni causa, ut in præsenti casu.

Inst. Possem marsupium alterius tradere furi, qui mortem minitatur nisi tradidero : Possem quoque alterius supellectilia è domo meâ ejicere, si propter illa apud me reperienda de furto accusari possem : Ergo à pari.

R. neg. conseq. quia etsi bona primi ordinis, ut vita & fama bonis longè minoribus alienis præferri possint, absque eo quod quisquam rationabiliter invitus esse possit ; non sequitur quòd idem dicendum sit in casu nostro, in quo nec vita, nec fama in periculum venire supponuntur.

Conclusio III. Non semper licet rem vero ipsius domino restituere ; putà cùm ex hâc restitutione grave imminet ipsi aut alteri nocumentum spirituale vel temporale, quod quis sine gravi proprio detrimento impedire potest.

Prob. quia unusquisque damnum alterius quantùm potest, avertere tenetur : sed qui domino reddit rem quam prudenter judicet ipsi aut alteri perniciosam fore, vel in spiritualibus, vel in temporaneis, damnum ejus quantùm potest non avertit ; Ergo peccat qui reddit pecuniam ei quem cognoscit eâ usurum ut Beneficium emat, &c. item qui reddit scalas ei quem scit iis ad furta & rapinas usurum esse. Licèt enim hæc omnia per se non ordinentur ad peccatum, ordinantur tamen ex pravâ recipientis intentione, quam, si possum, impedire teneor.

Dico, *si possum* : non enim teneor grave subire detrimentum, ut alterius peccatum avertam. Ca-

tamen ne quis rem suam, etiam levis mo- alterius saluti anteponat, ut ii faciunt qui is media ad injustitiam sternunt, nè eos ic.

s 1°. cui ergo facienda sit restitutio, si do- fieri non possit. R. id definiri non posse rcumstantiis. Censent Navarrus & Mer- ma qui Prælato rerum Ecclesiasticarum di- summam pecuniæ furatus est, posse & de- nam hanc non Prelato, sed Ecclesiæ quæ lius domina restituere. Addunt restitutio- e, imò debere fieri uxori, non marito, itus bona sua temerè dissipat: sic tamen, esse potest, caveatur omnis perturbatio domestici. Sed, ut dixi, innumeræ occur- int circumstantiæ quæ ad aliam agendi ra- leterminent. Sic differri debet restitutio, si geat futurum ut rei dominus ad meliorem vertatur; sic operariis in summâ miseriâ k qui debitâ mercede privantur, potiùs lum esset quàm Ecclesiæ, &c.

s 2° an peccet contra justitiam, qui alicui, ut gladium, reddit cùm prævidet inde ı ipsi domino aut proximo detrimentum. at. qui enim gladium reddit homini parato ndam alii mortem, ad mortem hanc suo ncurrit. Tunc enim se habet ac si proprium em commodaret; cùm hîc & nunc nec te- ec debeat alterius gladium eidem reddere. casus in quo nisi alteri rem suam reddide- ı ab ipso passurus sis damnum quod aliis. ; quia non teneris temporale alterius dam- ni tui æqualis dispendio avertere.

LUSIO IV. Bona quorum dominus aut æredes post diligentem inquisitionem cog- possunt, pauperibus sunt eroganda jure Sequitur ex iis quæ dixi agendo de rebus

dvertendum tamen conclusionem hanc pro-

cedere de domino qui ignoratur, tàm in communi quàm in particulari ; aliter enim agendum eſt in praxi, 1°. quando dominus cognitus eſt in communi; quo pacto milites qui oppida, Provinciarum Præfecti qui Provincias dilapidaverunt, cognoſcunt in communi quibus damnum intulerint, licèt eos in particulari diſcernere nequeant; 2°. cùm cognoſcitur rem pertinere ad unum è multis ; ſed quis unus ille ſit definiri non poteſt.

In primo caſu, reſtitutio in communi, ſi ità loqui fas eſt, fieri debet, idque in loco ubi damnum illatum eſt; adeò ut qui læſi ſunt vel eorum hæredes recipiant, prout prudenter ex circumſtantiis judicatur eos vexatos fuiſſe. Hinc optimi conſilii eſt ut reſtitutio hæc fiat per manus Epiſcopi, vel Magiſtratuum, qui cùm faciliùs uniuſcujuſque jacturam cognoſcere poſſint, tutiùs quoque debitam proportionem ſervare poſſunt. Quod ſpectat ad œnopolas & alios qui minori vel menſurâ, vel pondere vendiderunt, neceſſum eſt ut iis qui ad officinam ſuam venire ſolent, pretio viliori vendant : ſic enim paulatim refundetur quod paulatim ablatum eſt : debent inſuper aliquid pauperibus largiri, in gratiam extraneorum quos à ſe fraudatos fuiſſe cognoverunt.

In ſecundo caſu reſtitutio ex æquo facienda eſt iis omnibus quos dubium reſpicit; quia non poteſt totum dari uni, quod prudenter judicatur non minùs ad alios quàm ad ipſum pertinere.

Quæres 1°. quid faciendum cùm cognoſcitur in genere bona aliena quæ penes non ſunt, & quorum dominus ignoratur in ſpecie, pertinuiſſe ad infidelem qui piis operibus juvari non poſſit.

R. bona hæc in manibus Principis aut Reipublicæ reponenda eſſe, ut in Communitatis utilitatem impendantur; ſi tamen bona hæc ad Regem aut Rempublicam aliquo titulo ut *albinatûs* pertineant : aliàs enim crediderim eum qui pagi alicujus Infidelis bona injuſtè depopulatus eſſet, teneri ad faciendam ibi reſtitutionem ; quæ enim Cæſaris infidelis ſunt, eidem reddi neceſſe eſt.

uæres 2°. quid sentiendum sit de iis, qui post-
ı remotas urbes spoliaverunt; superba alibi
asteria, aut pauperum hospitia construi jubent.
iis eorumque directoribus graviter timendum
Deus enim *odio* habet *rapinam in holocausto*; *Isaï*. 61.
›atitur ut qui nihil passi sunt damni, ex aliorum
iâ lucrum reportent; unde restitutio iis est fa-
la qui læsi fuere.

SECTIO QUARTA.

ıntùm, quandò, ubi, & cujus impensis restitui debeat.

:rtum est 1°. tantùm restitui debere, quan-
tùm ablatum est: quia is est restitutionis scopus,
:dentem inter & læsum reducatur æqualitas.
qui alium spoliando, simul excepit ignomi-
:, debet & rem restituere, & pro honore læso
e satis. Hinc etiam ei qui rem alterius habet in
riduo, non sufficit aliam æquè bonam reddere,
lominus est invitus. Quia is, præsertim cùm
alem in rem suam affectum habet, gravem
patitur injuriam. Si tamen eadem res in specie
:ui nequeat, quin inde fur occultus manifestan-
it, satis est ut reddatur æquivalens.
uòd si res jam non extet, restitui debet valor
si notus sit; si verò ignotus sit, sive quia ge-
tim assignari non potest certus ablatæ rei valor,
famæ & honoris; sive quia rei destructæ quan-
ignoratur, ut si domum variis supellectilibus
actam combusseris, adhærendum est judicio
prudentis; ità ut re plus inter & minùs æsti-
ı, vel attingatur æqualitas, vel ad eam quàm
imè accedatur.
ertum est 2°. ex dictis debita ratione rei ac-
æ aut injustæ detentionis, restituenda esse quàm
ıùm moraliter; debita autem ex contractu, tem-
secundùm pacta aut leges determinato: quòd
mpus præfixum *non fuerit*, restitutio facienda

est, vel cùm eam fieri exigit creditor, (si tamen debiti memor sit, aut metu vel aliter non impediatur à repetendo) vel cùm à debitore fieri commodè potest. Aliàs peccatur mortaliter, & contrahitur obligatio restituendi lucrum quodcumque cessans & damnum emergens; idque verum est, etiamsi qui aliquid ex contractu debet, non interpelletur ad solvendum: nam dies definita *pro domino interpellat*, cap. final. *de locato & conducto*.

Quæres an debitor solvere possit ante præfinitum tempus. R. Vel terminus præfixus est in favorem debitoris, ut in mutuo & commodato evenire solet, vel in favorem creditoris. Si 1. debitor anticipatè solvere potest, quia unicuique licitum est cedere jure suo. Si 2. debitor anticipare nequit, quia alioqui inferret injuriam creditori, qui jus habet nè sibi solutio fiat ante præfinitum tempus. Jam videndum quo loco & quibus impensis restitutio fieri debeat. Quod quidem pendet ex circumstantiis; unde sit

Conclusio I. Sufficit ut qui rem alterius bonâ fide accepit, eam restituat in loco ubi ipsam possidet; unde si eam ad dominum absentem remittat, non tenetur suis expensis remittere.

Prob. quia qui nullam alii injuriam fecit nullum debet detrimentum subire: Atqui possessor bonæ fidei nullam ei cujus rem habet injuriam intulit; aliunde damnum subiret, si rem impensis propriis ad dominum remittere teneretur; Ergo.

Si quis tamen rem alienam aliò transferret imprudenter, putà quia noluit à domino inquirere quid de re suâ fieri vellet, tunc teneretur de impensis, quas dominus non fecisset: aliter dicendum si res aliò fuerit transferenda, quia possessor eam servare non potuit in loco ubi eam primò habere incœpit.

Si dominus nimiùm distans, ut apud Indos, moneri non possit, aut res minoris sit momenti quàm ut certæ pro eâ transferendâ impensæ fieri debeant,

hinc res vel pio in loco deponatur, eâ lege ut reddatur domino ſi compareat; vel donetur pauperibus, præſertim conſanguineis domini: quia hanc ejus eſſe voluntatem præſumi rationabiliter poteſt.

CONCLUSIO II. Qui rem injuſtè accepit, propriis eam impenſis reſtituere tenetur, idque in loco ubi eam dominus poſſeſſurus erat, ſi ablata non fuiſſet.

Prob. quia dominus ex alterius iniquitate damnum perciperet, ſi rem ſuam aliò oblatam propriis ſumptibus ad ſe revocare teneretur.

Hinc alienæ rei invaſor, ad plures pro eâ reſtituendâ ſumptus aliquando tenetur, quàm res ſecundùm ſe valeat. Certè æquius eſt ut delinquens duplum perdat, quàm ut innocens dominus re ſuâ privetur.

Hîc duo notanda: 1°. debitor poteſt deducere impenſas quas ipſe dominus in re ſuâ transferendâ feciſſet: ſatis eſt enim ut debitor dominum præſtet indemnem; non requiritur ut ei lucrum afferat; 2°. ſi reſtitutio fieri non poſſit ſinè ſumptibus maximis, docent vulgò Theologi, ipſam ex quâdam æquitate naturali differri poſſe, donec debitor eam ſinè tanto detrimento facere poſſit, aut reſciverit à creditore quid de re ſuâ fieri velit.

Quòd ſi ea ſit rerum conditio, ut niſi modò reſtituas cum maximis impenſis, futurum ſit ut nunquam reſtituere poſſis, damnare non auſim eum qui rem nec neceſſariam nec admodum utilem domino, daret conſanguineis illius, aut ſaltèm pauperibus; quia creditor nec chriſtianè nec rationabiliter velle poteſt ut res ſua tantâ cum inæqualitate ad ſe remittatur.

CONCLUSIO III. Debita ex contractu, nunc in hoc, nunc in illo loco, nunc expenſis unius, nunc expenſis alterius contrahentis, reſtitui debent.

Prob. Contractuum aliqui cedunt in commodum dantis ſolius, alii in commodum ſolius accipientis: Atqui in primo caſu reſtitutio facienda eſt expenſis dantis; *neque enim par eſt ut* gravetur aliquis alteri

favorem præstando. In secundo casu restitutio fieri debet expensis accipientis : hinc si tuâ causâ equum commodato acceperis, teneris eum propriis tuis sumptibus remittere ; etsi non teneris eum longiùs mittere, quò dominus commigravit, nisi aliter commodantem inter & commodatarium conventum fuerit.

Sed quid juris si contractus cedat in utilitatem utriusque, putà si quis equum locaverit, aut pro servando deposito aliquid receperit prætii.

R. impensas ab eo regulariter fieri debere, in cujus utilitatem vergit contractus, & ad cujus exigentiam communiter fieri solet. Hinc ex communi usu, qui equum conduxit tenetur eum propriis impensis remittere, qui verò depositum alteri credidit, illud impensis suis transferre debet, pretium enim non solet dari depositario ut rem remittat, sed ut compensetur ejus in re custodiendâ labor.

SECTIO QUINTA.

Cujus periculo restituendum sit.

QUæstio est de re quæ ab ipso possessore immediatè domino reddi non potest, vel quia abest dominus, vel quia possessoris interestut à domino non cognoscatur ; cùm ergo ea res in viâ perit, seu culpâ nuntii, cui commissa erat, seu casu fortuito, quæritur quis de eo damno teneatur. Ut solvatur quæstio,

Not. 1°. hìc non agi de nuntio quem creditor ipse elegerit, aut cujus eligendi libertatem reliquerit debitori, hoc tantùm petens ut unum assumeret, qui pro fideli haberetur : in utroque enim casu damnum in creditorem cadit. In primo, quia nuntius ab ipso missus personam ejus repræsentat ; in secundo, quia debitor id omne præstitit quod sibi à domino præscriptum est. Idem est cùm res commissa fuit nuntio Judicis autoritate designato, quia tunc debitor aliud restituendæ rei medium eligere non potuit.

Not. 2°.

Not. 2°. rem quæ ad alium mittitur, vel ei per
juriam detentoris ereptam fuisse, vel non. Itèm
:s vel pertinet ad eum ad quem mittitur, ut equus
›nductus; vel ad eum qui mittit, ut res mutuò
:cepta. Sit

CONCLUSIO I. Res quam quis sine suâ culpâ ha-
et, si pereat in viâ, domino perit, non remittenti,
is sufficientem adhibuerit diligentiam.

Prob. quia res quæ sinè culpâ meâ perit, non
ihi sed domino perire debet: atqui in præsenti
ısu, res sinè culpâ meâ perit; sinè culpâ, inquam,
el præcedente, quia rem illam viâ iniquâ non pos-
:di; vel concomitante, quia omnem quæ necessa-
ia fuit in eâ remittendâ diligentiam adhibui; Ergo
on mihi, sed domino perire debet.

Hinc si bonæ fidei possessor convenerit cum do-
nino, se per talem nuntium rem suam ipsi remis-
urum esse, tenetur, ad restituendum, si eam com-
nittat alteri à quo diripiatur, quia alteri dando,
:st in culpâ.

CONCLUSIO II. Restitutio rei per injuriam erep-
æ, fit periculo debitoris. Est communior opinio.

Prob. 1°. quia debitor iniquus dominum prorsùs
ıdemnem servare debet; Ergo omne periculum
ıbire tenetur. Hinc cap. ult. *de depos.* statuitur quòd
ulpâ præcedente, *casus etiam fortuitus imputetur.*

* Prob. 2°. Si res illa inter ipsas debitoris manus
eriret, periret debitori, ut fatentur omnes; Ergo
pari eidem debitori perit, si pareat inter manus
untii; quia nempè nuntius rem ferens, personam
erit ipsius debitoris. Hinc idem homo bis & tertiò,
d ejusdem rei restitutionem obligari potest. Neque
l debet videri durum; 1°. quia longè durius est
uòd innocens re sibi injustè ablatâ spoliatus rema-
eat; 2°. quia ex reg. 86. in 6. *damnum quod quis
ulpâ suâ sentit, sibi debet non aliis imputare.*

Obj. 1°. Dominus tacitè consentit ut res ad se
ransmittenda, committatur personæ fideli. Quid
:nim exigere ampliùs possit sensatus quisque quàm

ut res sua ad se mittenda curetur omni sollicitudine quâ fieri potest.

R. dist. Tacitè consentit, id est mavult ut res sua fideli quàm infideli nuntio committatur, C. id est rei suæ jacturam subire intendit, si fortè ea pereat, N. Unum curat dominus, nempè ut rem suam recuperet, quâ verò viâ eam recuperet non satagit; sed quandiù eâ caret, tandiù jus habet ipsius repetendæ, quia hactenùs subsistit inæqualitas quam fur removere debet.

Obj. 2°. Modus per Confessarium restituendi ità frequens est & usitatus, ut de eo consentire censendi sint omnes creditores; Ergo.

R. modum hunc valdè approbari, quia vix ulli periculo obnoxius est; at non eo usque approbatus est, ut creditor re suâ privari velit, si hanc culpatè vel inculpatè in Confessarii manibus perire contingat.

† † Conclusio III. Res ex contractu debita perit creditori, cùm is ejus dominium servat; sed perit debitori, si dominium ejus in debitorem translatum sit.

Prob. utraque pars; quia res quælibet sicut domino suo clamat, ità & eidem perit; Ergo.

Hinc qui pecuniam mutuo acceptam remittit ad Titium cum pallio sibi ab eodem commodato, subire debet damnum pecuniæ, cujus, vi mutui, dominus evascerat; non autem pallii cujus dominium penes Titium perpetuò remansit.

ARTICULUS QUINTUS.

De causis à Restitutione excusantibus.

PEr causas quæ à restitutione excusant, intelliguntur, tùm eæ quæ restituendi obligationem tollunt, tùm eæ quæ restitutionem aliud in tempus differri permittunt. A restitutione liberant præscriptio, creditoris condonatio, compensatio legitima,

ræque ex aliis permittunt tantùm ut differatur
titutio. De Præscriptione suprà diximus, infrà
rò de Compensatione.

Quæres 1°. an remissio creditoris restituendi
ligationem tollat. R. affirmat. quia volenti non
injuria: Atqui ex hypothesi creditor est volens
od sibi non solvatur; Ergo.

Ut tamen valeat condonatio creditoris duo re-
iri solent: 1°. ut non sit à Jure impedita, & an-
llata. Defectu hujus conditionis, non potest Ca-
nicus qui Officio non interfuit, retinere distri-
tiones tempori quo absens fuit correspondentes,
iamsi remissionem illarum obtinuerit; quia hæc
missio à Tridentino rescinditur. Pariter nulla est
missio quæ sit à pupillo, aut furioso, quia Leges
sistunt; 2°. ut sit verè voluntaria. Hinc remissio
cta ex errore, vi, metu, vel fraude, nullius est
omenti, aut saltèm rescindi facilè potest, ut di-
im ubi de Contractibus.

Sess. 2. c. 12.

Sed sufficitne ad condonationem virtualis domini
oluntas? Affirmant plures, modò ex conjecturis
erè probabiliùs de eâdem voluntate constet: unde
restituendo eximunt tùm filios-familias, qui ali-
uid non ità magni momenti furantur parentibus,
uibus sunt charissimi; tùm ut plurimùm famulos
t dominorum amicos qui poculenta & esculenta
rripiunt, sibi concedenda, si postulare auderent.
Hæc doctrina videtur mihi plena periculi, & in
raxi admodum dubia; certè non idem est, *condo-
assem & condono*: itaque vel petenda est condo-
atio, vel restituendum, nisi res tam levis sit mo-
menti, ut ex quodam usu codonata censeatur. Pro-
ectò præsumpta dominorum voluntas innumera
uotidie furta parit; sic Capitanei qui milites vix
o. habent, ex præsumptâ Regis voluntate pro
militibus centum stipendium accipiunt.

Quæres 2°. quid sit bonorum cessio, & an dis-
penset à restitutione, ob creditorum condonatio-
nem quæ intervenire solet.

R. ad 1. Cessio bonorum fieri dicitur, cum quis solvendis omnibus debitis suis impar, quod residuum habet boni creditoribus suis dimittit, ne trahatur in carcerem, aut ut inde liberetur.

R. ad 2. Is qui bonis cessit, si quid posteà acquirat, illud in creditores refundere tenetur, retentis tamen quæ sibi suisque ad parcam sustentationem necessaria sunt.

Prob. 1°. quia si debitor ad nullam ampliùs restitutionem teneretur, qui pro eo fidejussorem se præstitit, liber etiam videretur: Atqui definitum est l. 60. ff. *de fidejuss. teneri fidejussorem* in hoc casu: Ergo; 2°. quia obligatio restituendi non tollitur, sed suspenditur solùm per impotentiam restituendi hìc & nunc; Ergo cùm cessio bonorum plus privilegii vel à naturâ vel à legibus non habeat quàm impotentia, tollere non potest, sed tantùm suspendere restitutionis obligationem.

* *Quæres 3°. an ingressus in Religionem à restitutionis obligatione liberet.

Not. 1°. quòd à Clementis VIII. tempore, quilibet debitores, religionem professi, validè vovent; nisi ea excipias Monasteria in quibus protestatur Superior nomine Communitatis, se eos admittere nolle, qui posteà deprehenderentur ære alieno gravati.

Not. 2°. debitorem qui habet bona, teneri ante ingressum restituere, quia nullam habet differendi causam, & aliunde non debet omitti præceptum restituendi ut impleatur consilium Religionis.

Not. 3°. licitum adhuc esse juxta omnes, ingressum Monasterii, iis qui vident se in Monasterio perinde ac in seculo, creditoribus suis esse satisfacturos; aut se nec in seculo nec alibi unquam pares fore solvendo. His ergo sufficit ut bonis suis cedant.

Not. 4°. eum cujus debita sunt incerta, adeoque in pia opera expendi debent, posse Religionem ingredi, etiamsi speret futurum aliquando esse ut in *seculo* manens ea debita solvere possit. Ratio est, *quòd* ea debita sibi ut pauperi applicare possit, &

ſua ſolvere nequit , niſi pluribus annis in commoretur , imò niſi renuntiet Religioni, religionem ingredi.
cum multis contra multos , eum qui in ſeculo ens , debita ſua ſolvere poteſt, iniquè agere ngrediendo Religionem , ſubit impotentiam endi.
b. 1°. ex cap. *Legem*, diſt. 53. ubi qui *Monaſ-petunt , nullo modo ſuſcipiendi* eſſe dicuntur , *us à ratiociniis publicis abſoluti fuerint* : Ergo . Monaſterium ingredi non debent , qui ære gravati ſunt ; quia in utroque caſu aliis inju-ıferrent , ſeque & Monaſterium objicerent ırum querelis , à quibus procul eſſe debent 'ino ſunt ſervitio mancipati. Et verò non ſunt la mala *ut veniant bona* : Atqui conjicere ſe otentiam ſolvendi debita , eſt quid malum , e naturali adverſum.
ɔ. 2°. Non magis debitor Religionem ingredi , cùm remanendo in ſeculo creditoribus ſuis :ere poteſt , quàm religionem ingredi poſſit cujus parentes ope ipſius & auxilio indigent :

quàm filius, qui naturæ légum immemor, ab agente parente discedit, reipsâ tamen peccabit, quòd sub quocumque boni prætextu numquam licet.

Prob. 3°. Non potest qui virginem sub spe matrimonii defloravit, religionem amplecti, quia promissioni suæ satisfacere tenetur: Atqui pariter debitor fructum laboris cujus capax est, debet creditoribus, iisque ex pacto satifacere tenetur; Ergo.

Obj. Nemo tenetur solvere debitum cum detrimento boni sui longè præstantioris: Atqui homo in casu nostro solvere non potest sinè detrimento boni longè majoris; nempè salutis suæ quam exponit in mundo qui *totus in maligno positus est.*

R. neg. min. 1°. quia illud hominis bonum dici non debet, quod homo nec possidet, nec possidere potest sinè præjudicio tertii: porrò debitor Religionem nec possidet actu, nec possidere potest sinè tertii præjudicio; 2°. si Religio cuilibet homini etiam debitis onusto majus indubiè bonum esset; graviter peccassent tùm Sixtus V. qui professionem hominis hujus aliquando irritam fecit; tùm Ordines Religiosi qui ære alieno gravatos admittere nolunt: Atqui hoc nemo dicere ausit; Ergo.

Fateor tamen eum qui extra Religionem, salutem suam operari non posset, posse Claustrum ingredi, sicut posset deserere artem animæ suæ perniciosam, etsi necessariam ut restitueret. Ratio est, quia in his casibus creditores rationabiliter inviti esse non possunt, cùm ipsi teneantur fortunæ bona prò salute proximi exponere; verùm hæc nihil efficiunt contra thesim nostram, quæ de viâ communi intelligitur.

Duo hîc addenda; 1°. Superiorem qui hominem debitis gravatum scienter admittit ad Professionem, debere ex Monasterii bonis debita ejus solvere, aut saltèm permittere ut per opera statui suo convenientia creditoribus satisfaciat: 2°. Religiosum hunc, si quid sinè Superioris licentiâ creditoribus solvat, furem esse, quia ex alieno restituit; *quidquid* enim *acquirit Monachus*, hoc *acquirit Monasterio.*

† Quæres 4°. an liber sit à restituendo, qui restituere non potest nisi per bona ordinis superioris.

Not. Triplex distinguitur bonorum naturalium ordo, supremus, medius, & infimus. In supremo ordine sunt vita, membra, virginitas, libertas; in ordine medio honor, & *bonum nomen* quod *melius est quàm divitiæ multæ;* in infimo bona fortunæ.

R. 1°. Debitor non tenetur restituere cum dispendio bonorum ordinis superioris, si hæc juxta prudentum æstimationem longè superent damnum quod patietur creditor: si verò bona inferioris ordinis talia sunt & in tanta quantitate, ut prudenter judicentur æquivalere bonis ordinis superioris, tunc facienda est restitutio inferiorum per bona superiora.

* Prob. 1. pars; quia dominus rei nec est nec esse potest rationabiliter invitus, quòd quis ei hoc in casu non restituat bona ordinis inferioris. Alioqui enim violaret istud Christi præceptum, Matth. 7. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Jam verò qui aliquid velle non potest nisi caritatem violando, eo ipso non est rationabiliter invitus quòd istud non fiat.

† Confirm. quia nemo credit hominem teneri vel vitam manifesto periculo objicere, vel se ipsum vendere ut debita sua solvat, aut restituat famam æqualibus suis: nemo etiam docet mulierem adulteram teneri crimen revelare, nè in bonorum divisione damnificentur filii legitimi, cum quibus dividet spurius: imò contrarium traditur c. 9. *de pœnit. &c.*

Prob. 2. pars: etsi enim fama sit ex genere suo majus bonum quàm divitiæ, si quis tamen, vilis præsertim homo, rapuisset magnam alienæ pecuniæ quantitatem, quæ non nisi cum dispendio famæ ipsius restitui posset, certum est pecuniæ hujus restitutionem faciendam esse, cum periculo famæ raptoris, modò nihil vitæ ipsius timendum esset. Idem est si ad restituendum necessarius sit labor qui morbi alicujus facilè sanabilis periculum inducat.

R. 2°. certius videri *eum qui alium* læsit in bonis

ordinis ſupremi, teneri reſtituere per bona ordinis infimi, cùm aliter non poteſt. Ità S. Thomas.

Prob. 1°. quia alioqui pejor eſſet conditio hominis qui læſus eſt in bonis ordinis ſupremi, quàm illius qui in bonis inferioribus læſus fuit; prior enim plùs paſſus eſſet damni, & nullatenùs compenſaretur; poſteriori, etſi minùs paſſo, ad æqualitatem reſtitueretur.

* * Prob. 2°. quia etſi bona ordinis ſupremi ſub civile commercium non cadant, certum tamen eſt juxta communem hominum æſtimationem, 1°. quòd defectus formæ per divitias compenſetur; 2°. quòd ipſa libertas quæ ſupremi ordinis bonum eſt, pro pecuniâ vendatur; 3°. demùm quòd licèt vita & membra numquam ſatis compenſari poſſint, vitæ tamen & membrorum damnum compenſari utcumque poſſit. Porrò juſtitiæ eſt non modò reddere juſtum quatenùs eſt æquivalens, ſed etiam prout eſt poſſibile; Ergo bona ordinis ſupremi per bona generis infimi, ad arbitrium viri prudentis compenſanda ſunt, ſeu dando pecuniam homini quem membro truncaveris; ſeu ſi ipſum occideris, procurando ipſi preces, niſi certum ſit eum mortuum eſſe in ſtatu in quo Eccleſiæ ſuffragiis juvari non poſſit, & efficiendo ut hæredes ejus nihil damni ex morte ejus percipiant.

† † Quæres 5°. an qui debiti immemor creditori gratis donat quantùm ei debet, liber ſit à reſtituendo. R. negat. quia qui gratis donat, non exercet actum juſtitiæ, ſed liberalitatis; Ergo ſemper remanet debitor: unde & creditor debitum repetere poteſt, niſi ex manifeſtis conjecturis colligat debitorem habere voluiſſe pro ſoluto ſi quid deberet: & hæc intendere debent, qui in juventute fructus ignotis dominis ſubripuerunt: cùm enim maturiores facti, egenis ſtipem erogant, generalem debita olim contracta reſarciendi animum gerere debent.

Dices: ſi Debitor debiti ſui meminiſſet, gratis non donaſſet; Ergo. R. neg. conſeq. Aliud enim

est *fecissem*, aliud *feci*, præsertim in pactis in quibus non attenditur voluntas conditionalis, sed solùm actualis, quæ sola operatur.

Quæres 6°. an inopia, necessitas aut impotentia sint justa restitutionis differendæ ratio.

R. affirmat. 1°. quia ad impossibile nemo tenetur; 2°. quia generale est principium, id omne quod facit ut dominus vel creditor non sit circa dilationem rationabiliter invitus, legitimam esse differendæ restitutionis causam.

Quæres 7°. quænam necessitas efficiat ut homo restitutionem differre possit.

Not. Triplex est necessitas, extrema, gravis, & communis. Necessitas *extrema* est status in quo persona usque adeò indigens est, ut nisi ei opem tuleris periclitetur de vitâ; addunt aliqui vel de bono summi momenti, qualis est libertas. Necessitas *gravis* est cùm persona vel tàm ægrè vitam ducit, ut vix eam sustentet, vel obnoxia est periculo incurrendi morbi, magnive incommodi morte minoris. Necessitas *communis* est cùm persona propter inopiam difficulter victitat. Hæ definitiones ad necessitatem spiritualem transferri facilè possunt. His præmissis,

R. 1°. Extrema necessitas, tàm corporea quàm spiritualis, sive nostra, sive proximi, causa est restitutionis differendæ. Ratio est, quia ex vulgari axiomate, in extremâ necessitate omnia, saltèm quoad usum, sunt communia. Hinc si restituere nequeas, nisi adigendo filias tuas in periculum prostitutionis, aut filios in periculum latrocinii, potes & debes restitutionem differre; graviterque peccaret creditor, nisi huicce dilationi consentiret.

R. 2°. Gravis necessitas & impotentia moralis, sive debitoris, sive eorum quos alere tenetur, est etiam sufficiens restitutionis differendæ ratio. Ratio est quia in gravi debitoris necessitate præsumi potest dominum esse rationabiliter contentum, quòd hic & nunc restitutio sibi non fiat, cùm tali casu teneatur unusquisque proximo opitulari, vel donando, vel mutuum dando.

Hinc non tenentur ad restituendum hîc & nunc; 1°. qui ut restituerent, deberent vendere domum vel prædium multò minoris quàm valet; 2°. qui si damnum falso quod condiderunt instrumento illatum statim repararent, subirent magnæ infamiæ periculum; 3°. qui necessariò exciderent è statu quem justè comparaverunt. Secùs si rapinis, fraudibus, usuris eò pervenissent: quia hoc non est statum suum amittere, sed dimittere alienum, & ad proprium reverti.

Etsi porrò non est necessarium hîc & nunc restituere, cùm alioqui excidendum est à legitimo statu, æquum tamen est, ut vir ære alieno gravatus sibi de splendore & decentiâ detrahat quidquid ad statûs conservationem absolutè necessarium non est.

R. 3°. Etsi homo in gravi necessitate constitutus possit quoad tempus rem alienam retinere, haud tamen eam subripere potest: est enim hoc furtis portam aperire, cùm unusquisque facilè sibi persuadeat se gravi necessitate constringi.

Quæres 8°. an necessitas debitoris à restituendo excuset, si creditor in pari necessitate versetur.

R. 1°. si gravis sit debitoris & creditoris necessitas, restituendum esse: 1°. quia sola extrema necessitas omnia facit communia; 2°. quia dominus est rationabiliter invitus, quòd res sua ab alio detineatur in præsenti casu; & id adhuc evidentius est ubi debitum ex delicto contractum est, cùm ratio dictet innocenti potiùs quàm reo favendum esse: quapropter si ob solutionis dilationem creditor à legitimo suo statu excidere debeat, restituere debes sinè morâ, etiamsi futurum sit ut restituendo à tuo statu ipse excidas.

R. 2. Si debitor & creditor in extremâ necessitate ambo constituti sint, videndum est, an creditor in hanc necessitatem conjectus fuerit ex furto rei suæ, an non ex aliâ causâ.

Si 1. debitor tenetur ad restitutionem: 1°. quia in *pari causâ* melior est conditio domini innocentis;

: enim vera sunt, 1°. cùm necessitas legitimi
. non concurrit cum necessitate alterius; 2°.
omo vitam suam conservare potest absque
od alteri injuriam faciat; 3°. demùm, cùm
est aut ignotus dominus, melior esse potest
o possidentis; non autem cùm constat de
o: jus enim domini prævalere debet iniquæ
ioni, potissimùm verò in casu extremæ ne-
tis.

od si creditor in extremam necessitatem con-
non fuerit ex subtractione rei quæ sibi de-
, censeo debitorem in extremâ constitutum
tate, non teneri ad restituendum hîc & nunc,
ones in Objectione præcedenti allatas, quæ
valent cùm agitur de eo qui non est nisi causa
ns cur alter in pari extremæ necessitatis casu
utus sit.

eres 9°. an privatio magni lucri quod faceret
r restitutionem differendo, sit sufficiens il-
ferendæ ratio. R. negat. Quia æquum non
creditor suis privetur rebus, ut alter ex iis
i faciat. Excipe, si debitor lucrum quærat,

restituendi onere, tanquam pauper in perpetuum retineret; sed in id de facto consensisse non videntur.

Quæres 11°. an qui differt solvere vel restituere id quod debet, teneatur creditori compensare lucrum cessans & damnum emergens.

R. 1°. teneri quando debitum est ex delicto. Ratio est, quia alioqui debitor non restitueret creditorem in statum à quo eum iniquè deturbavit. Et hoc verum est, etiamsi debitor sit solvendo impar, quo tempore lucrum domino cessat, aut damnum emergit: quia dum voluntariè eorum causam posuit, eorum quoque periculum subire debuit.

R. 2°. teneri adhuc, quando licèt fuerit debitor ex contractu, fuit tamen culpabiliter in morâ solvendi; quia etsi tunc ab initio non fuit debitor ex delicto, fuit tamen deinceps quasi debitor ex delicto, quatenùs non restituit cùm potuit & debuit. Aliter dicendum videtur, cùm quis fuit in morâ, sed inculpabiliter: quia ubi mora culpabilis non est, ibi nulla est aut esse potest damni causa injusta. Hinc ex Reg. 41. Juris in 6. *Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.*

CAPUT QUARTUM.

De Restitutione in particulari.

BOna in quibus aliquis injuriam pati & restitutionem exigere potest, vel sunt bona spiritualia; vel bona corporis; vel bona honoris & famæ; vel demùm fortunæ bona. De his seorsim disputandum.

ARTICULUS PRIMUS.

De injuriâ in Bonis ſpiritualibus, eorumque Reſtitutione.

PEr bona ſpiritualia ea præcipuè hîc intelliguntur, quæ immediatè conducunt ad ſalutem, ut gratia; aut mediatè, ut ſtatus Religionis. Imò hâc occaſione quæritur, an reſtituenda ſint ea quæ quis accepit ſive ad faciendum bonum ad quod jam tenebatur, ſive ad abſtinendum à malo, ſeu denique ob factum, vel faciendum actum turpem. Et hanc methodum ſequemur.

SECTIO PRIMA.

De Reſtitutione ob damnum illatum in bonis ad ſalutem pertinentibus.

VIdendum hîc an ad reſtituendum teneatur, qui nocuit alteri in bonis ſpiritualibus pertinentibus ad gratiam, ſeu ipſum ab operibus piis retrahendo, ſeu eum ad peccatum impellendo.

Certum eſt eos, qui aliis ſunt petra ſcandali, ad reſtituendum teneri, eo ſenſu quòd precibus ſuis efficere debeant, ut ii quibus ſcandalo fuêre, Deo reconcilientur. Si enim juſtis dicendum ſit cum Prophetâ: *Ab alienis parce ſervo tuo;* neceſſe eſt à fortiori ut id dicant qui alios de induſtriâ impulerunt in peccatum. Quæritur an non ad aliquod aliud immediatiùs erga proximum teneatur, & quidem ex juſtitiâ. Sit

Conclusio I. Qui vi, metu vel fraude alios ad peccatum induxit, aut à bono retraxit, tenetur ex juſtitiâ ad damni hujus reparationem.

Prob. 1°. Qui alium bono ſpirituali privat per vim aut fraudem, eidem injuriam facit, cùm vis & dolus annexam habent injuriam: ſed injuria omnis, *ex juſtitiâ reparari debet; Ergo.*

* * Prob. 2°. Magis certè ad restitutionem tenetur qui vi, &c. hominem induxit ut sibi noceret in bonis animæ, quàm qui eum vi vel metu induxit ut sibi noceret in bonis fortunæ : Atqui iste ex omnium confesso tenetur ad restituendum; quia ut statim dixi, vis & fraus important injuriam, utpotè quæ lædant plenam hominis libertatem, in quam unusquisque jus strictum habet; Ergo.

Dices : Volenti non fit injuria; sed qui vi aut metu fertur in peccatum, volens peccat; Ergo.

R. dist. Volenti plenè & liberè non fit injuria, C. Volenti qui non vult, nisi quia decipitur, aut quasi cogitur, N. Porrò actio illius qui vult ex vi aut metu, etsi satis voluntaria sit ut ille peccet, habet tamen aliquid involuntarii, ratione fraudis.

† † Hinc colliges, 1°. eum qui incusso metu proximum in hæresi, schismate, vel errore detinet, teneri amotis vi & metu, eundem pristinæ libertati restituere.

2°. Hæreticum qui alios decepit, teneri fraudem detegere, seu confitendo se hæresim docuisse, seu veritatem quam antè palam impugnavit, palam in scriptis vel concionibus prædicando. Idem dicendum de iis qui bonâ fide aliquid docuerunt, quòd posteà ab Ecclesiâ reprobatur : prout fecit, applaudente totâ Christi Ecclesiâ, illustriss. de Salignac de la Motte-Fenelon, qui Brevi Innocentii XII. contra Librum cui titulus *Maximes des Saints*, non solùm consensit absque ullâ dilatione, sed eumdem Librum suum solemni Mandato proscripsit, ubi in hæc erumpit verba : *A Dieu ne plaise qu'il soit jamais parlé de Nous, si ce n'est pour se souvenir qu'un Pasteur a cru devoir être plus docile que la derniere brebis de son troupeau, & qu'il n'a mis aucune borne à son obéissance.*

Conclusio II. Qui sinè vi, metu & dolo fuit alteri peccandi autor, sub aliquo respectu ad restituendum obligatur; sub aliquo non.

Prob. In peccato prodigalitatis, v. g. ad quod

amicum finè dolo impuli, triplex est respectus : alter ad temporale amici bonum, cujus me autore, jacturam fecit; alter ad animæ ipsius sanctitatem à quâ excidit peccando; alter denique ad Deum quem offendit: Atqui horumce respectuum primus non inducit restituendi obligationem; quia potuit prodigus cedere jure suo, eòque reipsâ volens & minimè deceptus cessit, ut supponimus. Ad restituendi obligationem inducere videntur respectus duo posteriores. Ideo enim non inducerent, quia peccans, utpotè sciens, & liberè consentiens jure suo cedit : Atqui probatio hæc propiùs inspecta, undequaquè vacillat.

1°. Enim etsi qui peccando animæ suæ nocet, liberè operetur, nusquam tamen satis spiritualis quam patitur ruinæ gravitatem capit; Ergo se ipsum miserè decipit, eique, ego ad malum inducens, deceptioni cooperor; Ergo & hoc sensu dolosè ago. Prætereà in his quæ ad salutem animæ spectant non potest quis jure suo cedere; sicut nec potest cedere jure in vitam corporis sui; quia reipsâ nullum habet jus in vitam suam; Ergo sicut iniquus est qui alium consentientem, imò & enixè rogantem interimit : ità & qui ad malum sollicitando, spiritualiter necat.

2°. Evidentiùs adhuc constat hominem qui volens peccat, strictam Deo injustitiam inferre, quæ nullâ juris humani cessione dilui potest, quæque tum à peccatore, tum à peccati suasore resarcienda venit; Ergo omni quâ poterit viâ, lacrymis, precibus, jejuniis, eum ad meliorem frugem, tum ex caritate, ut nemo diffitetur, tum ex quâdam justitiâ revocare tenetur : hæc autem obligatio potiorem habet locum in Superioribus, quales sunt pater respectu filii, dominus respectu famuli, &c. hi enim ex officio specialique justitiâ suorum saluti invigilare tenentur. Materiem hanc fusiùs non prosequar, quia quisquis id quod ex caritate debet in præsenti negotio præstabit, vix quidquam eorum omittet ad quæ cum ex justitiâ obligari credo.

Quæres 1°. an restitutioni obnoxius sit qui alium avocat à statu Religionis.

Certum est 1°. eum bonum opus operari, qui legitimis de causis aliquem à Religionis proposito dimovet : ut 1°. si eum videat Religioni inaptum; 2°. si in Religione quam vult ingredi non vigeat regularis disciplina; sed è contra amor seculi, spiritus schismatis & erroris; 3°. si postulantis parentes egeant; 4°. si is qui religiosam vitam amplecti cupit, longè plus in seculo boni operetur quàm in secessu operari possit; 5°. neque etiam peccat qui alteri repræsentat vitæ communis onera & gravem, licèt aliquando seram, quæ malè vocatos manet, pœnitentiam.

Certum est 2°. eum qui alium à Religione retraxit, non debere vel ingredi Religionem, vel alium illius quem ab eâ abduxit loco substituere. Quia ii tantùm ad Religionem admitti debent, quos Deus ad eam vocare dignatur : ex eo autem quòd quis alium avocaverit à Religione, absit ut statim existimetur ad eam vocatus fuisse. Jam

R. eum qui vi vel dolo, Canditatum aut Novitium à Religione retraxit, teneri ad restituendum damnum inde proveniens tum candidato, tum Religioni; si verò eum non nisi precibus, consilio & suasione retraxerit, ad nihil teneri respectu Religionis.

Prob. 1. pars : quia in casu præsenti infertur damnosa & gravis injuria : 1°. ei qui religionem ingredi proposuerat : quia ubi vis est aut fraus, ibi est injuria; unde debet is libertati suæ restitui, eique fraus est detegenda. Quin & efficiendum est ut vel ad priorem statum revertatur, si possit, vel ut de præstito malis suasionibus consensu coram Deum ingemiscat; 2°. infertur etiam injuria Religioni, quæ jus habet nè quis per vim & fraudem ab eâ divertatur aut extrahatur cum ipsius præjudicio; unde si spes erat futurum ut Communitas utilitatem temporaneam consequeretur à canditato, illa Monasterio refundi

debet, attendendo tamen varias quæ hîc occurrunt circumſtantias, an v. g. Novitius profeſſioni proximus eſſet; an non præ naturali inconſtantiâ ſponte ſuâ receſſurus videretur, &c.

Prob. 2. pars ratione oppoſitâ. Qui enim ſinè dolo, ſed precibus aut conſilio doli experte, à Religione quempiam avocat, Religioni injuriam non facit; quia quidquid ea boni ſperare poteſt à Novitio, ab ejus voluntate pendet.

Et certè, ſi quis volenti eleemoſynam Monaſterio diviti erogare, ſuadeat ut eam potiùs alteri Monaſterio aut pauperibus eroget, nulli eſt reſtitutioni obnoxius, quia reipſa Monaſterium ante donationem conſummatam & acceptatam jus ſtrictum in eam non habet: Ergo à pari in præſenti caſu. Et hoc etiam verum eſt, ſi canditatus voto ſimplici ſe Religioni devoviſſet, quia Religio jus ſtrictum non acquirit niſi per vota ſolemnia.

Quæres 2°. quid dicendum de eo qui profeſſum abduxit à Religione.

R. 1°. eum qui vi vel fraude profeſſum à Religione extrahit, debere reſtituere tùm Religioni, tùm profeſſo, quia utrique injuriam fecit. Quapropter Religioni refundere debet omnia emolumenta quæ Religioſus docendo, concionando, ſcribendo, domûs negotia curando, erat ipſi procuraturus, deductis tamen expenſis. Debet etiam reſtituere profeſſo; tùm reparando damna quæ patitur; tùm eundem reſtituendo plenæ ſuæ libertati; tùm omnimodè efficiendo ut ad priorem ſtatum revertatur.

R. 2°. Si quis ſinè vi & fraude profeſſum avocaverit, cenſent penè omnes, illud ad nullam reſpectu profeſſi reſtitutionem teneri, quia nulla ipſi utpotè volenti inferri potuit injuria. Quoniam verò labile eſt iſtud fundamentum, ut ſuprà oſtendimus, ad minùs addendum eſt ſeductorem hominis profeſſi, omni quâ poterit viâ niti debere, ut quem ab aratro abduxit, ad aratrum reducat.

Difficultas præcipua eſt, an in hoc caſu reſtituen-

dum ſit Religioni. Affirmant Molina & Vaſquez, & probabiliùs; quia qui violat jus ſtrictum alterius, ad faciendam ei reſtitutionem tenetur: ſed qui etiam ſinè vi & fraude profeſſum abducit, violat jus ſtrictum Religionis. Religio enim ratione profeſſionis quæ eſt contractus ultro citròque obligans, jus habet retinendi ſubditos ſuos tanquàm membra; & ratione hujus juris, habet jus aliud in eorum laborem, qui ſive ſtrictè ab iis debitus ſit, ſive non, ab iis tamen certò ponendus eſt. Et verò ſi quis Religioſum hunc interficeret, teneretur ad compenſationem damni quod ex ipſius morte pateretur Religio; non ſecùs ac injuſtus artificis occiſor teneretur ejuſdem artificis hæredibus compenſare lucrum quod ipſis ex occiſi morte ceſſat, licèt ille ad lucrum hoc faciendum ex juſtitiâ non teneretur; Ergo cùm non minùs noceat Religioni qui ab eâ Religioſum abducit, quàm qui eum occidit, cùm in utroque caſu Religio ſubdito ſuo privetur, conſequens eſt quòd in utroque caſu damnificator ad reſtituendum teneatur.

SECTIO SECUNDA.

De reſtitutione faciendâ ab eo qui propter actum debitum vel turpem aliquid accepit.

OPus in gratiam proximi præſtandum, vel eidem debitum eſt ex juſtitiâ, vel ex caritate, aut aliâ virtute: & opus iſtud vel ſinè ſumptu, aliove incommodo temporali præſtari poteſt, ut ſi ad obtinendam alicui gratiam ſufficiat ut eam petas; vel non niſi difficilè, cum ſumptu, aut periculosè præſtari valet; ut ſi præbenda ſint egeno medicamenta; ſi in aquam te conjicere debeas, ut hominem torrente abreptum ſalves. De his omnibus breviter dicendum. Sit

CONCLUSIO I. Quæ quis accepit ut faciat vel omittat id ad quod faciendum vel omittendum tenebatur ex juſtitiâ, reſtitui ab eo debent.

Prob. quia qui vendit id quod ſuum non eſt, te-

ır ad restitutionem: sed qui pretium accipit pro
uod alteri debet ex justitiâ, vendit id quod suum
est. Quod enim Petro debeo non meum est, sed
›otiùs res Petri; Ergo. Atque hinc ad restituen-
ı tenentur, qui ut rem inventam reddant, pre-
ı exigunt; itèm Judices, Notarii, Ministri Prin-
m, qui pro obeundis muneribus suis plùs reci-
ıt quàm sibi legibus permissum sit.
ſæc nostra conclusio vera est, etiamsi non acci-
pretium ab eo pro quo rem facere debes, sed
lio tertio, putà ab ejus amico. Ratio est, quia
ım habes titulum vi cujus accipias id quod tibi
ır sive à me, sive ab alio, ut v. g. reddas mihi
›situm meum, vel commodatum, vel rem meam
n invenisti, aut quam aliunde mihi debes; Ergo.
ſaud tamen ad restituendum teneretur ille cui of-
:tur munus aliquod sponte & per modum dona-
is omninò gratuitæ (etiamsi, aiunt quidam, mu-
eo intuitu datum esset, ut quis promptiori &
rioti animo id faceret ad quod aliunde tenetur)
leges donationem hanc reprobarent; quia licet
:uique per leges non impedito rem gratis sibi
ıtam recipere.
;ONCLUSIO. II. Quæ quis accepit ad faciendum
s proximo debitum ex caritate, sunt restituen-
si opus illud sinè labore, sumptu & periculo
possit.
rob. tùm quia tale opus ex communi hominum
:io non est pretio æstimabile; tùm quia quod
ır in hoc casu, non datur voluntariè, sed coactè;
uia vereor, nè, si nihil dedero, id non facias,
l ex caritate mihi debes; unde si quid receperis
dicares mihi furem qui res meas subripuit, vel
m in quo eas deposuit, debes id mihi restituere:
ı est si quid exigas, ut in gratiam meì apud mag-
m quo familiariter uteris, verba facias.
'bj. 1°. Obligatio restituendi oritur solùm ex
ıtione justitiæ: sed qui accipit aliquid prop-
ıpus ex solâ caritate debitum, non violat justi-

tiam, ſed caritatem tantùm, ex hypotheſi : Ergò.

R. neg. min. Ille enim violat juſtitiam, qui pro opere quod ex communi hominum judicio non eſt pretio æſtimabile, recipit aliquid reipsâ ſibi indebitum : Atqui homo ille recipit aliquid reipsâ ſibi non debitum, pro opere quod cùm ſine ullo ſumptu vel labore fiat, non eſt pretio æſtimabile : Ergo.

Obj. 2°. Ubi valida eſt promiſſio, ibi licita eſt acceptatio : Atqui tunc valida eſt promiſſio ; ut dicam in Tract. de Contract.

R. neg. maj. Si enim furi nè mortem mihi inferat, promiſi cum juramento aureos decem, ſtat promiſſio : nec tamen poteſt fur ſummam hanc acceptare.

Quòd ſi opus ex caritate debitum non poſſit ſinè aliquo ſumptu & labore fieri, cenſeo cum viris gravibus eum qui pretium recepit dummodo moderatum, non teneri ad reſtitutionem, quia cùm poſuerit opus pretio æſtimabile, ad quod neque ex officio neque ex contractu tenebatur, non peccavit contra juſtitiam, ſed ſolùm contra caritatem, unde ex caritate ſolâ tenebitur ad reſtituendum. Hæc autem obligatio non eodem urget modo ac ea quæ ex juſtitiâ rigorosâ naſcitur : unde aliquando expungenda eſſet, ex Confeſſarii præſcripto per eleemoſynam reſtitutioni æquivalentem, putà cùm meliùs reparari non poſſet caritas læſa ; aliquando conſuetis pœnitentiæ operibus delenda foret ; ut ſi mortuus ſit, aut ad pinguiorem fortunam reverſus is quo cum duriùs egiſti : ubi & id notandum quòd cui debes ex caritate, ille ut plurimùm debeat tibi ex gratitudine.

Conclusio III. Qui recipit aliquid pro actione vel omiſſione quæ ſolùm cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, poteſt illud retinere.

Prob. quia qui aliquid recipit in præſenti caſu, prudenter judicare poteſt illud ſibi gratis & omninò liberaliter donatum eſſe. Nemo enim ab alio emit actiones aut omiſſiones liberas, ei ſoli utiles vel Deo honorificas ; qui ergo pro ipſis aliquid donat, meritò

etur illud liberaliter dare, sive ad hororem Dei,
ad proximi salutem. Unde qui ab alio aliquid
oit ut fiat Christianus, ut in Paschate peccata
onat, illud retinere potest. Idem dic si judex
unniam recipiat ut rectè judicet, ità ut non in-
atur jus tertii, sed sola Judicis salus.
Quæres an accepta ob turpem causam restitui
eant.
ot. 1°. Per turpem causam intelligitur omnis
peccaminosa, ut homicidium, testimonium
dax, & præcipuè opus meretricium.
ot. 2°. Meretrix duplex: alia publica, quæ
oris mali vitandi gratiâ toleratur, ut in Italiâ;
privata, quæ deprehensa punitur.
ot. 3°. Fatentur omnes ea quæ accepta sunt
opere illicito nondum perpetrato, esse resti-
da; quia non potest impleri conditio sub quâ
ium promissum est; idque locum habet, etiamsi
operis promissio juramento fuisset confirmata,
*non est obligatorium contra bonos mores præsti-
juramentum*, ex Reg. 50. Juris in 6.
ota igitur difficultas est an qui aliquid accepit
crimine jam perpetrato, v. g. meretrix pro
prostitutione, ad illud restituendum teneatur.
lex est in hoc puncto Theologorum etiam sa-
um opinio. Alii censent meretricem posse ut
debitum retinere illud quod ex crimine perce-
Hæc opinio
rob. 1°. ex L. 44. ff. *De conditione ob turpem
am*, ubi sic: *Quod meretrici datur, repeti non
t.... quia licèt turpiter faciat quòd sit meretrix,
tamen turpiter accipit, cùm sit meretrix..*
rob. 2°. ex S. Thomâ qui sic loquitur: *Quòd
er meretricium exerceat, turpiter agit, & con-
legem Dei; sed in eo quod accipit, non injustè
, nec contra legem; unde quod sic illicitè acqui-
t est retineri potest.* Etverò cui restitueret? An
oeribus? sed quo jure? An ei qui dedit? sed quare
or erit peccatoris conditio quàm peccatricis?

2. 2. q. 32. art. 7.

* * Prob. 3°. ratione. Si enim valeat promissio meretrici facta, patrato opere ex parte meretricis, haud dubiè meretrix id quod recepit servare potest: Atqui hæc promissio licèt illicita, utpotè quæ tendat ad crimen, valet tamen crimine impleto; *multa* enim *facta tenent, quæ facienda prohibentur.* Imò etsi non valeret promissio, valeret tamen datio, ut quæ nec naturali, nec positivâ lege irritetur; solùmque pendeat à voluntate domini, qui re suâ pro nutu abuti potest.

† † Secunda opinio quæ docet meretricem teneri ad restituendum id quod ex crimine suo lucrata est, solùmque id servare posse quod ad vitæ sustentationem absolutè necessarium fuerit,

Prob. 1°. quia opus peccati nihil meretur nisi pœnam æternam; Ergo pro eo nihil pretii percipi potest.

Prob. 2°. Si actio meretricis aliquid mereatur pretii, vel prout spectatur in genere moris, seu ut est peccaminosa; vel prout spectatur in genere entis, seu quatenùs utilis est aut jucunda uni, alii verò damnosa aut periculosa: Atqui neutrum dici potest. Non 1. & in hoc conveniunt omnes: non 2. 1°. quia si res quæpiam, quia est ens, vendi potest, Sacramenta quæ entia sunt, & quidem nobilissima, vendi poterunt; 2°. quia ut utilis vendi non potest actio, quæ virtutem præcipuum animæ bonum interimit; 3°. quia, si actio turpis vendi possit ut entitas alicui jucunda, parricidia, adulteria, sortilegia vendi poterunt; non quidem ut offensiva Dei, sed ut perpetranti periculosa, ei verò pro quo perpetrantur utilia & amœna. Hæc autem quis ferat?

* * Prob. 3°. Cùm res una alteri quæ invendibilis est necessariò & inseparabiliter cohæret, tunc neutra vendi potest, ut patet in labore ad administranda Sacramenta requisito: Atqui voluptas actionis malæ necessariò & inseparabiliter eidem cohæret; Ergo neutra vendi potest, vel emi; Ergo etsi homo rem suam pro nutu dare posse dicatur, haud

amen efficaciter eam dare potest; quandiù eam in
olum criminis pretium dare valet.

Nec nocent, inquiunt, alterius opinionis momenta: unde respondent ad 1. vel hanc legem procedere in foro tantùm exteriori, non in foro conscientiæ; vel meretricem aliquid retinere posse, non ri contractûs, quasi aliquem inire validè possit, sed ex concessione Reipublicæ quæ rei donatæ dominium in meretricem transfert, tùm in mulctam fornicatoris, tùm ut majora impediantur mala quæ ex meretricii ablatione consequerentur. Unde sequitur 1°. meretrices quæ à Republicâ non tolerantur, & in quas ea proinde nihil dominii transfert, nihil ob crimen retinere posse, nisi quod necessarium est ut victitent; 2°. puellas quæ sub matrimonii promissione defloratæ sunt, ducendas esse in matrimonium, nisi quid obstet, quia id unanimi legum consensu stabilitum est.

Ad 2. fatentur cum S. Thoma mulierem id retinere posse quod sibi gratuitò & per modum eleemosynæ ad necessariam sustentationem donatur, si præcipuè illud ipsi etiam legibus adjudicetur, ut statim dictum est: verùm si meretrix *superfluè ad fraudem vel dolum extorsisset ab aliquo, teneretur eidem restituere*, ut ait S. Doctor, 2. 2. q. 63. art. 5. ad 2. Addi posset S. Thomam eo tempore vel eo in loco scripsisse quo meretrices tolerabantur.

Ad 3. negant valere promissionem de dando meretrici pretio. Promissio enim quæ nullius est momenti, quæ nullam habet vim, quæ pro infectâ haberi debet, quæ servari non potest, hæc, inquam, promissio non valet: Atqui talis est promissio de re ex se turpi, juxta leges civiles & canonicas, quas fusè refert Comitolus. *Pactum turpe*, ait Gregorius IX. *vel rei turpis, aut impossibilis, de Jure, vel de facto nullam inducit obligationem.* Idem habetur Jure civili: *Stipulatio interposita de iis pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omninò rescindenda.*

Comit. p. 335.
Cap. final de pactis

Confirm. Promissio hæc ante mali operis, assassinatûs v. g. aut concubitûs executionem nulla erat & invalida; quia alioqui foret vinculum iniquitatis: ergo non convalescit ex post facto, cùm ex regulâ 18. Juris in 6. non firmetur tractu temporis, id quod ab initio non valuit.

Extra rem est quod objiciunt aliqui de homine qui die festâ vestem aut calceos confecit: is enim pretium retinere potest, quia vestis & calcei pretio æstimabiles sunt per se; & qui exigit ut hæc fiant, non temporis circumstantiam exigit, sed substantiam rei. Quod si quis diei festæ circumstantiam in pactum deducere vellet, pactum ex hâc parte irritum foret, utpotè de re malâ.

Equidem non omnis promissio illicita, simul est invalida; valet enim promissio à prodigo facta, licèt illicitè: at invalida est omnis promissio de re totaliter turpi, quia in re turpi nihil est quod alio possit quàm gehennæ pretio commutari.

Ex his colligit Autor Collat. Paris. eas meretrices quæ non tolerantur, sed potiùs ejiciuntur ex urbibus, aut carceri traduntur, ut in Galliâ, teneri ad restituendum id quod accepêre, nisi eo ad tolerandam vitam absolutè indigeant. Ratio est, quia nullum habent titulum quo bona sic accepta retinere possint. Neque enim hoc possunt, vel ratione criminis, quod pretio dignum non est, vel ratione legis, cùm per ipsam non tolerentur.

† † Adduxi præcipua quæ invenire potui utriusque opinionis momenta. Fateor me in secundam propendere, licèt eos qui meretrices ad exactam restitutionem adigere nolunt, condemnare non ausim, quia id nullâ satis evidenti Regni lege constitutum est.

Sed duo hîc addenda credo: 1°. quidem eas multò melius sibi consulere peccatrices feminas, quæ ut peccata sua redimant, iniquitatis suæ fructum in eleemosynas, retento brevi necessario, insumunt. Idem & indubiè magis dicendum de iis qui ex

ex homicidio, aliisve criminibus lucrum fecêre. Ii verò videntur teneri ad restituendum ei qui pretium dedit, nisi lex contrarium decernat ; quia donator rei quidem suæ renuntiavit, sed de facto, non autem de jure, cùm per actum omninò nullum renuntiaverit. Et verò nemo hactenùs Judam redarguit, quòd argenteos triginta, *pretium appretiati*, retulerit ad Sacerdotes.

2°. Si meretrix à peccato resipiscens ad hoc pietatis opus se sponte suâ non determinet, hanc ei pro pœnitentiâ imponendam esse obligationem à Confessario, tùm quia peccatum ejus hanc meretur pœnam; tum nè ex peccato lucrum reportet, sicque vel ad crimen alliciatur, vel ad illud, utpotè boni sui originem, affectum conservet. Atque hinc colliges, ea etiam, quæ quis occasione criminis gratuitò & absque præviâ stipulatione recepit, vix unquam sinè periculo servari posse.

ARTICULUS SECUNDUS.

De restitutione ob injuriam in bonis corporeis.

TRiplici ex capite lædi possunt corporis bona ; 1°. per homicidium ; 2°. per mutilationem & alia ejusdem generis ; 3°. per stuprum, adulterium & similia. De his seorsim dicendum.

SECTIO PRIMA.

De restitutione propter homicidium & mutilationem.

NOt. 1°. Qui alium occidit aut mutilat, damnum duplex eidem infert : unum naturale quod in vitæ aut membrorum privatione consistit aliud temporale, cujus præcipuæ partes sunt 1°. impensæ factæ in curatione ægri ; 2°. lucrum ex morte hominis cessans ; 3°. damna quæ patiuntur hæredes, sive quibus boni aliquid præstabat aut debebat defunctus.

Not. 2°. eum qui præter intentionem, aut prorsùs inculpatè, v. g. ob necessariam suî defensionem alium occidit, non teneri ad restituendum, quia non peccat contra justitiam : sed videndum an non excesserit inculpatæ tutelæ moderamen ; alioqui enim pro ratione excessûs restituendum esset. Docent autem Navarrus & alii plures, eum cujus excessus mortale peccatum est, semper teneri ad damni totius restitutionem.

Ex quo obiter colliges, eos qui in duello alium occidunt, teneri ad restitutionem, non solùm quando alius alium quasi invitum ad certamen attraxit, sed etiam cùm ambo æquè liberè in arenam descenderunt : 1°. quia occisor vera est & injusta causa damnorum omnium quæ patiuntur uxor, filii & creditores occisi ; Ergo iis omnibus restituere tenetur : 2°. quia nullus eorum jure suo cessit, neque occisus eidem juri pro ipsis renuntiare potuit. Ut aliæ præcipuæ difficultates solvantur,

Quæres 1°. an immunis sit à restituendo, qui potuit & debuit fugere, & non fugit. R eum qui fugere potuit & debuit, ut Clericus, Religiosus, imò omnes aut penè omnes Laïci, teneri ad restitutionem. Ratio est, quia qui non fugit cùm posset, est injustus occisor ; cùm quisquis sinè necessitate alium occidit, injustus sit occisor. Porrò injustus occisor tenetur ad restituendum.

Quæres 2°. an injustus occisor teneatur ad restitutionem damnorum realium. R. affirmat. Unusquisque enim tenetur ad resarcienda damna quæ intulit : Atqui, &c. Hinc tenetur occisor ad restituendum hæredibus etiam opulentis, 1°. expensas quæ in occisi curatione factæ sunt ; 2°. cibos quibus uti propter morbum coactus est ; iis tamen deductis quos aliàs consumpsisset ; 3°. lucrum quod ex operis percepturus fuisset : neque deduci potest labor lucrando adhiberi solitus ; tùm quia alioqui sæpè nihil esset restituendum, dum lucrum vulgò ex labore pendet ; tùm quia labor operarios juvat.

Quæres 3°. an homicida teneatur restituere iis omnibus quos sustentabat defunctus. R. Homicida restituere debet iis quos occisus necessariò alere tenebatur, & alebat ex operis & quæstu, ut sunt pater, mater, uxor, filii. Non tenetur verò fratri, nepoti, & aliis hæredibus *non necessariis*, quos defunctus excludere potuisset; ii enim jus strictum ad hanc sustentationem non habent, unde eam ab hæredibus exigere non possunt. Si quis tamen eâ intentione occidisset alium, ut ii quibus antè benefaciebat, beneficii hujus jacturam facerent, utique ad hujus damni reparationem teneretur.

Dixi, *quos alebat ex operis*: quia si alebat ex bonis quæ extent, non tenetur occisor eos alere, tametsi de ceteris damnis teneatur.

Sed si fratres aut nepotes ad inopiam redacti essent, an non iis restituendum foret id quod ab occiso recipere consueverant? R. negat. 1°. quia iis solùm restituendum est, quorum jus strictum violatum fuit: Atqui hæredes non necessarii jus strictum non habent, ut diximus; Ergo. 2°. quia occisor ad nihil amplius tenetur, quàm teneantur hæredes qui in bona defuncti succedunt, cùm perinde ad summum se habeat ac si universa defuncti bona sustulisset: Atqui hæredes nihil strictè debent iis quibus beneficia conferebat occisus; Ergo.

Porrò hæc deciso non favet homicidæ, sed tantùm hæredibus necessariis, quibus occisor restituere debet; tùm illud quod ipsis ex justitiâ debebat occisus; tùm illud quod idem occisus aliis gratuitò conferebat.

Quæres 4°. an occisor satisfacere teneatur occisi creditoribus. R. Cùm occisor non debeat hæredibus occisi, id quod dederit ejusdem creditoribus, propositam quæstionem, vel nullius esse momenti, vel ut seria sit eò debere reduci, an creditori ante hæredem restituendum sit, an hæredi qui ipse creditori refundat. Postremum hoc nativo rerum ordini magis congruit, præsertim cùm creditor ad hære-

dem recurrere soleat suum ab eo debitum recepturus. Existimo tamen hîc æqui bonique habendam esse rationem : satius enim videretur egeno creditori restituere, quàm hæredi nè obolum quidem restituturo : interim caveat debitor nè bis in idem conveniatur.

Quæres 5°. an solvi debeant impensæ funeris.

R. negat. nisi ex acceleratione mortis majores impensæ fuerint, ut si vir nobilis extra patriam occisus ad prosapiæ suæ sepulchrum transvehendus fuerit ; tunc enim pro illo excessu facienda erit restitutio ; at tamen deduci deberent expensæ, si quas in intinere facturus erat ille qui occisus est.

Quæres 6°. an etiam aliquid restitui debeat pro damno naturali.

R. 1°. contemptum, qui in omni alterius mutilatione reperitur, compensari debere, sive veniam petendo, si hoc patiatur conditio lædentis : seu doloris signa exhibendo ; seu satisfactionem pecuniariam dando, si læsus per eam placari possit.

R. 2°. probabilius videri occisorem, eumve qui alium mutilavit, pro vitâ aut membro præcisè sumptis, aliquid restituere debere : 1°. quia damnum omne compensari debet quantùm fieri potest ; 2°. quia justum non est ut quis ab omni prorsùs restitutione eximatur, eo quòd nimium debeat, de quo suprà.

Ex his sequitur, 1°. eum qui alapâ vel fustibus alium cædit, quive eum debilitat, aut deformat, ad pecuniariam compensationem teneri ; 2°. æquitati valdè consentaneum esse, ut occisor sacrificia & preces offerat pro occiso ; eamque obligationem non pauci strictæ justitiæ esse censent. Unde & fur qui ablata restituere nequit, ad piam hanc restitutionis speciem obligatur.

Quæres 7°. an occisor à restitutione immunis sit, si pœnas luat pro homicidio ; aut si occisus testetur moriendo se ei condonare. R. negat. Ratio primæ *partis* est, 1°. quòd mors in homicidam à Judice

decernatur, non ut parti læsæ satisfiat, sed ut vindicetur illata Reipublicæ injuria, aliisque terror afferatur; 2°. fur patibulo addictus non desinit teneri ad restituenda quæ abstulit; Ergo nec occisor.

Ratio secundæ partis est, 1°. quòd condonatio simpliciter facta intelligatur quoad legem caritatis, quæ præcipit ut diligantur inimici, non autem ut à restitutione eximantur; 2°. quòd in occisione alicujus duplex interveniat injuria: alia quæ infertur patri v. g. occiso, & circa hanc si remittatur à patre, occisor à restituendo liber fiet; alia quæ infertur filio patris occisi; hæc autem cùm sit ipsum jus filii, non nisi à filio condonari potest.

Quæres 8°. an hæredes occisoris teneantur ad restitutionem in ejus defectum. R. affirmat. idque etiamsi occisor morte punitus fuerit, quia hæredes ut in omnia jura, sic & in onera omnia succedunt. Solent tamen occisi hominis hæredes honestiores pœnâ talionis contenti esse; è contra hæredes occisi qui egeni sunt, plus damni quod passi fuêre, quàm læsi honoris reparationem quæritare consueverunt.

Quæres 9°. an ad restituendum teneatur qui occidit Caïum, quem invincibiliter putabat esse Lucam hostem sibi infensissimum. R. teneri; 1°. quia reipsà est injustus occisor; 2°. quia qui ædes alicujus incendere voluit, & alterius succendit, non desinit obligari ad restituendum; Ergo à pari.

Quæres 10°. an etiam ad restituendum teneatur qui occidit hominem brevi moriturum; aut qui brachium amputavit alicui, qui paulò pòst non ex vulnere, sed alio aliquo casu mortuus est.

R. ad 1. eum qui occidit hominem paulò pòst moriturum ex infirmitate, vel justè à Judice occidendum, non teneri ad restituendum, nisi pro lucris cessantibus, secundùm breve illud tempus quo supervicturus erat: si verò ille ab alio injustè occidendus erat, dico eum teneri ad restitutionem totius. Ratio primæ partis est, quod *occisor* non sit tunc causa nisi *modici illius damni. Ratio* secundæ partis est,

quòd damnum prout injustè illatum est, totum pendeat à tali occisore, qui non potest obligationem ejus reparandi dividere cum eo qui alioqui occisurus fuisset, quia is de facto non fuit occisor.

R. ad 2. quòd seclusâ partium conventione, aut Judicis sententiâ, ille qui alium mutilavit, sola quæ ex vulnere usque ad diem mortis emerserunt damna resarcire debeat, ut qui horum dumtaxat causa extiterit: quòd si jam mutilator cum mutilato de certâ summâ transegisset, standum esset conventioni, ut quæ in incertum peracta sit. Idem est si mutilator à Judice certam ad summam condemnatus fuerit.

Quæres 11°. quomodo æstimari possint damna realia quæ ex occisi morte consecuta sunt. R. 1°. spectandam esse occisi conditionem, sitne dives an pauper; juvenis an senex; doctus & ad laborem vigil, an in arte suâ imperitus & segnis; sanus an morbo ad interitum vergente oppressus; 2°. attendendum, id quod est in spe, ei quod in re est non æquipollere; 3°. videndum etiam an non soleret tantùm consumere quantùm lucrabatur. Si quis mutilatus artem solitam exercere nequeat, sed alio modo quæstum facere possit, erit id detrahendum.

SECTIO SECUNDA.

De reparatione Stupri & Adulterii.

DE iis solùm loquimur impudicitiæ speciebus quæ restitutionis obligationem pariunt; eæ verò sunt præcipuè stuprum, seu defloratio virginis præsertim invitæ; & adulterium, seu illicitus concubitus conjugatorum utriusque, vel alterutrius. Tripliciter porrò potest quis puellæ usum obtinere: 1°. ipsâ consentiente liberè, & absolutè, prout consentire censetur, ea etiam quæ cedit donis, precibusve quæ tunc fieri consueverunt: hæc enim à muliere, si seriò velit, excuti facilè possunt: 2°. ipsâ renitente, ità ut ad eam flectendam adhibeantur vis, minæ graves, falsæ persuasiones, preces admodum impor-

tunæ, quales censentur quæ vel minis adjunctæ sunt, vel fiunt ab aliquo superiore, cui virgo præ *metu reverentiali* resistere non ausit; quanquam rarò evenit ut preces à minis separatæ æquivaleant vi, puellamque verè invitam faciant; 3°. demùm si stuprator promittat puellæ se eam in matrimonium ducturum esse, quod quidem vel fictè, vel sincerè promitti potest. Jam quæritur ad quid ii stupratores teneantur.

R. 1°. Eum qui sine vi, dolo, precibusve admodum importunis, aut mediis extraordinariis, sed ex libero virginis consensu, licèt muneribus, blanditiis, aut precibus ordinariis, turpem corporis ejus usum obtinuit, nihil ei debere in foro conscientiæ. Ratio est, quia scienti, consentienti & jure suo cedenti non fit injuria: porrò puella jure suo cedere potest, saltèm quoàd reparationem damni temporalis.

Not. tamen stupratorem aliquando à Confessario cogendum esse, ut vitiatæ puellæ dotem tribuat, si nempè dives sit, & ea egena: sicque subsit periculum nè ipsâ jam viciari facilior, de novo in crimen proruat; aliàs ad nihil tenetur respectu ipsius personæ corruptæ. Solet quidem stuprator in exteriori foro ad dotandam virginem condamnari, quia vulgo præsumitur seducta fuisse, sicut præsumitur fuisse virgo, nisi contrarium probetur. Si tamen persona corrupta sciat interiùs se nec virginem fuisse, cùm à Titio cognita est, nec reipsâ ab eo fuisse seductam, tenetur ei refundere quidquid per Judicem sub his falsis præsumptionibus sibi adjudicatum fuit, nisi fortè amasius suum ipsiusque puellæ crimen jactando, ipsam diffamaverit; quam diffamatio est damnum injustè illatum, quod resarciri debet, ut puella perinde ac anteà nubere possit.

C. 1. & De adult

R. 2°. verius videri quòd talis stuprator aliquid parentibus restituere teneatur; quia qui puellam sub potestate parentum vel tutorum adhuc positam stuprat, specialem iis injuriam infert. Non desunt tamen sani etiam Theologi, qui credant stupratorem satis puellæ parentibus satisfacere, si veniam

ab iis petat, aut doloris sinceri signa exhibeat. Hæc decisio admitti potest pro casu in quo vitiata puella vel nubere non vult, vel in claram æquè familiam nubit ac si corrupta non fuisset. Verùm si, ut puella juxta suam conditionem nubat, dos ejus à parentibus augeri debeat; censemus strictam damni hujus resarciendi obligationem stupratori incumbere; quia stuprator injusta est causa cur parentes damnum illud ferant.

Ceterùm in usu est, ut si ex crimine secuta sit proles, mulier ipsam à partu ad triennium alat; corruptor verò ab anno tertio & deinceps, donec proles sibi providere possit; imò à partu eam alere debet stuprator, si ad id se obligaverit, aut id mulier præstare nequeat. Si infans expositus sit & ad Xenodochium translatus, debent parentes, si satis habeant facultatum, expensas solvere, quia hospitalia egenis, non autem divitibus ædificata sunt, juxta communiorem sententiam.

R. 3°. eum qui vi, fraude, aut falsis persuasionibus virginem vitiavit, teneri compensare quidquid inde puella aut parentes ejus damni percipiunt. Imò quamvis nuptias non promiserit, tenebitur in foro externo ad eam dotandam & ducendam: ad id tamen (nisi fœdata virgo nuptias corruptoris exigat, de quo infrà) non tenetur in foro conscientiæ ante sententiam Judicis, sed satis est ut ei procuret matrimonium æquè conveniens, ac si deflorata non fuisset.

Cap. 1. De adult.

Quòd si puella dotem nolit, sed exigat matrimonium cum injusto defloratore, debet is consentire: 1°. quia posito etiam dotis augmento, non videtur redintegrari honor feminæ ablatus, nisi ea stupratori nubat, aut res sit occulta; 2°. quia hîc pensari debet publicus contemptus, cui & ipsa & vir cui nubit exponentur; 3°. quia vix fieri potest ut vir alius à stupratore non vindicet in uxorem fastidia quæ experietur aut experiri credet, quoties sentiet aut suspicabitur sibi probro verti quòd imminutam duxerit.

R. 4°. Si puella vim passa æquè nupserit ac si deflorata non fuisset, aut Religionem ingrediatur, ejus corruptor adhuc tenetur de compensatione quâdam pecuniariâ; quia reipsâ damnum intulit, quod licèt in se irreparabile sit, utcumque tamen per bonum ordinis inferioris compensari potest. Nec obstat quòd puella sortem æquè bonam nacta fuerit: sicut enim qui domum alterius succendit, restituere debet, etsi alter, modò non in gratiam incendiarii, eamdem domum restauraverit; ità à pari in præsenti casu: neque enim ex bonâ proprietarii domûs, vel puellæ fortunâ lucrum reportare debet qui damnum reale intulit.

Quòd spectat ad virgines quæ sub promissione matrimonii verâ vel fictâ corruptæ sunt, dico corruptores ad eas ducendas teneri. Ratio est, 1°. quia damnum omne injustè illatum, quale est in præsenti, reparari debet; 2°. quia nemini fraus sua & dolus patrocinari debent: patrocinarentur autem, si fictus animus tolleret obligationem puellam indemnem faciendi; Ergo qui fictè matrimonium promisit, non satisfacit pecuniam dando, nisi puella consentiat, aut jam non possit duci, putà quia corruptor aliam duxerit, aut plures deluserit eâdem spe. Neque huic Religionem ingredi licet, quia hoc injustum foret, utpotè quòd adversaretur promissioni quæ executioni mandari debet.

Sed quid juris, si is qui matrimonium promisit, habeat votum castitatis, aut Religionis? R. Si votum deflorationem subsecutum sit, non desinit stuprator ad matrimonium obligari; quia tale votum non plus valet, quàm votum dandi pauperibus, id quod jam alteri debitum est ex justitiâ. Si verò votum præcesserit deflorationem, communior opinio docet puellam adhuc ducendam esse, saltèm obtentâ voti dispensatione. Ratio est, 1°. quia si quis vovisset daturum se pauperibus aureos centum, & posteà grave alteri damnum inferret, quod sinè iisdem aureis reparare non posset, non teneretur ad implen-

dum votum, sed è contra; Ergo à pari; 2°. quia damnum illatum potest & debet reparari eo meliori modo quo potest: Atqui stuprator eam quam corrupit ducere potest, obtentâ saltem dispensatione; Ergo vel eam obtinere debet, vel Superiori exhibere rationes quibus ab eâ petendâ deterretur, ejusque judicio acquiescere.

Notandum tamen eum qui fictè nuptias promisit, ad id non teneri; 1° si præsumatur puellam deceptam non fuisse, sed temerè & insipienter matrimonii contrahendi spem concepisse, quod presertim contingit cùm magna est conditionum disparitas, ut si vir dives sit & nobilis, femina vilis & inops; 2°. puella ex nimiis exagerationibus, inconstantiâ & ambiguitate verborum, satis animadvertere potuerit promissionem fictam esse; 3°. si deinceps cum alio fornicetur, cùm per hoc etiam sponsalia dirimantur; 4°. si se virginem mentita fuerit, & jam corrupta fuisse deprehendatur: hoc enim casu non tam decepta est quàm deceptrix; 5°. si puella nobilem se vel divitem finxerit, cùm non esset; nam & in eo casu injustè decepit, & in injuriis datur compensatio; 6°. si prudenter timeatur nè ex tali matrimonio suboriantur graves discordiæ inter familias, scandala, aliaque id genus infelices exitus; 7°. si puella jam nolit stupratori nubere, aut eam ipsi denegent parentes; quo in casu censent multi, stupratorem non teneri ad dandam dotem puellæ, si hæc ejusdem aut penè æqualis secum conditionis sit; quia ex Reg. 66. in 6. *cùm non stat per eum ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Excipe si puella sinè novo suî vel familiæ suæ opprobrio hominem hunc ducere non possit.

Sed quid si vir conditionis superioris, verè & ex animo nuptias promiserit?

R. eum promissis stare debere; nisi hinc graves rixæ, familiæ dissidia, vel scandalum grave meritò timeantur. Ideò enim homo ille non tenetur

promissis stare, quia superioris est statûs & fortunæ: Atqui hæc ratio nulla est; tum quia jure suo cedere potuit, & reipsâ cessit; tum quia excessus quo puellam superat, eidem puellæ debitus est ratione promissionis ab eo factæ, ab ipsâ acceptatæ; & cui, accedente legum consensu, nihil deest quominùs in conscientiâ obliget. Et certè non minor est in hoc casu injuria à viro nobili aut locuplete illata, quàm illata à plebeïo; Ergo non minùs resarciri debet, si moraliter potest.

Unde sequitur, 1°. non sufficere ut ille homo puellam dotet, quia ipsi inferretur injuria, utpotè quæ jus habeat ad nuptias sibi promissas; cui autem aliquid in unâ specie debetur, non satisfit si detur in aliâ specie; 2°. si eam ob aliquod superveniens impedimentum ducere non possit, putà quia vel aliam duxit, vel jam sacros Ordines suscipere præsumpsit, non satis esse ut ei restituat quantùm sufficit ut ea virum ejusdem conditionis ducat, sed quantùm ejusdem intererat ipsum habere in virum: quia puella hæc jus habet non solùm nubendi perinde ac si deflorata non esset, sed nubendi viro talis conditionis; quamquam Magistratus moderari possint jus illud, ut quod ab ipsis magnâ ex parte dependeat.

Quæres quid juris, cùm deflorator superioris statûs fictè promisit nuptias. R. Vel puella noverat notabilem supra se viri excessum, vel non. Si 1. credendum est communiter, eam non fuisse deceptam, nisi quia decipi voluit. Si 2. censent multi, stupratorem non teneri ad eam ducendam, sed satis esse si ei provideat quantùm oportet ut tam commodè nubat, ac si corrupta non fuisset. Ratio est, quia mulier intendebat acquirere virum ejusdem secum conditionis, non multò superioris, cùm superioritatem hanc non cognosceret; Ergo.

Ut ut sit, (dici enim posset puellam eum intendisse qui matrimonium sibi promisit, quisquis ille foret) certum videtur 1°. stupratorem teneri ad ducendam puellam si id juraverit, nisi dispensationem

juramenti obtineat, quia tale juramentum est de re licitâ & possibili ; 2°. secluso etiam juramento, posse fieri ut stuprator in casu proposito, teneatur ad nuptias respectu unius puellæ, non respectu alterius. Si enim virgo corrupta, bonæ sit indolis, nec consenserit in scelus, nisi v. g. quia à parentibus malè vexatur, & in doloris æstu quæsiit vindicem ; an non magis tenetur qui eâ sub fictâ matrimonii promissione abusus est, ad ipsam ducendam, quàm si abusus sit puellâ ad scelus expeditâ, & quæ matrimonii promissionem non exegerit, nisi quia crimini speciem coloremque obtendere voluit ?

Ex dictis colliges, eum qui viduam honestam, eamve quæ licèt jam ab alio vitiata esset, passim tamen ut virgo habebatur, sub matrimonii promissione etiam fictâ corrupit, ad eam ducendam teneri : si verò vi vel fraude, sed absque matrimonii pacto, ipsâ abusus sit, ad compensationem damni cujuscumque inde nascentis obligatur ante Judicis sententiam ; quia eadem est hoc in puncto conditio ipsius, quæ virginis per fraudem & dolum defloratæ. Nunc dicendum de reparatione adulterii.

Triplex esse potest hominis adulteri status : vel enim ex adulterio secuta non est proles, vel certò secuta est, vel demùm dubitatur an secuta sit.

Si proles secuta non sit, nulla est facienda restitutio ; tum quia per adulterium præcisè non infertur damnum, sed solùm injuria, pro quâ, si tamen publica sit, nontam debetur restitutio, quàm satisfactio honoraria, quæ fit per veniæ petitionem, & signa doloris ; tum quia transigere pro adulterio prohibitum est, nè videatur maritus uxoris lenocinium facere. Si tamen post peractum sinè consensu mariti adulterium talis transactio fieret, censent non pauci eam valituram ; quia lex eandem prohibens, nititur lenocinii præsumptione, quam in præsenti casu nullum habere locum supponimus.

Si ex adulterio proles certò moraliter secuta sit, ut si eo tempore absfuerit maritus, &c. debet 1°.

li proles ubicumque, etiam in nosocomio, si ibi osita fuerit; 2°. adulter debet pro parte, & in olidum pro toto, compensare damnum quod pater t legitimi hæredes patiuntur ex suppositione infanis spurii. Adulter enim est causa, tum damni hujuse, tum suppositionis; quia prævidere potuit & lebuit eam ex actione suâ secuturam.

Dixi adulterium teneri *pro parte suâ*, ad compenationem damni, quod patri legitimisve hæredibus llatum est. Non enim tenetur ad totum, nisi in lefectum adulteræ, quia uterque est causa æquè principalis totius damni.

Sed quid si alter alterum ad crimen inflexerit?

R. Si adulter vi, minis, aut gravi metu etiam reverentiali, uxoris alienæ consensum extorserit, tenetur de toto: mulier verò non nisi in ejus defectum; quia adulter est tunc causa magis principalis adulterii, damnorumque inde subsequentium. Si verò adulteram precibus solùm induxerit in crimen, censet Sylvius adulterum adhuc de toto damno teneri, sive quia magis influxit in crimen; sive quia damni totius reparandi onus in se suscepisse videtur. Hæc opinio non videtur mihi indubia; credo tamen eum qui alium ad crimen induxit, ad ampliorem restitutionis portionem teneri, quia duplici nocuit titulo, moventis scilicet ad damnum, & ejusdem damni executoris.

In dubio an proles sit mariti, an adulteri, debet iste pro ratione dubii restituere; 1°. quia iniquum est ut in casu dubii, debeat unus, isque innocens, totum subire onus, dum alter, & quidem reus, ab eo planè immunis est: Atqui maritus innocens totum subiret onus alendæ prolis, quæ fortè sua non est, dum adulter pessimus nihil contribueret ad alendam eandem prolem, quæ fortè sua est; Ergo: 2°. quia ille ad damni reparationem tenetur, contra quem est ejusdem damni præsumptio: Atqui contra adulterum est præsumptio damni. Ubi enim constat de actione per se sufficienter damnificativâ, ibi contra

actionis hujus autorem est præsumptio ; unde ut à restitutione immunis sit, probare debet damnum ex actione suâ non evenisse : Atqui adulter actionem de se damnificativam posuit, & non probat, ut supponimus, damnum ex hâc actione suâ secutum non esse; Ergo restituere debet tantò plus quantò minùs probat se damni causam non esse.

Obj. 1°. Nemo tenetur solvere priùs quàm ostendatur debitor, sed in dubio adulter non ostenditur debitor.

R. dist. maj. Nemo priùs tenetur solvere quàm ostendatur debitor, si alteri incumbat probatio contra eum facienda, C. si ipsi probationis facienda obligatio incumbat, N. Sic non teneris alteri reddere rem quam suam esse dicit, & non probat, quàmque tuam esse putas. Verùm si crimen admiseris de se damnificativum, putà si facem conjeceris quo tempore ambusta fuit domus, tunc tibi incumbit ut probes ex hoc delicto nihil damni alteri creatum esse; quia postulat æquitas ut præsumptio fit contra nocentem.

Obj. 2°. In dubio melior est conditio possidentis; Atqui adulter bonum suum possidet, & est in dubio ; Ergo.

R. dist. Melior est in dubio conditio possidentis, si de actu damnificativo non constet, C. si de eo constet, N. Certè hoc axioma militat contra adversarios : nam maritus adulteræ possidet bona sua; Ergo in dubio an proles sit ipsius, non debet iisdem privari, ut prolem dubiam perinde ac certò suam alat.

Quæres 1°. ad quid teneatur adultera. R. eam teneri ad reparanda, quantùm fieri potest, damna quæ ex crimine suo in maritum legitimosque filios derivantur. Hoc autem efficiet, plus ex propriis bonis, si quæ habet, legitimis filiis quàm spurio relinquendo. Si verò paraphernalia bona non possideat, cautè & prudenter persuadere conabitur patri putativo, ut legitimos filios pluribus instruat bonis quàm illegitimum. Itèm animum filii ad amplecten-

m Religionis statum flectere nitetur, si tamen
inæ vocationis signa præ se ferat. Denique rem
nesticam majori quam aliàs diligentiâ tractabit,
solitis sumptibus detrahet quantùm permittent
us & valetudo, &c.
Quæres 2°. an mulier, quæ similibus modis damna
: compensare nequit, teneatur indicare crimen
m. R. negat. generatim loquendo. Vel enim
nen revelaret marito, vel filio spurio : Atqui nec
rito nec filio illud revelare tenetur; tum quia
elatio hæc fieri non potest sinè magnâ mulieris
ımiâ, quam subire nec tenetur, nec debet, quæ
nen bonum publicè habet; tum quia eadem re-
atio gravium malorum radix esse potest, ut quæ
lierem mortis periculo exponat, & maritum
iculo uxoricidii, aut saltèm odii perpetui; tùm
ıique quia filius matri non credet, nec juxta
ltos, credere tenetur; aut si credat, vix proba-
: est quòd ità perfectus sit, ut propter solum
:itiæ amorem renuntiet hæreditati quam in ex-
iori foro retinere tutò potest.
Confirmat. quia non est restituendi obligatio,
n ille qui debet est in impotentiâ morali; ille verò
debetur, non est rationabiliter invitus: sed mu-
quæ aliter satisfacere nequit, quàm suum cri-
n detegendo, est in impotentiâ morali, &c.
Hæc resolutio limitari solet, 1°. cùm adultera jam
è famam suam publicè perdidit, quia tunc ex ipsâ
declaratione grave non patitur incommodum. Si
nen vel gravia inde mala sibi vereretur, vel præ-
leret sibi non credendum, rem pandere non te-
etur; 2°. cùm mulier prudenter judicat spurium,
otè virum frugi, sibi fidem habiturum esse,
uod tamen rarissimè præsumi potest) tunc enim
ımia nocentis apud unum aut alterum, minùs
ɔet incommodi, quàm gravissima innocentum
nna. Hâc de causâ docent Theologi, occultum
:ujus crimen posse tertio revelari, ut avertatur
ıve damnum quod ipsi ab altero impendet.

Quæres 3°. an filius teneatur credere matri quæ asserit eum illegitimum esse.

Respondent vulgò filium non teneri credere matri etiam juranti, nisi manifestis argumentis id probet, ut si demonstret patrem antè & post conceptionis tempus abfuisse. Ratio est, quòd nemo unius, quamvis non suspecti, hominis testimonio credere tenetur in suî præjudicium; præsertim cùm testis ille turpitudinem suam allegat. Hæc opinio tam communiter recepta est, ut ei sinè scrupulo adhærendum sit.

Quæres 4°. quid de eâ matre sentiendum, quæ plures filios convocans, ait: Unus ex vobis illegitimus est: vultis eum à me nominari, aut innominatum cum ceteris hæreditatem partiri? R. Hanc agendi rationem esse iniquam; 1°. quia omnibus metum gravem injustè incutit, efficitque ut plures renuntient parti hæreditatis sibi certò debitæ; 2°. quia per eam proles legitima illegitimitatis suspicioni exponitur; facilè enim continget, ut qui spurius non est, ob certa oris & vultûs lineamenta pro spurio habeatur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Restitutione famæ & honoris.

ARticulum hunc ab aliquot definitionibus auspicabimur.

Fama est bona opinio de alicujus excellentiâ, quæ opinio efficit ut habeatur pro bono vel absolutè, vel relativè ad scientiam, artes, &c.

Honor est testificatio excellentiæ alterius, facta per externam reverentiæ exhibitionem. Hinc fama in interiori judicio posita est, honor verò in externo æstimationis signo consistit.

Detractio est alienæ famæ injusta & occulta læsio vel imminutio; seu denigratio famæ hominis absentis.

;ontumelia est alieni honoris injusta & aperta
), seu ablatio honoris hominis ipso præsente.
c contumelia, ut quæ coram & in faciem fiat,
:atum est detractione gravius, ut rapina pejor
furto, ideòque in confessione exprimi debet.
'alumnia est falsi criminis, vel defectûs imposi-
& hæc sub detractione, ut species sub genere
:inetur. Detractio enim octo modis fieri potest:
:alsum aliquid imponendo; 2°. amplificando il-
quod verum est; 3°. occultum detegendo; 4°.
trè interpretando quod rectè ab alio gestum est;
negando aliquem quibusdam dotibus frui, rec-
& boni quidpiam fecisse; 6°. dotes illas aut
a imminuendo; 7°. tacendo iis in circumstantiis
uibus silentium pro vituperio habetur; 8°. adeò
dè laudando, ut facilè sentiant alii eum quem
las parùm tibi videri laudis dignum. Hos detra-
di modos, quorum priores quatuor directi sunt,
teriores verò indirecti, exprimunt versus se-
ntes:

ponens, augens, manifestans, in mala vertens;
ui negat, aut minuit, reticet, laudatve remissè.

Jt pleniùs tractentur quæ ad tanti momenti ma-
am pertinent, videndum 1°. an & quale pecca-
ı sit detractio; 2°. quam reparationem exigat;
an eam exigat semper & in omni casu; 4°.
ımodo & coram quibus fama restitui debeat;
quæ causæ à restituendâ famâ excusent.

SECTIO PRIMA.

An, & quale sit peccatum Detractio.

ONCLUSIO. Detractio est peccatum ex naturâ
ı suâ grave, caritati simul & justitiæ contrarium.
'rob. 1°. ex Scripturâ. Prov. 24. *Abominatio ho-*
um detractor. Rom. 1. *Detractores & contume-*
dicuntur *digni morte.* Et I. Corint. 6. *Neque*
s..... neque maledici regnum Dei possidebunt.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Hieronymus in Psalm. 100. docet detractionem fornicatione pejorem esse, *quia*, inquit, *qui fornicatur se tantùm occidit : ille autem qui detrahit, & se & illum qui audit, demergit.*

* * Et in Psal. 149. hæc profert, quæ utinam ab iis qui in communi vivunt, satis ponderentur : *Non putent Monachi se debere esse securos, dicentes : Grandia crimina non facimus in Monasterio ; non adulteror, non furtum facio..... grande scelus est quando detrahis fratri tuo : linguâ tuâ fratrem tuum interficis.* S. Bernardus, Serm. 24. in Cant. *Qui detrahit, ferit caritatem linguâ maledictâ, & quantùm in se est, necat funditùs & extinguit.* Unde sic: Peccatum illud mortale est, quod grande scelus dicitur, quod qui admittunt digni sunt morte, & regnum Dei non possidebunt : Atqui talis est detractio ex textibus citatis ; Ergo.

Prob. 3°. quia detractio in famâ, contumelia verò in honore proximum iniquè lædit, adeòque eum spoliat bonis quæ divitiis longè præstant, juxta id Proverb. 22. *Melius est bonum nomen quàm divitiæ multæ ;* Ergo utraque caritati simul & justitiæ adversatur.

Et hæc intelligenda sunt de eâ etiam detractione quæ ex loquacitate & levitate animi oritur, absque intentione lædendi proximum : nam & hæc detractio est verè injusta ; quia jus habet proximus nè quis sive ex loquendi prurigine, sive ex alio motivo ea efferat quæ nata sunt famam ejus imminuere.

Dixi detractionem esse peccatum ex naturâ suâ mortale. Venialis tamen esse potest, 1°. ob defectum sufficientis advertentiæ ; 2°. ob materiæ levitatem, ut si narretur levis alicujus imperfectio aut peccatum ; (quanquàm fieri potest ut qui plures alterius defectus licèt divisim leves revelat, peccet mortaliter, quia tot revelando, graviter bonam ejus existimationem lædere potest) ; 3°. ob correctionis necessitatem ; & sic excusari possunt parentes & domini qui erga filios & famulos verbis quibusdam contu-

ɔppoſitam rationem venialis judicetur, :viter læditur proximi fama.
amen regula ſuas habet exceptiones: unde ıeologi, 1°. exprobrationem rei levis imon eſſe à mortali, ſi fiat ex intentione gra:ndi iiſve in circumſtantiis in quibus prœ:ravem proximo dolorem concitatura; 2°. :eſpectu unius perſonæ leve eſt, grave eſſe ılterius. Sic qui de puero aut famulo vili i vanus ſit, mentiatur ſæpè, plus juſto teſt haud peccare mortaliter; secùs ſi hæc Epiſcopo, de Superiore, coram ejuſdem us, de Sacerdote, aut etiam de Laïco ud plebem nominis. Ratio eſt, quia taonarum fama multùm inde imminuitur, ate ſibi neceſſarià excedunt, ideòque ab udiuntur à quibus audiri debent; 3°. ad em etiam gravem ſatis eſſe, ſi de proicantur quæ licèt nullam ex parte ejus culonant, eum tamen aliorum contemptui Hinc graviter peccant qui dicunt patrem iremibus fuiſſe damnatum; itèm qui occulſium defectum narrant, aut per convitii faciem exprobrant; hæc enim quàm mo-

honor vilium personarum non censetur hisce injuriis graviter lædi.

Eos tamen qui hanc convitiandi consuetudinem habent, facilè à Confessariis absolvendos non putem; 1°. quia in has contumeliæ voces erumpere non solent nisi irati; 2°. quia scandalum audientibus ingenerant; 3°. quia verba quibus utuntur de se famam imminuunt, & eos ad quos diriguntur nonnunquam gravissimè exacerbant.

At peccatne mortaliter qui de alio peccatum aliquod mortale refert, quod is à se admissum glorіatur, quodve in usu communi pro graviter infamante non habetur, putà qui narrat duellum militis?

Respondent Theologi etiam accurati, hîc nullum aut leve duntaxat peccatum occurrere, quia hæc admissi duelli narratio, habitâ conditionis militaris ratione, gravem injuriam inferre non potest. Sed hæc opinio difficilis mihi videtur; 1°. quia eâdem de causâ licebit varia alicujus contra castitatem peccata revelare: qui enim hæc admittunt, apud mundanos gloriam habent; 2°. quia viri probi duellistas ut miseria diaboli mancipia habent; ac proinde suam iis famam verè aufert, qui nefaria eorum prælia revelat; 3°. quia qui hujusmodi peccata narrant, iisdem ut honorificis applaudere solent, & sæpè, etiam præter intentionem, eos à quibus audiuntur, ad simile quid accendunt. Quapropter tutius est ab iis abstinere; & si propter hoc non retineantur pœnitentes, sive quia excusat bona fides, sive quia duellistæ ipsi jure suo cessisse videntur, saltèm potenter exhortandi sunt à Confessariis ut deinceps taceant, præsertim cùm præterit horumce certaminum memoria.

Ii etiam mortaliter peccant, qui licèt generalibus utantur verbis, magni tamen sceleris suspicionem & ideam in auditoribus excitant; quales ii sunt qui dicunt se de tali homine aliquid scire quod de eo nemo facilè suspicetur; aut se de eo quædam esse revelaturos nisi ea æterno premi silentio caritas

eret : hæc enim ambigua detrahendi ratio plus
:ere solet, quàm si singulares alicujus defectus
rimerentur.

Quæres quid sentiendum de his qui detrahunt
communi, seu nemine in particulari designato.
R. 1°. peccari mortaliter, si detractio gravis in
am communitatem cadat, ut si de aliquo Ordine
eles sinè causâ nullam ibi esse disciplinam, om-
aut penè omnes ludo & epulis incumbere;
i de pago vel civitate, omnia ibi plena esse mo-
olis aut adulteriis. Ratio est 1°. quia non magis
totius communitatis famam auferre, quàm
atorum; 2°. quia ablatâ tam generaliter com-
itatis famâ, & ipsa privatorum fama tollitur.

. 2°. Non peccat graviter qui ità dicit esse in
iâ urbe nefarios homines, ut suspicio, nec quem-
n privatum, nec ipsum communitatis corpus
iat; quia nec privati hinc læduntur graviter,
ipsa communitas: ut enim inter Apostolos unus
Judas; sic in multò ampliori communitate,
lligitur nefarios quosdam homines esse posse.

. 3°. Peccat tamen graviter, qui designato
iasterio, dicit in eo esse aliquem facinorosum;
quia sic graviter imminuitur totius Monasterii
a, præsertim apud personas simplices; tùm quia
as ingeneratur scandalum audientium animis, qui
non multùm mirentur si in aliquo pago repe-
tur homines quidam perditi, id tamen ægrè
nt de Monasteriis.

SECTIO SECUNDA.

In, & quando Detractio reparationem exigat.

Ertum est detractorem ad famæ reparationem
teneri; ut qui causaverit jacturam boni, ejus-
inter alia præstantissimi. Porrò hæc obligatio
:t 1°. quamvis quis non nisi ex ignorantiâ detra-
t, putà si occultum alicujus crimen revelaverit,
i illud publicum esse putabat; aut si illud de uno

dictum, narratum existimavit de alio, ac de isto deinceps narravit. Ratio est, quòd justitia obliget quemlibet ad impediendum nè ex actione suâ etiam inculpabili, alteri damnum creetur, cùm illud impedire potest. Sic qui ignoranter alienæ domui vel segeti ignem applicuit, eum, statim ac animadvertit, extinguere debet : atqui infamia tanquam ignis grassatur, viresque eundo acquirit; ergo.

Hinc si diffamatus aliquid percipiat damni postquam detractor errorem suum agnovit, is jam ad ejus restitutionem tenetur; quia qui causam damni à se positi non removet, censetur effectum ab eâ prodeuntem velle : secùs si damnum illud alteri contingat antequam errorem suum agnoverit, quia tunc voluntaria ejusdem causa censeri non potest.

Quod si, me verum crimen dicente de aliquo, alii hoc de alio dici putent, & de isto ulteriùs divulgent, non tenebor ad restitutionem famæ, & damni inde obvenientis, eò quòd vera damni hujus causa non sim, sed mala aliorum intelligentia cujus occasio, non causa fui. Aliud esset, si malam hanc intelligentiam ex locutione meâ secuturam prævidere potuissem; quia tunc damna inde orta, in causâ voluntariâ forent. Quod si errorem rescivero, tenebor ad advertenda damna quæ pati potest proximus, idque etiam ex justitiâ; quia hæc obligat ad efficiendum nè ex actione mea alii damnum sinè justâ causâ recipiant.

2°. Eadem obligatio reparandæ proximi famæ urget etiam cum propriæ famæ periculo : quia in pari periculo potior est conditio innocentis : imò urgeret cum periculo vitæ propriæ, si ex infamiâ immineret innocenti periculum vitæ, aut pernicies vel grave bellum Reipublicæ; quia damna quæ tunc pateretur infamatus, æquivalent aut præstant damno vitæ infamatoris. Si quis tamen propriam revelans malitiam non esset innocentem liberaturus, tacere deberet, quia nemo tenetur ad opus inutile cum proprio gravi incommodo.

°. Urget eadem obligatio., etiamsi occultum
ien uni tantùm viro probo ac tacituro detectum
etiam sub secreto : *Mallem enim*, ait optimè
, *crimen meum notum esse tribus aut quatuor*,
uni gravissimo viro ; nam pluris æstimo in bonâ
æstimatione apud illum, quàm apud plures alios
ris æstimationis. Unde qui uni tantùm viro pro-
:alem detegit culpam, peccat mortaliter ; nisi
excuset causa ob quam excusari solent vir &
qui sibi mutuò filiorum peccata revelant.
on peccat tamen, nec proinde ad reparatio-
tenetur qui justâ de causâ alterius crimen
n occultum revelat.
inc 1°. alterius crimen etiam sub secreto sibi
missum (modò extrà Confessionem, cujus
um etiamsi millies mori debeas, inviolatum
ari debet) revelare potest, cui nisi revelet
te plectendus est ; præsertim si alter ex hâc
:latione, famæ duntaxat aut bonorum jacturam
debeat. Ratio est, quia fidelitas non obligat
ilterius famam & bona cum vitæ propriæ dis-
lio conserves ; atque hoc scire debuit qui cri-
is sui secretum tibi commisit.
Quod si criminis alieni revelatione, ejus autori
s impendeat, potes aliquando ut vitæ propriæ
sulas, illud revelare : aliquando non. Potes
lem si crimen illud cognoscis sinè injuriâ illius
ipsum commisit. Si verò vi, fraude, aut alte-
litteras aperiendo sinè causâ, hoc detexisti,
ic revelando addis injuriam injuriæ, adeòque
udem tuam, ejusque effectus imputare tibi debes.
2°. Non peccat etiam qui crimen alterius revelat,
justè innocentem tueatur.
3°. Qui hoc facit ut communitatis damnum
ertat. Sic licet Medicis, Advocatis, Confessariis
orantias detegere. Sic etiam licitum est falsam
cujus paupertatem manifestare, ne veris paupe-
ius præjudicium inde creetur.
4°. Qui ut auxilium & consilium accipiant, illatæ

injuriæ reparationem consequantur, &c. occultam alterius nequitiam amico suo exponunt. Imò id non pauci licitum esse credunt, si fiat ut quis atrocem injuriam passus, solatium recipiat: cùm præsertim grave sibi ex dolore nocumentum, putà morbum veretur. Firmiùs tamen & sanctiùs sibi providebit, qui ad eùm confugiet *qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.*

5°. Excusatur à culpâ, qui puellæ jam inutiliter admonitæ denuntiat eum quem familiariùs videt, corruptum esse.

Sed in his omnibus sedulò cavendum, 1°. nè leves & infundatæ conjecturæ pro seriis mali probationibus habeantur; 2°. nè plus reveletur quàm ad avertendum malum necesse sit; 3°. nè detegatur crimen, cùm aliâ viâ, v. g. correctione fraternâ damnum impediri potest; 4°. nè pluribus detegatur, cùm sufficit ut aperiatur paucis.

Quæres 1°. an peccet qui de defunctis detrahit.

R. affirmat. quia mortui ut justè honorari possunt, sic & iniquè diffamari.

Quæres 2°. an crimen quod uno in loco publicum est, liceat in alio loco ubi occultum est revelare, & an qui revelant peccent, etiam adversùs justitiam.

Not. 1°. Crimen tribus modis publicum esse potest, scilicet ut notorium, ut manifestum, ut famosum. Notorium vel est juris, vel facti. Notorium juris est, cùm reus vel de crimine damnatus est per Judicis sententiam; vel de eodem crimine à testibus convictus est in judicio, vel ibidem crimen confessus est, adeò ut illud jam nullâ tergiversatione in judicio celare possit. Notorium notorietate facti, est cùm crimen coram tot testibus perpetratum est, ut nullâ possit tergiversatione celari & excusari, saltèm coram majori communitatis aut viciniæ parte.

Manifestum est illud, quod cognitum est à majori communiratis aut viciniæ parte, ità ut media pars propriis oculis viderit, & media pars ab iisdem de visu

ísu testibus factum didicerit. Unde in notorio facti,
nnes, quotquot scilicet ad constituendum notorium
quiruntur, per se ipsos viderunt; in manifesto au-
m pars una quæ non vidit, didicit à vidente.
Famosum est illud quod famâ notum est; seu fama
æc prodierit ab uno tantùm teste, sed cui omnes
lem dandam esse crediderint; seu eadem fama non
i ex suspicionibus admodum violentis orta sit,
si quis pallido & atro vultu, tinctus cruore, ce-
iter visus sit effugere è domo in quâ repertum est
mici ejus proprio sanguine innatantis cadaver.
Not. 2°. Facilè non definiri quando res à majori
mmunitatis vel viciniæ parte cognita censenda
. Expendam id in tractatu de Censuris, part. 1.
p. 5. Interim pro præsenti publicum judicari po-
t, id quod attentâ facti naturâ, personarum
alitate, conditione communitatis, ità egreditur
nites secreti & occulti, ut moraliter ulterius dif-
ndi debeat. His præmissis,
Dico 1°. Qui juridicè per sententiam publicam
famatum in uno loco, infamat in alio ubi crimen
us ignoratur, non peccat contra justitiam, sed
aviter peccare potest contra caritatem.
Prob. 1. pars; quia reus per hanc Judicis senten-
m omni in famam suam jure privatur pro omni
co: Judex enim jus habet reum quem publicè con-
mnat famâ spoliandi, sicut & eum vitâ spoliare
test, ut ceteris exemplo sit & terrori: unde no-
ntes coram frequenti cœtu puniri solent.
Prob. 2. pars; quia quí absque legitimâ causâ
lium infamat in loco ubi crimen ejus moraliter lo-
uendo ignotum mansurum erat, lædit primum ca-
tatis principium, quod vetat nè quis alteri faciat
uod sibi factum doleret. Porrò quis velit ut sibi
nferatur fama ad quam quidem jus non habet,
d quam sinè fraude possidet?
Dixi, qui infamat *absque legitimâ causâ.* Si enim
edicus v. g. vel hereticus, bono quod alibi inte-
rum servant, nomine utantur ut incautos deci-

piant; potes & debes ostendere eos in tali loco damnatos fuisse, ob perniciem quam inferebant ambo, iste animis, ille corporibus.

Quòd si sententia adversùs reum in uno loco publicata, brevì erat in alio loco publicanda, sive per Judicem, sive per communem famam, is qui prima criminis nuntia fert, graviter contra caritatem non peccat; quia sive paulò citiùs, sive paulò seriùs fama destruatur, parvi admodum momenti est, nisi ex anticipatione illâ gravia infamato damna contingant in bonis, &c.

Hîc notandum, eam solùm sententiam propriè publicam dici, quam Judex publicam fieri intendit: Unde si sententia pro particulari aliquorum cognitione lata sit, qualis ea esse solet quæ adversùs Religiosum fertur in communitate, peccat qui crimen extra Monasterium vel Collegium propalat, quia reipsâ Religioni nocet, & hominem infamat coram iis ante quos jus habet nè infametur. Et id verum est, tametsi crimen illud paulò post divulgandum esset in alio loco; quia non magis licet diffamare eum qui paulò pòst injustè diffamandus est, quàm occidere eum qui statim ab alio est occidendus. Eâdem de causâ justitiam lædit, qui filiorumfamilias aut domesticorum peccata extra familiam divulgat.

Dico 2°. Si crimen solâ facti vel famæ publicitate alicubi notorium sit, & reveletur eo in loco quo fama illud perlatura non erat, mortaliter peccatur contra caritatem & justitiam. Ratio est, quia qui revelat crimen alterius in casu proposito, jus ejusdem violat sinè causâ; habet enim alter jus ad famam suam pro loco in quo non est infamatus; nam infamia facti non tollit jus ad famam, nisi quantùm exigit notorietas facti: Atqui notorietas in uno loco non exigit ut idem factum ubique divulgetur sinè causâ, ut hîc nullam subesse supponimus. Et certè, an non iniquum est ut qui amissâ in uno loco famâ, in alium se transfert ut ibi piè vivat, de crimine

uod imprudens admisit, turpiter infametur, & famis, vel exul vivere cogatur?

Sed quid, si crimen in aliquo loco satis publicum, loci hujus incolis detegatur, quibus ignotum at? R. Communis sententia tenet hic non esse ccatum saltèm grave, etiam contra caritatem: quia reus amisit jus ad famam per ipsam criminis publicitatem; quâ etiam de causâ, publicæ delictorum labes sæpè litteris consignantur, licèt le memoria eorum infamis efficiatur apud poste- & pluribus in locis quò alioqui eorum crimina n pervasissent; 2°. quia interest Reipublicæ ut lli, præsertim in genere contagioso, cognoscan-; 3°. quia moraliter impossibile est ut quod con multis factum est, ad ceterorum notitiam non veniat. Si tamen criminis alicujus publicitas è cramentali confessione penderet, non posset ul-tiùs sinè injustitiâ diffundi.

Dico 3°. Mortaliter contra caritatem & justitiam ccat, 1°. qui infamatum de uno crimine, infa-at de alio occulto quod isti annexum non est; 2°. ui crimen olim famâ solâ publicum, sed oblivione, l conversatione sanctâ deletum, nescientibus nar-t, aliisve revocat in memoriam.

Prob. 1. pars; quia qui famâ excidit quoad ium crimen publicum, eandem conservat quoad ia quæ occulta sunt. Hinc graviter peccat qui ienti mulierem in adulterium cum Titio lapsam se, narrat eandem similis cum Caïo criminis quod cultum erat, ream se constituisse: relapsus enim ultùm infamiam auget. Sed si crimen aliud cum lio connexum sit, non peccatur, ut si de homine ublicè ebrioso dicas eum cum uxore rixari, pue-s non alere, &c.

Prob. 2. pars; quia vel tempore, vel piis mori-us res ad eum reducitur statum in quo erat ante-uam publica foret: porrò antequam publica foret, eccasset qui eam revelasset sinè causâ.

SECTIO TERTIA.

Quinam obnoxii sint Restitutioni famæ, & quomodo.

DUbium non est quin detractor, ad alienæ famæ reparationem potissimùm teneatur. Quærimus an etiam teneantur, 1°. detractoris hæredes; 2°. qui eum detrahentem audierunt; 3°. Superiores qui coram se de suis aut alienis detrahi sinunt. Sit

CONCLUSIO I.ª Hæres tenetur ad restitutionem damnorum, quæ ab eo cujus est hæres illata fuat proximo per detractionem.

Prob. quia tale onus reale est; Ergo cum aliis oneribus sicut & commodis ad hæredem transire debet. Aliud est de restitutione famæ; hæc enim, utpotè culpa personalis, ad hæredem non transit.

CONCLUSIO II. Qui audit detrahentem hortando vel incitando ad detractionem, significando sermonem ejus sibi placere; itèm interrogando ut stimulos addat, peccat contra caritatem, & contra justitiam, unde idem contrahit restituendi onus, quod ipse detractor.

Prob. quia tunc alium inducit ad peccandum, & ad minùs iniquæ ejus actioni moraliter cooperatur; Ergo non minùs peccat quàm detrahens, imò *quandoque magis; unde Bernardus dicit : Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum sit damnabilius non facile dixerim*, S. Thomas hîc q. 73. a. 4.

Quòd si auditor, qui aliàs non tenetur ex officio ad obsistendum detractori, interiùs de detractione gaudeat, exteriùs tamen non significet eam sibi placere, quod rarum est, non tenetur ad restituendum, quia non est damni causa : peccat tamen mortaliter contra caritatem, utpotè qui non avertat magnum proximi damnum, quod sinè suo gravi incommodo repellere potest. Eodem modo peccat, qui quam novit calumniæ falsitatem non aperit quantùm potest; imò si contingat ut silentium tuum equivaleat tacitæ confessioni defectûs qui imponitur

proximo; quod fieri potest, si v. g. de Titio tibi notissimo, coram te dicitur, eum esse spurium, aut ignobilem, peccas contra justitiam, quia tacitè approbas id quod non negas.

Sed peccatne qui nec lætatur detractione, nec eam ex curiositate audit; sed mutus manet ex aliquali metu displicendi detractori? R. eum posse peccare graviter contra caritatem, 1°. quia se habet sicut qui furi aliena bona subripienti, non obsistit cùm potest; 2°. quia ille non amat proximum sicut seipsum, qui cùm possit damnum ejus absque notabili sui incommodo avertere, illud avertere non satagit. Addit Lugo hominem quandoque teneri ad impediendam detractionem cum aliquo suo gravi incommodo, si id necesse sit ad avertendum gravissimum & irreparabile detrimentum illius de quo detrahitur.

Ea tamen detractoribus resistendi obligatio, non obligat pro semper, sed tunc tantùm cùm prudenter judicatur resistentiam utilem futuram esse; unde cavendum est ne detractor potiùs inflammetur quàm coërceatur. Quòd si resistere apertè nequeas, vel discedendum est, vel sermo aliò est convertendus, vel tristioris vultûs specie ostendendum te iniquitatis participem fieri nolle: nam *dissipat facies tristis linguam detrahentem.* Prov. 25

Ceterùm docet Decoq, *prædictam obligationem impediendi sub peccato gravi detrahentem, raram esse inter æquales, rarissimam in inferiore respectu personæ superioris*: 1°. quia audiens præsumere potest publicum esse id quod dicitur; 2°. quia rei quæ dicitur falsitas sæpè ab audiente ostendi poterit; adeoque malum reparari; 3°. quia periculum est nè si detrahens statim sistatur, culpæ gravioris suspicio audientium animis ingeratur; 4°. quia detrahens sæpè justam habet id quod revelat, revelandi causam; & etiamsi non habeat, gravissimè offensum se credit, si quis sibi obsistat unde detractionis peccato, à quo etiam *monitus non abstinet*, aliud iræ & odii

contra monitorem adjungit. Et hæc, inquit, à scrupulosis ponderari debent.

Verùm, etsi harumce rationum ponderi nihil detractum velim, persuasum tamen mihi est, detractionis vitium ità temporibus nostris esse commune, ut sicut *pauci sunt qui huic vitio detractionis renuntient*, pauci sint qui benigniorem detractoribus aurem commodando, animam suam non coinquinent. *Si cui* tamen *non placeat peccatum, sed ex timore, vel negligentiâ, vel etiam verecundiâ quâdam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multò minùs quàm detrahens, & plerumque venialiter*, ait S. Thomas ubi suprà.

Hieron. Epist. ad Celant.

Conclusio III. Superiores, quales sunt Patres, Domini, Prælati Regulares, &c. si communitatem aut aliquod ejus membrum, vel ab extraneis, vel à subditis suis infamari videant, & non obstent, peccant contra justitiam & in detractoris locum restituere tenentur.

Prob. quia Prælatus tenetur ex officio, ac proinde ex justitiâ conservare ea saltèm Communitatis aut privatorum bona quæ majoris sunt momenti: Atqui in hoc ordine est fama; Ergo eam tueri debent etiam contra extraneos, & admittunt omnes saltèm quantùm ad infamias quæ gravis sunt momenti.

Quæres an licitum sit legere libellum famosum qui crimina vera, sed occulta, sinè ratione pandit.

R. Id jure naturali vetitum esse. Quis enim velit ut tales libri contra se editi, ab omnibus perlegantur? Porrò qui tales libellos conscribunt, primas tenent inter detractores, quia gravior est infamia quæ ad plures permanat.

Ex quo sequitur, eos etiam graviter peccare contra caritatem & justitiam, qui lecta vel audita sinè causâ referunt coram iis quos sive ex levitate, sive ex malitiâ probabile est iis fidem esse adhibituros. Ratio est, quia licèt fortè nolint ea credi quæ referunt, iniquè tamen se gerunt, ut qui prævidere debeant homines sic esse affectos, ut de proximo

alè potius quàm benè opinentur. Idem dicendum
: iis qui hàc utuntur formulâ, dictum est mihi,
m tamen credo, Petrum heri se inebriasse : hæ
im indiscretæ narrationes, nescio quid terræ suf-
:ionis semper ingerunt, ob summam hominis ad
alè judicandum proclivitatem.

CONCLUSIO IV. Fama restitui debet quàm pri-
ùm, & efficaciter, & coram iis omnibus coram
ibus ablata est.

Prob. 1. pars. Bonum quod injustè detinetur &
od ex hâc injustâ detentione quotidiè in deteriori
tu reponitur, necessariò restitui debet quàm pri-
ìm id fieri potest : Atqui fama injustè semel abla-
, injustè detineri pergit, &c.

Prob. 2. pars; quia damnum quod inefficaciter
paratur, reipsâ permanet, vel saltèm secundùm
totum non desinit; Ergo.

Porrò cùm fama tollatur, vel per impositionem
iminis falsi, vel per revelationem occulti & veri,
ter & aliter in utroque casu gerere se debet detrac-
r. In primo expressè & apertè retractare debet
quod dixit ; imò & adhibere juramentum, aut
m coram Notario & testibus protestari, ut fecit
quando fœdus S. Francisci Salesii calumniator.
atio est, quia cùm necesse sit ut amborum, infa-
ati nimirùm & detractoris alteruter infamis re-
aneat, præstat, ut in pari jure melior sit inno-
ntis quàm sontis conditio. Hinc Confessarius in-
matori absolutionem denegare debet, donec cri-
en suum reparaverit, nisi moraliter constet repa-
tionem hanc quàm primùm esse faciendam.

In secundo casu, cùm nempe diffamatio facta est
r revelationem veri criminis, longè major est diffi-
ltas. Volunt aliqui, ut infamatus publicè lauda-
r : sed vel laudatur in eâ materiâ in quâ fuit infa-
atus, ut si quem adulterum esse dixisti, castum esse
cas, & tunc mentiris : vel in diversâ, ut si tem-
rantem & devotum dicas quem latronem esse
xisti, & tunc manet prior infamia, nec restituitur

fama ad æqualitatem. Alii suadent ut detractor dicat : *Malè fui locutus, contempsi meliorem me ; injustè proximum infamavi ; mihi fides haberi non debet.* Et hic modus, etsi fortè apud plebeïos valere potest, an quæso valebit apud prudentiores qui norunt, si crimen falsum sit, dicendum esse, *Mentitus fui?* Ut ut sit, diversus pro diversitate personarum quibus & coram quibus facienda est restitutio, restituendi modus adhiberi debet ; qui si efficax esse nequit, satius est ut condonatio ab infamato humiliter postuletur. Ex his sequitur, quàm sapienter dicat Henriquez : *Quamvis universum genus humanum hoc pessimo vitio linguæ sit plenissimum, paucissimos tamen esse qui, ut debent illud æstiment, pauciores qui de illo debitè conterantur, vix ullos qui famam restituant.*

Prob. 3. pars. Fama à detractore aufertur, vel coram iis quibus ipse proximi crimen immediatè revelat, vel coram iis quibus primi & immediatè auditores, id quod à detractore audierunt retulêre : Atqui coram iis omnibus restitui debet. Primò fatentur omnes, eam coram immediatis auditoribus esse reddendam, quia detractor coram iis damni causa fuit : Atqui hæc ratio ostendit eam quoque restitui debere coram mediatis auditoribus, saltem si detractor prævidere debuit, dictum suum alteriùs divulgandum esse ; tunc enim vera est & culpabilis causa cur infamatus apud istos quoque bonum quo fruebatur nomen amiserit ; Ergo.

At, inquies, impossibile est ut detractor cognoscat apud quos evolaverit infamatio ; Ergo.

R. hinc sequi, quòd detractor retractationem suam, quantùm christianè fieri potest, publicam efficere debeat, ut qui crimen didicerunt, criminis reparationem non ignorent. Si tamen auditores immediati per se reparent malum quod fecerunt, liber est detractor ab ulteriori reparatione.

CONCLUSIO V. Qui ablatam famam non nisi summâ pecuniariâ compensare potest, eam sic compensare tenetur, etiam ante sententiam Judicis.

Prob. quia ex dictis bona superioris ordinis, ut ita & membra, per inferioris ordinis bona compensari debent, cùm compensari aliter non possunt.

SECTIO QUARTA.

Quæ causæ à restituendâ famâ excusent.

Dico 1°. Excusat impotentia physica; quia ad impossibile nemo tenetur.

Dico 2°. Excusat impotentia moralis: inde qui famam alterius, sinè suo longè majori incommodo, præsertim periculo vitæ, reparare non potest, id non tenetur, nisi tamen læsus iisdem exponatur incommodis, de quo suprà.

Dico 3°. Excusat inutilitas. Unde à restitutione immunis est, 1°. qui revelavit crimen occultum, quod postea factum est notorium notorietate juris aut facti; 2°. qui licèt alterius famam extinguere conatus fuerit, hoc tamen præstare non potuit, vel saltèm non nisi inefficaciter & ad tempus præstitit: quia damnum vel illatum non est, vel non subsistit. Injuria tamen quâ parte esset personalis, satisfactione reparanda esset; quia stat honorem lædi, etiam dum fama lædi non potest. Imò si, quod frequentiùs evenit, detractio tua in hominum mentes naturaliter malevolas dubii aliquid injecerit, tuum est malum hoc pro virili reparare, ut teneris ad resarciendum quidquid proximus passus est damni, antequam vel Judicis sententiâ, vel aliter famam suam recuperaret.

Dico 4°. Si detractio vetus sit, & infamia in oblivionem abiisse prudenter judicetur, satius est silentium servare, quàm calumniam de se semper periculosam suscitare, inquirendo sollicitè an adhuc vivat in eorum mentibus qui eam audierunt. Quia tamen calumnia sæpè est ignis superpositus cineri doloso quem levior flatus excitat; si probabiliter conjici possit ejus memoriam non tam extinctam

esse quàm sopitam, efficiendum est omni viâ ut retractetur.

2. 2. q. 72. art. 3. Dico 5°. Excusat etiam condonatio infamati; quia, ait S. Thomas, *nostri arbitrii est detrimentum famæ nostræ pati, nisi* tamen *hoc vergat in periculum aliorum* : & ideò condonare non potest vir publicus, [illegible] Episcopus vel Parochus, qui si detractoris calum[illegible] finem & modum imponere negligant, jam ministerium suum dignè & utiliter obire non possunt. Addo cum S. Thomâ fieri etiam aliquando non debere detractionis condonationem, *propter bonum ejus qui contumeliam infert; nè de cetero talia attentet, juxta illud* Prov. 26. *Responde stulto juxta stultitiam suam, nè sibi sapiens videatur.*

Porrò fatentur omnes, eum graviter peccare qui semetipsum infamat iis in circumstantiis in quibus illatam sibi ab alio injuriam repellere tenetur.

Quæres an compensatio locum habeat in materiâ restitutionis famæ, ità ut qui de alio detraxit, immunis sit à restituendo, cùm alter vicissim de ipso detraxit.

Certum est 1°. eum mortaliter etiam contra justitiam peccare, qui ut famam suam tueatur, falsum accusatori suo crimen impingit. Unde damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio : *probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui ut suam justitiam & honorem defendat.*

Certum est 2°. eum peccare etiam graviter, qui ut præcisè illatam sibi infamiam compenset, infamatoris sui occultum crimen detegit : tùm quia hæc agendi ratio nihil aliud est quàm vindicta prohibita Christianis; tùm quia, ut non licet domum illius qui tuam incendit, incendere, sic nec famam infamatoris tui auferre licitum est; tùm denique quia hæc recriminatio famam non restituit; an enim si accusator tuus adulter est, tu ideò pro fure non habeberis?

Quia tamen quisque jus habet propriam tuendi famam contra injustum invasorem, licet ea detegere

unde testimonium ejus labefactari queat. Unde non peccas si probes eum mendacem esse, aut perjurum. Si tamen vel juramento, vel ope testium, vel probando *alibi*, ut aiunt, purgare te possis, peccas contra justitiam revelando crimen accusatoris tui, quia ejus honorem sinè necessitate lædis.

Certum est 3°. duos qui mutuò se denigraverint, posse mutuò sibi remittere omnem restituendi obligationem, nisi eorum infamia in aliorum detrimentum vergat. Imò mutua hæc condonatio facilè supponitur, cùm hæc infamia fuit æqualis.

Difficultas præcipua est, an cùm duo in eodem gradu sese infamaverunt, teneatur unus alterius famam restituere, si is æquè reus tam malè affectus sit, ut idem ex parte suâ facere nolit.

R. probabilius esse valere hîc compensationem, 1°. quia *paria crimina compensatione mutuâ delentur*, ex c. ult. *de adult.* 2°. quia fama quoddam est bonum humanum & temporale : Atqui in rebus temporalibus si alter nolit tibi reddere quod debet, nec tu quod ei debes præstare teneris ; 3°. ideò negat Lugo compensationem habere locum in materiâ famæ, quia qui non restituit famam alterius, non ideò recuperat famam propriam : Atqui hæc ratio non valet. Etsi enim in hoc casu non recuperet quis famam suam formaliter, at recuperat dispositivè, quatenùs magis ejus restitutionem sperare potest : quia detractor alter ut justitiam obtineat, justitiam facere cogetur, quam è contra si semel obtinuerit, reddere non satageti Si tamen detractores diversæ conditionis sint, vel alter ut minorem à se infamiam averteret, alterum graviori modo læserit, compensatio locum non habebit ; undè tunc qui plus læsit, tenetur ad restitutionem excessûs à se positi, quia alioqui non reduceretur æqualitas.



ARTICULUS QUARTUS.

De Furto, ejusque restitutione.

FUrtum definitur, Ablatio occulta rei alienæ invito rationabiliter domino : 1°. quidem est *ablatio*, seu usurpatio, & sic distinguitur ab injustâ damnificatione, qualis est domûs alienæ per incendium destructio ; 2°. *occulta*, quatenùs fur eam facit, aut facere intendit domino nesciente, & sinè vi ; 3°. *rei alienæ* : qui enim rem suam aufert, furtum non facit, etsi aliunde aliquando peccat. Videndum tamen an res quam aufert non sit aliquo modo aliena, ut esset si tu dominium directum haberes, sed alter dominium utile ; 4°. *domino rationabiliter invito*, hoc est sinè consensu domini saltèm prudenter præsumpto : si enim dominus vel consentire meritò judicetur, vel irrationabiliter consensum deneget, non est locus furto. In dubio præsumi debet dominum esse invitum, quia nemo censeri debet velle ut sibi res sua auferatur.

Rapina est alienæ rei usurpatio violenta, seu facta præsente domino, & invito : hinc rapina specie differt à furto in genere moris, quia furto specialem addit injuriam contra personam cujus læditur honos, dum ei quasi è manibus res sua violenter aufertur : unde fieri potest ut qui non peccat mortaliter in ratione furti, peccet mortaliter in ratione rapinæ, ut si rem levioris momenti per vim à personâ illustri auferat.

Furtum dividitur 1°. ratione modi, in manifestum, cùm fur deprehenditur cum re furtivâ ; & occultum, cùm non deprehenditur ; 2°. ratione temporis, in diurnum, & nocturnum ; 3°. ratione rei acceptæ in simplex, de quo hactenùs ; & qualificatum, quod vestitum est specialibus circumstantiis, quæ ipsum secundùm leges majori pœnâ dignum efficiunt ; & dividitur in sacrilegium, plagiatum, abigeatum, & peculatum.

Sacrilegium est furtum vel rei sacri in loco etiam ofano ; vel rei non sacræ in loco sacro. Plagiatus t, cùm vel mancipia à dominis, vel homines liri subripiuntur, aut vendendi, aut in servos retindi, si enim fruendi causâ, dicitur raptus. Abiatus est furtum pecorum ; & hoc crimen in Galliâ orte plectitur non rarò, ob specialem quam habet pugnantiam cum fide publicâ, sub cujus præsidio imalia quædam passim in agris errare permittunr. Peculatus est furtum rei ad fiscum vel ærarium blicum pertinentis, quod crimen publicani, & ctigalium redemptores, innumeris committunt odis : dum alii vel non omne quod receperunt, is in libris consignant ; alii plus exigunt quàm à incipe permissum sit ; alii scedulas periisse suspintes, pluries idem repetunt, alii differunt solunem pecuniæ jam receptæ, eamque interim nt ad usuram : unde hi omnes sedulò à Conllariis interrogandi sunt.

Rapina totuplex distingui potest, quotuplex vis rsonæ infertur ; sive vis inferatur armis, sive inntato mortis metu. Ad rapinam etiam pertinent . injustæ tributorum exactiones, quæ *concussio* dintur ; 2°. exactio obsequiorum quorumdam, vul- *corvées*, quæ licèt sibi indebita, viri potentes ponunt rusticis ; 3°. rapinæ pariter rei sunt, tùm qui stipendio sibi publicè assignato non contenti, us aliquid exigunt ; tùm ii qui alios cogunt ut sem inæquales contractus ineant ; tùm ii demùm qui erarios debito privant stipendio, &c. His positis dendum 1°. an, & quale peccatum sit furtum ; . quæ ejus sint causæ ; 3°. unde excusetur.

SECTIO PRIMA.

An & quando Furtum sit peccatum mortale.

CONCLUSIO. Furtum est ex naturâ suâ peccatum mortale.

Prob. 1°. quia furtum à regno coelorum excludit,

ut patet ex his, I. Cor. 6. *Nolite errare : neque fures....... neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Zachar. 5. *Omnis fur...... judicabitur.*

Prob. 2°. Illud peccatum ex naturâ suâ mortale est, quòd positâ sufficienti materiâ, mortale est : Atqui tale est furtum; cùm ubi sufficiens est materia, graviter pugnet contra caritatem & justitiam. Hinc fures gravibus pœnis & ipsâ morte meritò plectuntur.

Dixi furtum esse *ex naturâ suâ* mortale; quia fieri potest, ut sit solùm veniale, sive ex defectu cognitionis, sive ex levitate materiæ.

Quæres, quæ quantitas requiratur ut furtum aut quævis damnificatio in bonis fortunæ, sit peccatum mortale.

Nota 1°. furtum rei levis posse esse mortale per accidens, & quidem 1°. ratione damni quod inde emergit, lucrive quod cessat : ut si à sartore auferas acum, cujus defectu per dies multos operas suas perdere cogatur; 2°. ratione doloris quem concipit alter ex ablatione rei suæ, licèt modicæ, quam affectu magno prosequitur, & tunc peccatum eò erit gravius, quò magis affectum hunc cognoveris; 3°. ratione scandali, ut si leve quid eripias alteri quem nosti propter hoc blasphematurum esse; 4°. ratione intentionis, ut si parvum quid furando, habueris intentionem plura furandi si potuisses : de quo interrogandi sunt pœnitentes in confessione. In his tamen casibus peccatum non tam grave esset in genere furti, quàm in genere odii, aut injustæ damnificationis, aut appetitûs inordinati; unde si furto gravi annexa foret excommunicatio, vel reservatio, hæc per talia furta non incurreretur.

Nota 2°. à Theologis satis communiter quatuor hominum genera distingui. Primum est illustrium qui splendidè vivunt; secundum, eorum qui ex reditibus suis vivunt, sed non ità splendidè; tertium est artificum, qui suo se sustentant artificio; quartum, pauperum qui mendicando sibi consulunt. Hæc divisio quàm sit inadæquatâ, nemo est qui non sentiat.

Ut enim de solis artificibus loquamur, quotum inter eos est discrimen? Quot gradibus descendendum erit, ut à divite mercatore ad miserum sutorem devenias? Prædictam ergo regulam non tradimus ut aliquid in quo pes certò figi possit, bene verò ut aliquid quo utcumque dirigi possint Confessarii.

Dico igitur, nummum francicum, assibus 60. constantem, satis esse ad constituendum furtum mortale, respectu omnium, etiam Regum; unde etiam mortaliter peccabunt, qui alium quemlibet in valore trium librarum damnificabunt.

Prob. Summa quæ secundùm se notabilis est, & non levem parit utilitatem, etiam cùm de Regibus agitur, ad peccatum mortale sufficit: Atqui talis est prædicta summa, quæ omnibus regiæ dignitatis oneribus ut oportet pensatis, ad ea sustinenda non parùm juvat; ex eâ enim Rex potest alere die unâ octo aut decem milites, qui eum cum vitæ suæ periculo ab hoste defendent; Ergo.

Et certè multi doctores furtum assium 50. ad mortale satis esse putant. Unde sequitur 1°. opinionem nostram pro rigidâ haberi non debere; 2°. eum qui regi nummum subriperet, excepto uno vel altero asse, mortalis furti reum judicari debere, quia quantitas furti mathematicè definiri nequit, sed tantùm moraliter: in moralibus autem parum pro nihilo reputatur.

Dico 2°. Sufficiunt asses 40. ad mortale, respectu eorum qui ex reditibus suis vivunt non ità splendidè: respectu artificum, si ars sit majoris lucri, asses 20.; si lucri minoris, asses 10. respectu pauperum, asses 5 aut 6 & sæpè minùs.

Prob. quia eæ omnes summæ respectivè notabiles censeri debent: 1°. quia sunt stipendium laboris gravis quo quis portavit pondus diei & æstûs; 2°. quia sufficere possunt ad victum diurnum; 3°. quia utilitatem magnam pariunt, & ex privatione earum oritur incommodum non leve.

Ceterùm cùm merces operariorum pro dierum

varietate varietur, ita ut major sit æstivo tempore, quàm hyemali, sponte crediderim mercedem quæ medio hyemem inter & æstatem tempore datur operariis, ad furtum mortale sufficere & requiri, licèt minor summa ob circumstantias sufficere queat; ut si is cui subrepta est, prolem numerosam habeat, &c.

Quæres 2°. an mortaliter peccet qui minima furta successivè adversùs eundem committit.

R. 1°. peccare mortaliter, si ab initio intendat per furta minuta magnam summam furari; quia intentio graviter proximo nocendi, grave est peccatum.

R. 2°. etiam mortaliter peccare, qui absque intentione magnam summam ab initio furandi, ad eam pervenit quantitatem quæ ad peccatum mortale sufficit. Ratio est, quia qui videt se multis vicibus summam notabilem subripuisse, incipit esse detentor iniquus alieni boni in magnâ quantitate; Ergo peccat mortaliter, saltèm ratione iniquæ detentionis. Imò videtur peccare mortaliter ratione iniquæ acceptionis; quia licèt partis ultimæ acceptio in se levis sit, juncta tamen moraliter cum præcedentibus, complet ablationem rei gravis: sicut ultimæ partis retentio, licèt de se levis, prout tamen moraliter conjuncta est cum retentione aliarum partium, complet retentionem gravem, estque gravis & mortalis retentio.

Atqui hæc ratio bene ponderata ostendit quodlibet furtum leve cum præcedentibus moraliter conjunctum, & peractum postquam semel completa est materia gravis, esse peccatum mortale; quia cum semel materia gravis & ad mortale sufficiens esse cœpit, toties ponit homo gravis injustitiæ complementum, quoties de novo furatur. Idque verum est, quamvis fur non posset actu restituere quantitatem præcedentibus furtis sublatam. Quis enim putet eum qui furatus est alienorum fructuum quantitatem proximè sufficientem ad mortale, quam restituere nequit, non peccare mortaliter eripiendo quantùm requiritur ad complendam quantitatem mortalem?

Hinc colliges quo in statu sint famuli & ancillæ ui per plura furta levia, quantitatem quæ ad mor-ıle sufficiat, complent & complere pergunt. Ii nim ex positis modo principiis quæ communia sunt, eccant & peccare mortaliter pergunt. Idem di-endum de liberis, qui parentibus aliquid singulis ebdomadibus subripiunt: quanquam major requi-tur quantitas ut liberi mortaliter peccent, quàm t famuli; imò major ut hi peccent in poculentis & sculentis quæ proprios in usus adhibent, quàm in s quæ aliis donant, quia parentes aut domini in no magis quàm in alio casu sunt inviti. Meritò igi-ır damnata est hæc thesis ab Innocentio XI. *Non netur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere quod blatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna umma totalis.*

Hic duo observanda; 1°. requiri ad peccatum mor-ıle, ut furta minuta moraliter continuentur: hinc ırta illius qui ex alienâ vite singulis annis aliquot ra-emos excerperet, non censerentur post plures an-os in unum mortale coaluisse. Quotum verò tem-us requiratur ut furtum moraliter discontinuari cen-:atur, certò definiri nequit: unde in dubio tutius est ræsumere eum moraliter peccasse, qui per plura ıinuta furta ad quantitatem notabilem pervenit; 2°. :quiri, saltèm secundùm multos, quantitatem paulò ıajorem ad peccatum mortale in furtis parvis quæ ıccessivè post grave intervallum uni fiunt, quàm si ant simul; quia damnum divisum ex communi ho-ninum sensu non ità nocet, nec tam ægrè fertur.

Quæres 3°. an etiam peccet mortaliter qui pluri-ıus leves corradit summas, quæ junctæ in summam ravem exurgunt. R. affirmat. alioqui enim qui in-ıstis mensuris vendunt, possent absque peccato ıortali ditari, contra id Scripturæ: *Non habebis in ıcculo diversa pondera majus & minus... abomina-ır enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc.* *Deut. 25.*

Confirm. ex censurâ hujus propositionis ab Inno-:nt XI. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis*,

restituere quod ablatum est per pauca furta ; quantumcumque sit magna summa totalis. Et certè voluntas coacervandi, vel retinendi grandem alienæ pecuniæ summam, sinè mortali peccato esse non potest : porrò hanc haberet voluntatem qui leves pluribus summas corradere intenderet. Fatentur tamen communiter Doctores, summam paulò majorem requiri ad peccatum mortale ; cùm quis diversis personis damnum creat, quàm cùm uni.

Ex his omnibus colliges, bona sic parta, sub mortali restitui debere quàmprimùm, quia alioqui injustè continuaretur damnum notabile. Modus autem restituendi is esse debet, ut quibus in minori pondere vendidisti, iisdem quantùm fieri potest in majori vendas, vel cum iis descendas in pretio. Deinde, ut quod verò furatus es, si singulis restituere nequeas, vel quia ignorantur, vel quia difficilior est executio quàm res tantilla postulet, vel periculum est infamiæ ; hoc sive per Parochum qui suorum indigentiam novit, sive aliter, in pauperes loci quem læsisti, diffundi cures, vel in alia opera eidem loco utilia insumas.

SECTIO SECUNDA.

De causâ efficienti Furti.

Difficultas hìc agitari solita in eo est, an peccent filii qui parentum, uxores quæ maritorum, famuli qui dominorum, Religiosi qui Conventûs bona sibi assumunt. Sit

Conclusio I. Filii qui parentum bona subripiunt, aut iniquè dilapidant, peccant mortaliter & ad restituendum tenentur.

Prob. 1°. ex Prov. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ* : Atqui particeps homicidæ mortaliter peccat, & quidem contra justitiam.

Prob. 2°. Peccat & verè furatur qui rem alienam, invito domino, rapit : Atqui filii rem paternam rapiendo, verè rapiunt id quod alienum est. Filii enim

itsi jus habent, ut alantur à parentibus, non tamen habent jus in bona paterna aut eorum administrationem quandiu vivunt parentes.

Hinc sequitur, filios teneri ablata parentibus restituere, si possint; ut si habeant castrensia vel quasi castrensia. Si non possint, tenentur post patris mortem ea in partitionem deducere cum aliis fratribus, nisi constet istos tantumdem paternis ex bonis expendisse; aut nisi jam pater debitum illud condonaverit, ut facile concedit rogatus. Videndum tamen n pater remittere potuerit sinè gravi aliorum liberorum damno.

Hinc etiam colliges, quàm graviter contra justitiam peccent tot adolescentes, qui in ludum, & turpes excessus impendunt pecuniam sibi à parentibus ad honestos tantùm & præfinitos usus donatam, utà ut libros emant, theses defendant, &c. quique quotidiè parentibus harum rerum ignaris factitias necessitates obtrudunt. Certè juvenes non plus in pecuniam sibi à patribus missam habet juris, quàm patres dare intendant: Atqui parentes nullatenùs intendunt pecuniam largiri filiis ut tempus otiosè terant, à fortiori ut in omni libidinum cœno se turpiter volutent; Ergo.

CONCLUSIO II. Uxores etiam graviter peccant peccato furti, si sine mariti consensu notabile quid accipiant de bonis communibus, aut quorum administratio spectat ad maritum.

Prob. quia accipiunt illud cujus maritus dominium habet, vel saltèm administrationem & usumfructum; licèt enim uxor dotis totius & mediæ partis bonorum communium proprietatem habeat; horum tamen regimen ad maritum pertinet.

Aliud est 1°. si uxor quid capiat ut faciat eleemosynam, & donationes quæ apud similis conditionis feminas in usu sunt; nisi tamen vir sufficientes largiatur, nisi etiam ipsa excedat; 2°. si quid sumat, ut familiæ aut mariti damnum avertat, vel temporale, ut fecit Abigaïl; vel spirituale, procurando ejus

conversionem per eleemosynas & sacrificia ; 3°. si in honestâ recreatione & in decentem suî ornatum hoc expendat, quod facere non censetur si summam notabilem ludo exponat ; 4°. si maritus prodigus sit & decoctor, poterit mulier clanculò ea subripere quæ sibi suisve necessaria erunt, alioqui enim maritus esset irrationabiliter invitus ; 5°. si vir absens sit aut amens, &c. quia tunc administratio ad uxorem devolvitur, nisi aliunde à Magistratu provisum sit ; 6°. si pater ejus, mater, aut proles ex anteriori matrimonio suscepta indigeant quoad vitam, quoad statum, poterit eis uxor de bonis communibus providere, petitâ tamen priùs, ut æquum est, à marito licentiâ ; quam si ille renuerit, potest & debet iis de dote suâ succurrere ; est enim hæc obligatio naturalis quam impedire maritus non potest. Atque hoc alii extendunt ad casum in quo uxoris frater aut soror indigerent : tùm quia hæc misericors agendi ratio pacem in familiis fovet, tùm quia maritus fratribus subvenire debet.

Hîc tamen duo notanda sunt : 1°. Confessarios non debere de facili habenas laxare mulieribus, utpotè quæ ad inordinatas donationes de se satis propendeant ; 2°. uxorem ea quæ parentibus dedisset, debere suam in partem referre cùm ad partitionem cum hæredibus viri deveniendum erit ; 3°. damnatam fuisse à Clero Gallicano an. 1700. hanc propositionem : *Potest uxor viro subripere pecuniam etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus, pari loco cum alimentis ac victu habeatur.*

Quod de uxore communitatis bona subripiente dictum est, idem dicendum de marito qui etiam ad restituendum tenetur ; 1°. si bona paraphernalia uxoris rapiat, id est, ea bona quæ uxor nec attulit in dotem, nec per contractum matrimonialem voluit esse communia : quod quidem in Galliâ consuetudinariâ locum non habet ; 2°. si dissipet dotem uxore invitâ aut ad consentiendum coactâ, quia dotis proprietas penes uxorem permanet.

Sed quid si maritus magnam bonorum communium quantitatem donet, aut consumat uxore viribus totis reclamante? Divisi sunt hic etiam Doctores Galli; iis adhærendum puto, qui maritum hunc ad restituendum obligant: quia licèt administratio bonorum *communitatis* pertineat ad maritum, qui proinde de iis contrahere, eaque lucro & amissioni exponere potest, mediæ tamen eorum partis proprietas ad uxorem pertinet; Ergo contra justitiam uxori debitam peccat maritus, qui bona hæc uxore rationabiliter invitâ dissipat. Hinc quoque opinor Confessarium non posse absolutionem marito huic impertiri, nisi totum, si labore & curâ majori potest, damnum resarciat: quia ad minùs caritatem & quamdam legalis justitiæ speciem violavit, quam non aliâ viâ reparare posse videtur.

CONCLUSIO III. Peccant peccato furti famuli & ancillæ qui herorum bona diripiunt ipsi, vel ab aliis diripi sinunt. Sequitur ex dictis: si enim peccent ipsimet filii-familias qui paterna bona tollunt, quantò plus domestici, circa quos domini magis inviti sunt?

Excusantur tamen passim ii qui subripiunt aliquid ad edendum, quod si à domino peterent, concederetur; quia satis norunt domini res suas, eas præsertim quæ ad gulam pertinent, non ita administrari ut nihil adhærere soleat manibus contrectantium. Graviter tamen peccarent domestici qui hæc caperent ad compotationes, ad vendendum, aliisve donandum: itèm qui iis uterentur dapibus aut vinis, quæ herus sibi reservata esse voluit, aut quæ communiter domesticis non dimittuntur; ac ii demum qui furando se se exponerent pœnæ mortis quâ domestica furta facilè in Galliis puniuntur.

CONCLUSIO IV. Peccant mortaliter Religiosi, qui sinè Superiorum licentiâ aliquid de Communitate expendunt, sive in suum, sive in aliorum usum. Idem est de iis qui aliquid absque Superiorum licentiâ recipiunt & sibi retinent.

Prob. tùm quia disponunt instar dominorum de re cujus domini non sunt; tùm etiam quia peccant contra votum paupertatis. Sed de his alibi.

SECTIO TERTIA.

De causis à Furto excusantibus.

Vid sup. p. 149.

QUæres 1°. an necessitas excuset à furto.

R. affirm. si necessitas sit extrema: secùs si sit gravis.

Prob. 1. pars: ex communi omnium sententiâ, quæ docet in extremâ necessitate omnia, saltèm quoàd usum, fieri communia; 2°. quia rei dominus rationabiliter esse non potest invitus quòd homo qui aliter vitam suam conservare nequit, eam conservet utendo alienis bonis, cùm non habet propria quibus utatur. Unde si dominus durior, te, cùm extremâ necessitate victus bonum ejus invadere cogeris, repellere vellet, posses eundem tanquam juris tui invasorem injustum repellere.

Sed transactâ extremâ necessitate, debetne res ei reddi cui subrepta fuit?

R. reddi debere, 1°. si adhuc extet in suâ specie: sic qui ut vitæ suæ fugâ consuleret, equum abstulit, eum restituere debet statim ac evasit ex periculo. 2°. Reddi etiam debet quod in extremâ necessitate emptum est, vel mutuo acceptum: tùm quia contractus justè initi servari debent, tùm quia qui emere vel mutuum accipere potest, non est simpliciter in necessitate rapiendi aliena, sed emendi, &c. 3°. & illud quoque reddere debes quod subripuisti, si non sis absolutè pauper, ut si alibi bona habeas. Tota igitur difficultas est an qui *re & spe pauper est*, ità debeat esse affectus ut reddat quod rapuit si ad pinguiorem fortunam devenerit.

Lugo.

R. Probabilius videtur nullam esse in hoc casu restituendi obligationem, etiamsi res subrepta magni sit momenti; (nam de re levi nulla est difficultas; *quia res* levis censetur data per eleemosynam, qua

i tali necessitate juris est divini & naturalis.) Ratio
1, 1°. quia res sic subrepta facta est communis,
on solùm quoad usum, sed etiam quoad proprie-
tem : Deus enim hominibus bona simpliciter &
bsolutè dedit ad conservationem vitæ ; huic porrò
dei dispositioni jus gentium quo introducta est re-
um divisio, præjudicare non potest ; 2°. quia si
ives pauperi extremam necessitatem patienti spontè
aret id quod ei saltèm ex caritate debet, pauper
lle à restituendo immunis remaneret : Atqui non
st existimandum quòd propter improbitatem divi-
is, pauper pejoris sit conditionis, aut ipse dives
melioris ; alioqui is commodum ex peccato suo re-
portaret ; Ergo.

Neque hinc sequitur eum qui ob extremam in
quâ versabatur necessitatem, restitutionem distulit,
transactâ necessitate suâ liberum esse à restituendo :
quia qui restitutionem rei alicujus distulit, non possi-
debat eam titulo necessitatis, sed vel ex contractu,
vel ex delicto, &c. porrò contractus legitimè initi
observari debent ; delicta verò non remittuntur nisi
restituatur ablatum, cùm restitui potest.

Prob. 2. pars ; nimirum quòd necessitas gravis
non excuset à furto : 1°. quia alioqui janua innu-
meris furtis aperta foret. Quot enim hodie homi-
nes gravi necessitate laborant ? Quot facilè sibi per-
suaderent se in eâ esse constitutos ? 2°. quia dam-
nata fuit hæc propositio ab Innocentio XI. *Permis-
sum est furari, non solùm in extremâ, sed etiam in
gravi necessitate.*

Sunt tamen necessitates aliquæ tam graves, ut
moraliter æquivaleant necessitati extremæ, v. g.
periculum gravioris morbi, vel servitutis : quo in
casu licitum est in necessitate gravi, quod & in
extremâ.

Quæres 2°. an excusetur à furto qui rem suam
sibi propriâ auctoritate vindicat. R. affirmat. modò
res illa verè liquidò, & totaliter sua sit. Ratio est,
quia tunc non rapit alienum. Quòd si res non sit

certò tua, tunc eam auferre non potes, quia in dubio melior est conditio possidentis.

Ut tamen rem suam suâ quis autoritate sibi vindicet, oportet 1°. ut eam in judicio commodè obtinere non possit; 2°. ut absit omne scandali periculum: sæpè enim contingit ut qui tollit quod suum est, vel proximo quasi injusto detentori infamiam procreet, vel sibi quasi injusto raptori labem aspergat; 3°. ut non exponat proximum periculo rem illam iterum restituendi; non exponet autem, si quo convenientori modo fieri poterit, ostendat sibi nihil deberi; 4°. si res actu debita sit; qui enim, ut aiunt, terminum habet, actu ut debitor vexari non potest; 5°. si res illa tibi debita sit ex justitiâ; neque enim sufficeret debitum antidotale. His positis conditionibus, non peccas vel contra debitorem, cùm non auferas quod ejus est, vel contra Judicem, cùm supponatur eum vel nolle, vel non posse debitum tibi tuum adjudicare.

Quæres 3°. an excuset compensatio, puta, si cùm rem tuam recuperare non potes, aliam æquivalentem subripis debitori tuo.

R. 1°. Non licet famulis, operariis, officialibus aliquid subripere, eo prætextu quòd stipendium justo minus accipiant: 1°. quia damnata est hæc propositio, *Famuli & famulæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod acceperunt;* 2°. quia debitum quod hujusmodi personæ prætendunt, certum non est: cur enim ipsis potiùs quàm dominis fides habebitur? Cur alium herum qui plus daret non quæsivêre; aut si invenire non potuerint, cur pro injusto habent pretium quod communiter pro talibus operis datur, & quod dominus augere noluisset, si eorum plus lucrandi voluntatem compertam habuisset?

37. Innoc. XI.

Aliud esset, ait Decoq, si servus ad quædam opera conductus, aliis insuper gravatus esset à domino, qui nihil pro eis adderet stipendii: quamquam malim

ut

rvus ab eo domino discedat, aut ei repræsen-
aboris excessum cui merces amplior debeatur.
. 2°. cum S. Antonino & aliis communiter, 2. p. tit.
pensationem occultam positis necessariis condi- 15. 1.
ibus esse licitam. Ratio est, quia per eam nec
atur justitia commutativa, cùm ii qui compen-
ne utuntur, id solùm accipiant quòd strictè
n est, ut supponimus; nec violatur justitia le-
i, cùm etiam supponamus ad Judicis autorita-
commodè recurri non posse. Etverò si pauper
lus cui ab hero debentur aurei centum quos
nere nequit, præ manibus habeat aureos ejus
em, quis eum ad restituendum obligare ausit?
orrò conditiones hìc requisitæ eædem sunt quas
m requirebamus, ut aliquis rem suam tutò sibi
priâ manu vindicare possit; est enim uterque
s quædam compensationis species.
L. 3°. compensationes in jure odiosas haberi,
que simul concurrere conditiones omnes sine
bus eæ licitæ esse non possunt: adeòque hæc in
xi esse à Confessario observanda; 1°. ut nun-
m suadeat compensationem; 2°. ut consulenti
licita sit respondeat Theologos communiter
rmare eam esse licitam cum requisitis circums-
tiis; sed hanc boni sui recuperandi rationem esse
iculi plenam, ideòque se eam consulere non pos-
; 3°. si pœnitens eâ usus sit proprio motu, per-
idet prudens Director an adfuerint conditiones
uisitæ; quæ si adfuerint, non obligabit pœni-
tem ad restituendum, sed eum monebit periculi
i se se imprudens exposuit; 4°. raro fidem habe-
famulis, inquieto hominum generi, qui vix
quam contenti sunt.
Ex his patet sartores qui vestium fragmenta ven-
nt, eo prætextu quod pretium justo minus reci-
nt, ad restituendum teneri, si ea, ut solet frag-
nta vendant quæ domini abjicere non consueve-
nt. Quapropter Confessarii in his furtis, etiamsi
ndum ad mortale pertingant, dissimulare non

debent, sed præcipere iisce furibus, ut rem ejusve pretium reddant, aut laborent vel meliùs; sed eodem pretio ac antè; vel si æqualiter, pretio minori.

Quæres an qui promisit alteri se soluturum esse id quod ipsi debet, nec usurum esse compensatione, teneatur stare contractui. R. affirmat. quia promissio de re licitâ & possibili, jure naturæ obligat: Atqui promissio non utendi compensatione est de re licitâ & possibili; utque hæc subsistat, satis est ut promittens cedere velit jure compensationis quo uti potuisset.

Major est difficultas an qui juravit se soluturum esse debitum, absque eo quòd expressè intenderet cedere compensationi, possit uti compensatione.

R. cum plerisque etiam in hoc casu licitum esse uti compensatione, sive juramentum sit factum ante debitum compensandum, sive post illud. Ratio est, 1° quòd quisquis jurat se soluturum, semper hanc subintelligit conditionem, *Si debitum habuero solvendi*: sed posito compensationis casu, jam deest solvendi obligatio? ergo. 2°. quia juramentum sequitur naturam actûs cui adhæret, quoad conditiones tacitas quas habet contractus ex jure, aut consuetudine, aut etiam mente contrahentium: Atqui compensatio regulariter locum habet in omni debito; Ergo etiam in jurato, præsertim cùm non juratur nisi suppositâ conditione quæ non adest, ut ostendit prima ratio quam attulimus.





TRACTATUS
DE
CONTRACTIBUS.

COmmunem methodum secuti, Tractatum hunc cujus notitiam Confessariis summoperè necessariam esse nemo ambigit, duas in Partes dividemus. Prima erit de Contractibus in genere: secunda, de variis Contractuum speciebus.

PARS PRIMA.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

UT omnia quæ ad contractûs genericè sumpti naturam pertinent, amplectamur, videndum 1°. quid & quotuplex sit contractus; 2°. quinam contrahere possint; 3°. quis ad contrahendum requiratur consensus; & an consensui huic noceant dolus, error, aut metus; 4°. quam, & quando obligationem pariat contractus.

CAPUT PRIMUM.

De natura & divisione Contractûs.

COntractus sumitur latè & strictè.

Contractus strictè sumptus definitur, Actus externus inter duos aut plures, ex mutuo eorum consensu *ultrò citròque obligationem* pariens.

Dicitur 1°. *Actus externus* : actus enim merè interior, etsi respectu Dei cordium inspectoris, in voto, v. g. sufficere potest, respectu tamen hominis non sufficit; quia ut talis, nec cognosci, nec acceptari potest. Dicitur 2°. *inter duos aut plures ;* quia idem homo secum contrahere nequit. Dicitur 3°. *obligationem pariens* ; obligatio enim est onus quod mutuò sibi imponunt contrahentes, ut v. g. unus laboret, alter laboris stipendium solvat. Dicitur 4°. *ex utràque parte* ; & sic contractus strictè sumptus distinguitur à contractu latè sumpto, qui etiam *pactum* dicitur, & definitur in Jure, Duorum pluriumve in idem placitum consensus', saltèm in alterutro obligationem pariens. Quapropter contractus omnis est pactum, sed non omne pactum est contractus strictè sumptus; venditio v. g. est contractus strictè sumptus, quia in venditore & emptore mutuam obligationem inducit. Promissio acceptata est pactum, quia inducit obligationem in promittente standi promissis. Promissio non acceptata nequidem est pactum, quia nullam, nè in promittente quidem, obligationem parit : sæpè tamen in Jure pactum & contractus promiscuè sumuntur.

Contractus dividitur 1°. in *formalem* seu expressum, & *virtualem* seu implicitum. Contractus formalis est ille quo duo vel plures expresè de aliquâ re conveniunt, cum obligatione vel mutuâ, si contractus strictè dictus sit, vel saltèm unius erga alterum, nisi contractus latè sumatur. Contractus virtualis, ille est qui fit tacitâ partium conventione: sic Judex, Medicus, Tutor, cùm hæc officia suscipiunt, eo ipso virtualiter spondent operam omnem quam adhibere solent ejusdem conditionis homines erga eos in quorum gratiam hæc munera exercent; & ii vicissim saltèm implicitè spondere censentur, se id retributuros, quod vi legis aut consuetudinis sancitum est. Hæ conventiones tacitè vocantur *quasi contractus*, & vim habent ex justitiâ obligandi, sicut ipsi contractus.

Dividitur 2°. in *nominatum* & *innominatum*. Nominatus ille est qui proprium nomen habet : tales sunt emptio, venditio, locatio, societas, mutuum, pignus, & alii similes qui propria in Jure nomina habent. Contractus innominatus, est ille qui proprium non habet nomen, sed genericum duntaxat contractûs aut pacti. Quatuor sunt ejus species : nempe, Do ut des, do ut facias; facio ut des, facio ut facias. *Do* v. g. boves *ut des*, vinum; *do* boves *ut facias* opus in vineâ meâ; *facio* & laboro *ut des* mihi boves; *facio* opus in agro tuo, *ut* in vineâ meâ idem *facias*, vel ut me artem aliquam edoceas. In contractibus innominatis sub affirmatione comprehenditur negatio : unde si Petro des bovem ut aliquid non faciat, dicitur *do ut facias*. Quòd si partim pecuniam, partim aliam rem dederis, erit contractus mixtus, qui nomen à parte excedente desumet : ut si des mille aureos & equum pro fundo, erit emptio; si mille equos & paucos aliquot nummos, erit contractus innominatus.

Refert autem hujusmodi contractus dignoscere, eo quòd in contractibus innominatis facultas resiliendi, non ei quidem qui accepit, sed ei qui dedit, jure permissa sit : v. g. dedi pecuniam Titio ut Romam iret, hanc juridicè repetere possum si nondum ierit, aut præparaverit itineris impensas, nisi contractus ille *vestitus sit*, de quo statim. Aliter se res habet in contractibus nominatis, qui cùm ex unâ parte impleti sunt, ex aliâ impleri debent, ità ut non nisi mutuo consensu dissolvi possint.

3°. Dividitur in contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris*. Prior ille est in quo Judex ex æquo & bono multa moderari potest, quæ licèt à contrahentibus expressa non fuerint, censentur tamen secundùm bonam fidem contractui inesse : tales sunt emptio, locatio, &c. Posterior, ille est qui strictam verborum interpretationem postulat, ità ut obligatio secundùm verba & non ampliùs extendatur : tales sunt *emphyteusis*, *census*, *mutuum*, stipulatio. Hæc

distinctio parùm refert ad forum conscientiæ, quia omnes penè actus non tam attento verborum rigore quàm ex æquo & bono dijudicari debent.

4°. Dividitur *in nudum* & *vestitum*. Contractus nudus est conventio mera carens omni firmamento, quo actionem civilem parere possit; sive interim obliget in conscientiâ, sive non: contractus vestitus est ille qui præter conventionem aliquod habet juris adminiculum, vi cujus oritur actio civilis. Contractus vestitur multis modis: ut 1°. si sit contractus nominatus in suo genere perfectus; 2°. contractus etiam innominatus vestitur, si per scripturam fiat coram Notario; si juramento firmetur, &c.

5°. Dividitur in *gratuitum* & *onerosum*. Gratuitus qui etiam lucrativus dicitur, ille est in quo aliquid accipitur & nihil rependitur, ut donatio. Onerosus ille est in quo utrinque aliquid datur & redditur, ut emptio.

6°. Dividitur in *purum*, cui nullum adjicitur accidens; & *non purum*, cui additur aliquod accidens; & hic quintuplex est. Primus dicitur *ad diem*: ut si dicas, Promitto tibi centum nummos, sed non solvendos ante diem Paschæ. Secundus dicitur *ad conditionem*: ut, Promitto tibi centum nummos, si artium lauream obtinueris. Tertius, *ad modum*; ut, Promitto tibi hanc summam, ut studia perficias. Quartus, *ad causam*; ut, Do tibi pecuniam, quia pauper es. Quintus, *ad demonstrationem*, cùm apponitur aliquod signum ad rem vel personam designandam; ut, Do tibi centum nummos in tali arcâ reconditos.

CAPUT SECUNDUM.

De causâ efficiente Contractûs.

AD contractûs valorem quatuor requiri solent: 1°. ut qui contrahunt, habiles sint ad contrahendum; 2°. ut materia de quâ contrahunt, sub

contractum cadat; 3°. ut contrahentes consentiant; 4°. ut formam, si qua sit Jure præscripta, sequantur. Nunc dicimus de personis ad contrahendum habilibus, & præcipuè de iis quæ inhabiles sunt; ex iis enim aliæ satis colligentur.

CONCLUSIO I. Illi omnes contrahere possunt qui liberam boni sui administrationem habent.

Prob. Illi contrahere possunt, qui boni sui dominium in alios transferre possunt: sed qui boni administrationem liberam seu Jure non impeditam habent, possunt boni sui dominium in alios transferre; cùm in hac potestate præsertim consistat libera boni administratio; Ergo.

Hinc amentes, furiosi, prodigi, quibus boni administratio sublata est, contrahere non possunt. Hinc etiam tutor, etsi bonorum administrationem habet, cum pupillo contrahere nequit, quia id legibus vetitum est; nisi plures sint tutores, quorum alter alteri pupillum obligari consentiat. Verùm hæc expositione indigent.

Quæres itaque 1°. possintne contrahere pupilli aut minores. Ut solvatur quæstio,

Not. 1°. hìc distingui filios-familias, infantes, pupillos, puberes, minores, majores, & emancipatos.

Per filios-familias, intelliguntur non solùm filii legitimi aut filiæ, sed etiam alii qui ex iis per viam masculinam nati sunt, quandiù sub patris aut avi paterni potestate existunt; quod verum est, etiamsi annum 25. excesserint. Quapropter si filius tuus legitimus filios aut filias procreaverit legitimè, ii omnes in potestate tuâ tandiu erunt, donec filius tuus emancipatus fuerit; tunc enim filii ejus aut filiæ sub illius potestate erunt. In Provinciis, ut aiunt, *consuetudinariis*, filii-familias per matrimonium emancipantur, non in iis quæ jure scripto reguntur.

Infantes ii dicuntur quibus annus septimus nondum completus *est: unde infantia* à puncto nativi-

tatis incipit, & ad septimum usque annum completum perdurat, & tunc incipit ætas impubertatis, aut pupillaris.

Impuberes, si mares sint, ii sunt qui necdum habent completos annos 14. aut 12. si sint feminæ.

Pupilli ii dicuntur, qui cùm adhuc sint impuberes, desinunt esse in potestate patris, vel per ejus mortem, vel quia ab eo emancipantur.

Pupilli vel sunt proximi infantiæ, vel proximi pubertati: infantiæ quidem, si propiores sint termino in quo desinit infantia, quàm ei in quo incipit pubertas; pubertati verò, si è contra propinquiores sint termino in quo incipit pubertas, quàm in quo desinit infantia.

Post adeptam pubertatem filii-familias utriusque sexûs dicuntur *minores*, donec pervenerint ad annum vigesimum quintum, quo completo *majores* vocantur. Filius annis viginti quinque minor extra patriam potestatem constituitur per emancipationem seu à patre, seu à Principe concessam.

Emancipatio minorum facit ut iidem de mobilibus suis disponere possint, immobilia locare, eorumque reditus percipere; at immobilia vendere, oppignerare, de iisve transigere non possunt, nisi de consensu curatoris qui eis hanc in finem datur, & vocatur *Curator ad causas.*

Not. 2°. Jure Romano pupillis & impuberibus dantur *tutores*, à tuendo vel tutando dicti; minoribus verò *curatores*, quia minus juris habent quàm tutores. Verùm in Galliâ consuetudinariâ nullum est discrimen pupillum inter & minorem, cùm ille omnis appelletur minor, qui sive impubes, sive pubes necdum attigit annos viginti quinque.

Tutores & curatores statim ut electi sunt, pupilli bonorum inventarium conficere tenentur; deinde operam dare ut bona immobilia fructum pariant, atque ut pecunia in annuos reditus convertatur. Usura * usuræ pupillo debita est: unde cavere debet tutor nè usuræ à pecuniâ prodeuntes otiosæ

* *L'intérêt de l'intérêt.*

remaneant. Res *quæ tempore depereunt* vendi debent ; ex iis tamen quædam sunt conservandæ, ut in villis pecudes, vindemiæ instrumenta, & alia quibus pupillus pubertati proximus propè diem indigebit. Ceterùm tutores & curatores ad tutelam coguntur ; unde ad restituendum tenetur tutor qui rejectâ tutelâ bona pupilli non curavit, antequam ab eâ curâ per Judicem liber existeret. His præmissis,

R. 1°. Pupillos infantes aut infantiæ proximos, contrahere non posse in suum incommodum ; posse verò in utilitatem suam, *etiam sinè autoritate tutoris*. Ità legibus sancitum est in favorem illius ætatis, ut juventus ei in damnis succurreret, & in prosperè gestis nihil afferret detrimenti. Fatendum tamen majorem qui cum pupillo aut minore contraxit, posse contractûs executionem recusare, nisi pupilli aut minores tutoris consensum, aut Judicis decretum, si opus sit, obtinuerint.

R. 2°. Filius-familias impubes non obligatur civiliter ex contractu etiam de bonis castrensibus, tametsi ex patris consensu contraxerit. Obligaretur tamen pupillus, si cum tutoris consensu contraxisset, quia recursum habet in tutorem si malè consensum præstet : at verò filius-familias patrem sibi obligatum non habet.

L. 9. D. inut. stip. pupill.

R. 3°. Res immobiles aut etiam mobiles quæ servando servari possunt, ut aurum, gemmæ, ceteraque mobilia pretiosa, à pupillis aut minoribus, etiam de tutoris autoritate & consensu, alienari validè non possunt, nisi accedat Judicis licentia, & probatio causæ exigentis ut hæc alienatio fiat ; putà, ut æs alienum solvatur. Ita præcipitur Leg. 22. Cod. *de administr. tutor. vel curat.*

Sed mobilia quæ servando servari non possunt, id est, per triennium sana custodiri, qualia sunt vinum, vestes usu detritæ, &c. validè à pupillis alienantur, modò accedat autoritas tutoris. Minor qui curatorem non haberet, quod in Jure Romano sæpè contingit, *hæc per se alienare* posset, quamvis

si læsus fuerit, uti possit beneficio restitutionis in integrum. Sed minores qui mercaturam exercent, majores reputantur, neque sub minoritatis prætextu restitui possunt.

Edict. 1673.

Quæres 2°. an sint casus in quibus pupilli sine tutoris autoritate contrahentes, civiliter obligentur.

R. esse. Primus est si pupillus ex contractu locupletior factus sit: unde si mercator pupillo mercem tradiderit non accepto pretio, mercem suam repetere potest, si pupillus pretium solvere nolit; si verò merx vel amissa, vel absque dolo consumpta fuerit, non plùs in civili foro solvere compellitur pupillus, quàm ditior factus est.

Secundus casus est, si res dolo pupilli perierit; tunc enim datur actio in eum, etsi non factum ditiorem. In pupillo infantiæ proximo non præsumitur dolus.

Quæres 3°. an sicut pupillus & minor qui sine tutoris autoritate contrahunt, civiliter non obligantur, ità etiam non obligentur naturaliter seu in foro conscientiæ. Hæc quæstio nec movetur de pupillo infantiæ proximo, nam fere omnes concedunt eum non obligari naturaliter; nec de pupillis qui unicum tutorem habentes, cum eo contraherent; nec de iis demùm qui bona immobilia vel mobilia pretiosa sine Judicis autoritate alienarent: utrumque enim legibus prohibetur & irritatur, ut statim dixi. Lis igitur tota est de pupillo & minore, qui de mobilibus quæ ad triennium servari non possunt, contrahunt sine tutoris aut curatoris licentiâ. Sit

CONCLUSIO II. Pupilli & minores, etsi civiliter non obligantur, obligantur naturaliter: hæc tamen obligatio elidi potest.

Prob. 1. pars; 1°. quia obligatio naturalis oritur ex consensu: Atqui pupillus pubertati proximus, & minor, sufficientem consensum habent; quandoquidem se se Deo per vota obligare possunt: quorum utique gravior est quàm plerorum

que contractuum obligatio ; 2°. quia principali nullatenus obligato, non obligatur fidejussor, ut communiter docent Jurisperiti : Atqui tamen fidejussor pupilli qui sine tutoris autoritate contraxit, obligatur civiliter, ut constat ex Leg. 25. ff. *de fidejuss.* Ergo & pupillus naturaliter obligari debet.

Prob. 2. pars ; quia ex omnium confesso pupilli & minores jus habent sibi propter infirmam ætatem legibus concessum, ut naturalem quam contrahendo susceperunt obligationem elidant, petendo à Judice rescisionem ejus, & qui cum iis contrahunt, nosse debent se in hoc casu nunquam in tuto reponi, nisi minorum consensui tutoris consensum adjungi curent.

Obj. Si pupilli naturaliter obligarentur, transferrent in accipientem verum dominium summæ quam eidem solvunt : unusquisque enim legitimè accipere potest quod alter sibi naturaliter debet : Atqui pupilli dominium non transferunt in accipientem, ut constat ex §. 2. Inst. *Quibus alienare licet.*

R. dist. min. Pupilli non transferunt verum dominium, si sint infantiæ proximi, C. si non sint proximi infantiæ, subdist. Non transferunt quoad immobilia, vel etiam mobilia quæ servando servari possunt, C. quoad alia, subdist. Non transferunt dominium civile, quia eorum actio à legibus non approbatur, C. non transferunt naturale, quod nempe fundatur in debito naturali, N.

Inst. Ex Lege 59. ff. *de obligat. & actionib.* & aliis passim, pupillus mutuam pecuniam accipiendo, jure naturali non obligatur ; Ergo.

R. dist. Pupillus juxta leges non tenetur obligatione naturali efficaci, quæ liget & arctet simpliciter, quia eam elidere potest si velit, ut qui non absolutè teneatur stare contractui, C. ullo modo naturaliter tenetur, N. An autem & quando obligatio quam mutuo accipiendo contraxit pupillus elidi possit ope Senatusconsulti Macedoniani, expendam paulò post.

Ex Conclusione nostrâ sequitur, 1°. eum qui accepit aliquid à pupillo & minore, absque autoritate tutoris, posse illud retinere donec pupillus beneficio restitutionis utatur; 2°. pupillum & minorem non teneri solvere id quod ludendo perdidit, aut alio contractu promisit, (nisi, ait Laiman, juraverit se soluturum, de quo infrà:) posse verò civilis legis favore se tueri: si enim solvisset, posset uti beneficio restitutionis in integrum: Atqui ex Reg. 71. jur. in 6. *qui ad agendum admittitur, est multo magis ad excipiendum admittendus.* Quid enim hîc circulo opus est ut primò solvas, deinde id quod solveris repetas?

Ad quid ergo, inquies, inservit ea naturalis obligatio quam à pupillo contrahi dicimus?

R. obligationem hanc tradere creditori verum jus accipiendi & retinendi id quod sibi à pupillo solvitur, nullâ oppositâ legis exceptione.

Quæres 4°. an minor qui pecuniæ summam mutuo accepit, & expendit, eandem restituere teneatur; an verò rescisionis Litteras quibus in integrum restituatur, tutâ conscientiâ obtinere possit.

L. 1. *ff.* de Sen. Mac.

R. facilitatem pecuniæ filiis-familias & minoribus mutuo dandæ, repressam fuisse Senatusconsulto *Macedoniano.* Sed quia Leges Romanæ in Galliis vim & robur per se non habent, ideò quæstionis hujus solutio è Gallicis Autoribus repetenda est: itaque,

Dico 1°. filium-familias ad pecuniæ mutuo acceptæ restitutionem in conscientiâ non teneri, si mutuo dans prævidere potuerit eam à mutuatario turpiter aut inutiliter esse impendendam.

Prob. 1°. quia Senatusconsultum Macedonianum etsi minùs apud nos habet extensionis quàm apud Romanos, viget tamen in Galliâ ad sensum conclusionis nostræ; 2°. quia mutuo dans subjecit se imposito per legem oneri, ut nempè pecuniâ suâ privetur, si eam filius familias restituere nolit. Hoc autem onus justè impositum est, nè scilicet tuii

debitis graventur, & ut ea solvant, parentum vitæ insidientur; 3°. quia postulat publica utilitas ut irrita non sit lex sapientiæ plena, quæ mutua hæc prohibet, nè pupilli eorum spe bona sua dissipent: Atqui lex ea irrita foret, si filii-familias non possent in conscientiâ petere restitutionem in integrum: tunc enim eâdem fermè facilitate invenirent viros lucri avidos qui sibi mutuo darent; Ergo.

Extenditur hæc Conclusio, 1°. etiamsi pater filii-familias posteà è vivis excesserit: mutui enim datio in origine invalida, per patris mortem non validatur; 2°. etiamsi filii-familias qui mutuo acceperunt, majores sint, modò paternæ potestati adhuc subjaceant, putà quia emancipati non sunt; quod in Provinciis Jure scripto utentibus frequens est.

Dico 2°. Multi tamen sunt casus in quibus filii-familias & minores pecuniam mutuo acceptam restituere tenentur. Ut 1°. si inde locupletiores facti sint; 2°. si mutuans mutuatarium *patrem-familias esse crediderit, non vanâ necessitate deceptus, nec Juris ignorantiâ, sed quia publicè pater-familias plerisque videbatur;* Leg. 3. ibid. 3°. si mutuans mutuo dederit eâ mente ut minoris bonum procuraret: tunc restituendum erit, etsi præter mutuantis opinionem bene fundatam, id quod mutuo datum erat malos in usus expensum fuerit. Addit Comitolus pupillum, qui vel cum Indo de mercibus huc asportatis, vel cum rustico legum inscio de re aliquâ contraxit, teneri pactum justè pretium exsolvere, etiamsi eæ res jam perierint: quia hinc urget obligatio conscientiæ, inde verò non videtur invocari posse beneficium legis.

Quæres 5°. quinam adhuc sint ad contrahendum inhabiles.

R. multos esse; ut 1°. qui morte per contumaciam damnati sunt, & contumaciam, ut aiunt, non purgavêre; 2°. qui triremibus, aut exilio in perpetuum mulctati sunt; 3°. muti & surdi; sed

iis dantur curatores qui eorum nomine contrahunt. Id tamen jam in testamentis locum habere nequit post Constitutionem Regiam anni 1735. quæ art. 2. sic habet : *Déclarons nulles toutes dispositions qui ne seroient faites que par signes, encore qu'elles eussent été rédigées par écrit, sur le fondement desdits signes.*

Uxorum longè pauciora sunt quàm maritorum jura : 1°. enim Senatusconsultum *Velleïanum* vetat ne mulieres fidejubeant, seu sese pro aliis obligent, quod tamen in plerisque Regni Provinciis abolitum est Edicto anni 1606. 2°. uxor contrahere & disponere non potest de bonis familiæ, de dote ejusve fructibus, cùm maritus præsens est, & hæc bona administrare potest; quia etsi dotis totius proprietas penes uxorem est, ejus tamen administratio ad virum, ut ad familiæ caput pertinet.

Validè etiam contrahit, seque citra mariti autoritatem obligat mulier : 1°. cùm ea possidet bona *quæ Græci parapherna dicunt, quæque Galli peculium appellant.* Atque hoc locum habet in Parlamentis omnibus quæ Jure scripto utuntur ; 2°. cùm mulier quoad bonorum communionem à marito separata est : tunc tamen *eadem mulier nullam habet licentiam* bona hæc, etsi separata, *alienandi vivente marito, & matrimonio inter eos constituto*; quod in Galliis etiam viget : unde separatio hæc dat jus administrandi, non alienandi bona immobilia ; 3°. si maritus uxorem speciali alicui commercio vacare patiatur; ea enim de tali commercio validè paciscetur, etiam absente nec autore marito ; secus si mulier non aliud agat commercium quàm maritus, quia tunc non tam est mercatrix quàm institrix.

L. 9. *ff.* De jur. dot.

Leg. 19. *cod.* De jur. dot.

CAPUT TERTIUM.

De causâ formali Contractûs.

Ausa formalis seu forma contractûs consistit in consensu, & in verbis consensum exprimentis. Videndum ergo, 1°. quis & qualis ad contrahendum requiratur consensus; 2°. an consensus cum errore, dolo & metu conciliari possit.

ARTICULUS PRIMUS.

De consensu ad Contractum requisito.

Uæres 1°. an ad valorem contractûs requiratur consensus interior. R. affirm. 1°. quia ad contractum requiritur duarum vel plurium voluntatum conventio: Atqui ubi deest consensus omnis, nulla esse potest voluntatum conventio. Conventio enim voluntatis, ejusdem actum & assensum importat: porrò non consentit voluntas cùm negativè se habet, & multò minùs cùm positivè renititur; 2°. quia per contractum id quod nostrum est ad alios transfertur: Atqui sine vero nostro consensu id quod nostrum est, aliorum fieri nequit, sicut sine nostro consensu id quod alienum est, nostrum fieri non potest; Ergo.

Obj. Si ad validitatem contractûs requiratur consensus interior, factâ venditione verbis solùm externis, emptor plenum rei sibi traditæ dominium habebit: Atqui falsum consequens. Fatentur enim omnes emptorem non teneri in foro conscientiæ rem sic emptam reddere venditori se simulatè vendidisse dicenti; Ergo.

R. 1°. retorq. argumentum. Qui matrimonium contraxit cum personâ quæ simulatè consensit, non tenetur eidem se fictè consensisse dicenti, fidem

adhibere : Atqui tamen inde non colligitur quòd valeat contractus matrimonialis absque interiori consensu factus ; Ergo à pari in proposito.

R. 2°. neg. maj. & dico emptorem rei sic emptæ plenum habere dominium, non propter validitatem contractûs, quæ nulla est ; sed vel propter præsumptionem quæ ex verbis verum consensum exprimentibus resultat, & subsistit quandiù sufficientibus argumentis non eliditur ; vel propter dispositionem Reipublicæ, quæ ut fictè consentientem puniat, aufert ab eo dominium rei quâ per solum contractum privatus non esset.

Quæres 2°. an consensus debeat esse voluntarius. R. consensum voluntarium esse debere sufficienti aliquâ voluntate. Voluntas autem vel est *formalis*, ut cùm quis expressè aliquid vult ; vel *virtualis*, quæ in formali rei alterius volitione consistit, ut si equum emis, vis etiam eo uti posse ; vel *debita* vel *legitima*, cùm quis debet velle, etiamsi fortè non velit. Formalis sufficientissima est, & non semper requiritur : virtualis sufficit, & ferè semper requiritur : debita seu legitima aliquando sufficit, ut si quis in extremâ necessitate positus panem ab homine invito accipiat ; valet enim hæc acceptio, quia homo ille volens esse debet, & est irrationabiliter invitus.

Quæres 3°. an in contractu consensus signis exprimi debeat. R. affirmat : quia homo qui cum altero contrahit, humano modo sese eidem obligare debet ; hoc autem efficere non potest absque signis exterioribus.

Ea porrò multiplicis sunt generis : 1°. enim aliquando sufficiunt nutus, unde surdi & muti matrimonium contrahere possunt.

2°. Aliquando verba aut litteræ solæ sinè scripturâ authenticâ, ut *in emptoribus*, *venditionibus*, *locationibus*, *conductionibus*, *societatibus*, *mandatis*, Instit. Lib. 3. tit. 23. quod etiam in Galliâ servatur.

3°. Aliquando verba indeterminata sunt, ut in

contractibus modò citatis; nonnunquam verò adeò sunt determinata, ut qui unum alterius loco usurpat, causâ suâ cadere possit : quod præsertim locum habet in retractu gentilitio. Retrahens enim rei quam retrahere vult, pretium hisce verbis offerre debet : *Offre bourse*, *deniers*, *loyaux-coûts*, *& à parfaire*, quæ tam essentialia sunt, ut propter omissum ultimum Curia Parisiensis semel & iterum judicaverit retractui locum non esse.

4°. Quidam sunt contractus, qui *ut substantiam capiat obligatio*, rei traditionem requirunt; & hi sunt, mutuum, commodatum, depositum, & pignus.

Instit. ibid.

5°. Nonnulli contractus solâ scripturâ perficiuntur : sic Jus scripturam exigit ad contractum emphyteuticum de re Ecclesiasticâ, & ad eos etiam contractus qui insinuatione indigent.

ARTICULUS SECUNDUS.

An consensus ex errore vel dolo elicitus sufficiat ad Contractum.

CErtum est eum qui in contractibus alium decipit, mortaliter aut venialiter peccare, secundùm naturam damni quod alteri affert; sed quæritur an validè contrahat. Quæ difficultas ut solvatur,

Not. 1°. Error est existimatio falsi : dolus verò est omnis calliditas, fallacia : machinatio ad circumveniendum & decipiendum alterum adhibita.

Not. 2°. Error est vel circa substantiam rei, ut si farinam avenæ emas, ratus eam esse tritici; vel circa accidentia, ut si tritici farinam emas, sed bimam, non recentem, qualem eam esse credideras.

Error & dolus circa accidens seu qualitatem rei accidentalem, duplex. Alter dicitur *dans causam contractui*, alter dicitur *incidens in contractum*. Error dat causam contractui, cùm is qui contrahit, secluso errore *non contraheret*; ut cùm quis emit

equum tardum, quem velocem existimabat, tardum ceteroqui non empturus, si eum talem cognovisset. Error verò dicitur duntaxat in contractum incidens, cùm est causa non quòd emas simpliciter, sed quòd libentiùs & cariùs emas id quod sublatis errore & deceptione adhuc emeres, sed non tanti.

Ad errorem circa substantiam revocatur error; tum circa naturam contractûs, ut si credas tibi donari quod tibi venditur; tum circa motivum substantiale contractûs, ut si Titio promittas pecuniam, præcisè quia eum tibi consanguineum esse credis cùm non sit. Ad errorem circa accidentia pertinet error circa illud omne quod est intrinsecum contractui, sive eo cognito contractus adhuc fieret, sive non.

Not. 3°. Error prodire potest; 1°. ab altero è contrahentibus qui decipitur; 2°. ab alio contrahente qui decipit; 3°. à tertiâ personâ. His positis, sit

CONCLUSIO I. Error & dolus circa substantiam rei, irritum faciunt contractum.

Prob. Quia ubi est error & dolus circa substantiam, ibi necessariò deest substantialis consensus. Qui enim, v. g. vendit gemmam, quam vitrum esse putat, non consentit in alienationem gemmæ, sed vitri. Similiter qui emit vitrum ratus esse gemmam, non consentit in emptionem vitri, sed gemmæ; adeòque re compertâ tenebuntur vel rescindere contractum, vel eum ad æqualitatem reducere.

Nihil autem refert sitne error *antecedens*, quo scilicet sublato contractus non iniretur; vel *concomitans*, quo etiam sublato, contractus adhuc fieret: nam si volens emere vinum, emas oleum, quod etiam & fortè libentiùs emisses, adhuc contractus non valet, quia nullus fuit consensus circa oleum, sed circa vinum.

Obj. Qui Petrum absolvit quem Joannem esse putat, validè absolvit; Ergo à pari.

R. neg. conseq. quia persona quæ absolvitur non

pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti, & abſolvens intendit & intendere debet perſonam præſentem quæcumque ea ſit abſolvere; ſecùs in contractibus.

CONCLUSIO II. Dolus incidens in contractum etiam ab uno è contrahentibus, non irritat contractum, nec ſufficit ad eum reſcindendum.

Prob. Ibi verus eſt contractus, ubi verus eſt utriuſque partis conſenſus in id de quo contrahitur: Atqui ubi eſt error aut dolus ſolùm incidens..... dolus enim qui intervenit circa qualitatem rei, non tollit conſenſum hunc; tunc quia neceſſe non eſt ut qui contrahit omnes rei qualitates noſcat, alioqui vix ulli forent validi contractus; tum quia deceptus de quo nunc loquimur, non habet animum huic contractui expreſsè vel tacitè repugnantem; vult enim actu contrahere, & id adhuc vellet, licèt minori pretio, ſi rei qualitatem quam neſcit, compertam haberet.

Ergo contractus in quo emptor etiam ex dolo venditoris ultra dimidium pretii deceptus eſt, reſcindi nequit ad arbitrium emptoris, ſed ad æqualitatem reduci debet, niſi venditor eum reſcindi conſentiat. Porrò reſtituendus videtur exceſſus ſuprà pretium quod dediſſet emptor, re, ut erat, cognitâ.

Ergo ſi virgini quam Pariſienſem putabas matrimonium promiſeris, quod eidem cognitæ, ut eſt Lugdunenſis, promiſſurus fuiſſes, non vitiatur contractus. Vitiaretur verò, ſi quam liberam putabas duxeris, etſi cognitam pro ſervâ pariter duxiſſes; ibi enim intervenit Lex Eccleſiaſtica tale matrimonium reprobans.

Limitatur aſſertio, ſi intentio actu aut virtute conditionalis ſit, ità ut nolit quis contrahere niſi exiſtente tali qualitate; tunc enim error ex contrahentis mente ipſam afficit ſubſtantiam.

CONCLUSIO III. Contractus quibus error aut dolus cauſam dedit, validi ſunt tum poſitivo, tum naturali Jure; infirmi tamen ſunt, & ad arbitrium partis *deceptæ reſcindi poſſunt.*

Lib. 4. tit. 13. Prob. 1. pars, 1°. ex Instit. ubi sic: *Si metu coactus aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti quod non debueras promittere, palam est te Jure civili obligatum esse; & actio quâ intenditur dare te oportere, efficax est: sed iniquum est te condemnari, ideoque datur tibi exceptio, quòd metûs causâ, aut doli mali, &c.* Ergo valet Jure civili contractus ex dolo, sicut & ex metu antecedente factus; ità tamen ut contrahenti qui dolum passus est competat exceptio, quâ contrahentis alterius à quo deceptus est actionem elidere possit.

Prob. 2°. ex omnium confesso, satis voluntarium est, & ideo valet matrimonium, licèt & ei dolus causam dederit, & sine dolo conjux nullo modo traxisset: Ergo contractus de quo agitur, defectu sufficientis voluntarii irritus dici non potest. Ratio ulterior hæc est, quòd etiam cum dolo subsistant & cognitio rei, & consensus in eam accipiendam vel tradendam; differunt enim hæc duo, Contrahere noluissem, &, Nolui contrahere; posterius consensum tollit, non prius; alioqui infirmi forent omnes penè contractus, cùm ferè semper aliquæ occurrant circumstantiæ, quæ si prævisæ fuissent, deterruissent à contrahendo.

* * Prob. 3°. Si contractus cui error aut dolus causam dedit esset invalidus, vel quia in eo esset dolus simpliciter, vel quia dolus ille oriretur ab alio contrahente, cui fraus sua patrocinari non debet: atqui neutrum dici potest. Non 1. quando enim contrahens semetipsum decepit, aut à tertio deceptus est sine alterius contrahentis participatione, valet contractus, modò deceptio non sit circa substantiam rei; & tamen tunc occurrit dolus ille de quo nunc agitur. Non secundum: 1°. quia alioqui intervenire deberet aliqua lex, vi cujus contractus iste in se simpliciter bonus, in tali casu irritus fieret: Atqui nulla est hujusmodi lex, sed è contrà, ut ex primâ probatione nostrâ patet; 2°. quia non magis dolus, cùm oritur ab altero contrahente, subvertit contrac-

d metûs causâ aut doli mali, *&c.* Atqui con-
qui ad nutum alterius partis destrui possunt,
modum infirmi, quatenùs obligationem,
ibilem non pariunt; Ergo.
hæc tamen notand. 1°. contractum eum
odò rescindi posse, qui ex naturâ suâ dis-
est. Hinc matrimonium & Professio Re-
escindi non possunt, quia indissolubilia sunt:
les contractus id habent proprii, ut vo-
n eos sine omni restrictione consentiat,
tollat sibi facultatem posteà resiliendi; quod
debuit, nè incerta forent matrimonia, &
nes, quæ incertitudo pugnat cum certitu-
tûs.
2°. apud Gallos Judices (*) esse in usu,
ractuum executionem, quantùm fieri po-
geant, deceptoribus ad damni reparatio-
ndemnatis.
Ille contractus non valet, qui jure natu-
us est: Atqui talis est contractus cui error
dedit. Contractus enim injustus, Jure natu-

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. non enim quidquid injustum est, eo ipso invalidum censeri debet, ut patet in excommunicatione, quæ injusta simul & valida esse potest. Ratio est, quòd ut aliquid illicitum sit aut injustum, sufficiat ut in aliquâ parte minùs præcipuâ æquitati naturali repugnet; ut autem sit invalidum, necesse est ut defectus in ipsam substantiam cadat; porrò fieri potest ut substantia secundùm se bona sit, tametsi vitiosis quibusdam qualitatibus vestiatur; hinc tritum illud & ubique receptum axioma; *Multa prohibentur fieri quæ facta tenent.*

ARTICULUS TERTIUS.

An valeant Contractus ex metu facti.

NOt. 1°. Metus est futuri & instantis periculi causâ, mentis trepidatio, seu inquietudo ac perturbatio, eaque vel levis est, vel gravis, seu respectivè, seu absolutè, prout dixi agendo de actibus humanis.

Not. 2°. metum oriri posse vel *ab intrinseco*, ut ab infirmitate; vel *ab extrinseco*: extrinsecum verò illud vel *necessarium* est & *naturale*, ut naufragium, incendium; vel *liberum*, ut homo: homo autem vel *justè* metum incutit, ut Judex qui stupratori exilium minatur, nisi eam dotet quam corrupit; vel *injustè*, ut dum sicarius gladium intentat nisi bursam porrigas.

Not. 3°. Metus ab intrinseco vel incutitur ad obtinendum contractum; vel aliâ de causâ & in alios fines. His præmissis, sit

Conclusio I. Metus gravis ab agente intrinseco vel extrinseco naturali incussus, non irritat contractus, vota, promissiones; modò, quod hîc semper supponimus, rationis usum non pervertat.

Prob. quia votum in tempestate emissum, itèm promissio, vel donatio in morbo metu mortis pauperi vel Ecclesiæ facta, valent: Atqui tamen vota

hæc & donationes fiunt ex metu gravi ; Ergo.

Ratio ulterior est, quia talis metus voluntarium non tollit. Hinc Tridentinum sess. 14. cap. 4. docet attritionem ex metu pœnarum exortam, plenamque terroribus, non esse *dolorem coactum, sed liberum ac voluntarium*; Ergo.

CONCLUSIO II. Metus gravis ab agente extrinseco libero justè incussus, non irritat contractum.

Prob. quia cùm metus justè incutitur, contrahens, etsi secundùm quid invitus, reipsâ tamen manet verè liber, neque conqueri potest quòd sibi fiat injuria; alioqui jam metus justè incussus non esset. Hinc qui sponsalia contraxit, posset, ad matrimonium compelli per excommunicationis metum; sicut qui puellam corrupit, alicubi damnatur ut vel eam ducat vel pereat suspendio.

* Dices: Cap. 4. *de his quæ vi, &c.* dicitur ea *quæ vi metûsve causâ fiunt; carere robore.* Et Lucius III. cap. 17. *de sponsalibus*, loquens de muliere quæ sponsalia jurata adimplere recusabat, dicit, *quòd cùm libera debeant esse matrimonia, mulier hæc potiùs monenda est quàm cogenda*; Ergo.

℞. ad 1. in eo capite agi de metu injustè incusso, ut ex solâ lectione patet. Adde quòd ea nonnunquam in Jure dicantur carere robore, non quæ nulla sunt, sed quæ possunt rescindi vel ab eo qui metum passus est, vel à Judice.

Ad 2. non negat Lucius III. matrimonia ex metu facta valida esse; sed suadet ut, quantum fieri potest, plena contrahentibus libertas relinquatur; quia ex coactione, tametsi justâ, *difficiles exitus solent frequenter haberi*, ut ibidem loquitur Lucius, qui certè non exitûs difficultatem, sed matrimonii invaliditatem allegasset, si matrimonia ex quocumque gravi metu facta verè irrita esse credidisset.

† CONCLUSIO III. Metus injustè incussus, sed non ordinatus ad extorquendum consensum in contractum, non invalidat contractum hunc, saltèm si non fiat cum eo qui metum incussit.

Prob. idem esto de ceteris contractibus judicium; ac de promissione decem aureorum quos Titio per viam transeunti pollicitus es, ut te à sicaris liberaret: Atqui promissio hæc licèt ob metum injustè incussum facta, de se valida est, eamque implere teneris: metus enim tuus non fuit contractûs tui causa, sed solùm occasio; neque sicarii mortem tibi minati sunt ut Titio decem aureos promitteres, ut suppônimus; Ergo. Si tamen, quod in pari casu rarò contingit, Titius te sine ullo labore liberasset, non posset id quod promisisses recipere, nisi gratis omnino dares. *Vide* suprà p. 139.

Sed quid si promissio fiat ei qui metum incussit; sed non eo animo ut te ad contractum impelleret, putà si quis in aquam te projecerit, non ut pecuniam tibi tuam extorqueret, quam tamen ei mortis metu promittis? Sit eâ de re

CONCLUSIO. IV. Metus quilibet injustè incussus, invalidat contractum cum injusto vexatore initum, si tantùm habeat pro objecto liberationem ab injustâ ejus vexatione. Ità communiter Scotistæ.

Prob. quia in contractu qui pro objecto habet solam liberationem à vexatione injustâ, venditur res invendibilis. Nam ex hypothesi venditur liberatio ab injustâ vexatione: Atqui liberatio hæc vendi non potest ab injusto vexatore. Quod enim mihi strictè debitum est, mihi vendi non potest: Atqui liberatio & immunitas ab injustâ vexatione mihi strictè debita est; jus enim strictum habeo ut metu injusto non vexer, & qui me injustè vexat, tenetur ex justitiâ desistere; Ergo.

Hinc si furi mortem tibi inferre volenti, aut domum tuam comburere, bursam dederis ut desistat, nulla est datio, teneturque latro id omne quod hàc viâ recepit, ante omnem Judicis sententiam restituere.

Obj. In contractu de quo loquimur sufficiens occurrit voluntarium, & quidem aliquando majus quàm in contractibus ex timore justè incusso factis; Ergo talis contractus valere debet.

R. neg.

R. neg. conseq. Non enim dicimus contractum hunc defectu libertatis invalidum esse; sed negamus in eo reperiri materiam quæ ab alio vendi possit, adeòque eum defectu materiæ vendibilis invalidum esse contendimus.

Quæres an contractus in quibus aliquid utrinque datur & accipitur, sint validi, si fiant cum injusto vexatore, qui eos extorqueat gravi metu.

R. 1°. non paucos esse hujusmodi contractus, qui invalidi sint ex Legum dispositione. In hoc ordine sunt 1°. matrimonium, ex cap. 15. *De sponsalibus*; & meritò; quia cùm matrimonium sit ex naturâ suâ indissolubile, & vinculum mutui amoris, gravissima sequerentur incommoda ex matrimonio coacto & tamen valido; 2°. Idem juxta multos dicendum de sponsalibus, quæ cùm sint via ad matrimonium, perinde ac ipsum libera esse debent. Et verò si valerent sponsalia ex metu gravi inita, obligarent ad actum invalidum, nempe ad matrimonium subsequens, quod invalidum esset, utpotè ex metu gravi contractum; 3°. Promissio dotis aut ejus solutio; quia dos utpotè matrimonii accessoria, naturam ejus sequi debet; 4°. Professio religiosa: hæc enim utpotè matrimonium quoddam spirituale & indissolubile, non minùs voluntaria esse debet, quàm matrimonium carnale; 5°. Promissio aut traditio rerum Ecclesiæ, quod ideo sancitum fuit ut Ecclesiis res suæ conservarentur. Hâc de causâ alienatio rerum Ecclesiæ etiam sponte facta sine solemnitatibus, non valet: quantò minùs valida esse debet ea quæ per metum extorta est? 6°. Addunt bene multi autoritatem tutoris per metum extortam; electionem per metum factam; itèm & jurisdictionem etiam coactam, nullius esse validitatis.

Cap. 1. De his quæ vi.

Cap. 1 De jure jur.

L. 1. *1* De autor tutor.

R. 2°. extra casus mox allatos posse saltèm prædictos contractus rescindi ad arbitrium illius cui timor incussus est: 1°. quia æquum non est ut qui injuriam fecit, ullum ex ea commodum reportet;

2°. quia si leges positivæ tales contractus ipso jure invalidos esse non pronuntient, ut existimant multi, præcipiunt tamen ut ad arbitrium illius qui metum passus est rescindantur. Ità docet Justinianus suprà p. 212.

Porrò non refert 1°. sitne metus gravis absolutè, an respectivè tantùm, quia quod operatur metus gravis in viro constanti, id levis facit in feminâ; 2°. nec refert utrùm qui metum incussit, reipsâ malum inferre intenderet, necne; quia metus eodem modo consensum extorquet, cùm malum apprehenditur ut verè & proximè impendens : an autem malum sic apprehensum fuerit, aut apprehendi debuerit, Judicis est ex circumstantiis discernere.

Si verò metus levis sit, nec contractum irritat, nec Jure saltèm positivo irritandum facit; tum quia ex Reg. 184. ff. *Vani timoris justa excusatio non est* : tum quia aliàs daretur locus infinitis litibus, dum quisque se metu adactum fuisse prætenderet. Si tamen certum esset quòd sublato metu etiam levi consensus datus non fuisset; exigeret jus naturale ut contractus ad arbitrium illius qui metum passus esset, rescinderetur : quia qui metum etsi levem incutit, veram infert injuriam, quam tollere ac resarcire tenetur, tum eum qui ex metu egit libertati suæ restituendo, tum lucrum omne cessans ac damnum emergens compensando.

Quæres quid adhuc juris ei competat qui deceptus est ab alio, aut metum passus.

R. 1°. utrumque posse, deceptorem aut vexatorem obligare ad standum contractui, utpotè qui pro nutu deceptoris aut metum incutientis rescindi non possit.

R. 2°. Triplex ei qui per dolum aut metum contraxit, competit actio in foro exteriori. Prima dicitur *redhibitoria ;* hoc est, ad rehabendum suum pretium, & rem suam alteri restituendam. Hæc durat jure communi per sex menses à die celebrati contractûs. Secunda dicitur *quantò minoris*, & datur

ad repetendum à venditore excessum pretii, seu tantùm quantò minoris rem illam fuisses empturus, si defectum ejus cognovisses. Hæc actio per annum durat, & idcircò intentari ab eo potest qui actionis redhibitoriæ tempus imprudenter effluere permisisset; conceditur etiam eadem actio iis qui decepti sunt infra dimidium justi. Tertia actio est *in id quod interest decepti non decipi;* seu est jus non solùm reddendi rem, aut pretii excessum obtinendi, sed etiam habendi compensationem damnorum omnium quæ ex contractu subsecuta sunt : ut si vendideris ovem morbidam quæ alias infecit, teneris ad compensandum quidquid cessavit lucri, aut damni emersit.

CAPUT QUARTUM.

Quam, & quando Contractus obligationem pariat.

NOt. 1°. Obligatio definitur, Vinculum quo quis astringitur ad aliquid dandum, faciendum aut patiendum, vel non dandum aut non faciendum.

Not. 2°. Obligatio duplex. Alia *antidoralis*, quæ fundatur in convenientiâ : alia *naturalis*, quæ inducit debitum ex præcepto, seu caritatis, aut religionis, seu justitiæ; & hæc posterior effectus est contractûs.

Not. 3°. Obligatio ex justitiâ triplex est. Prima naturalis tantùm, quæ obligat in conscientiâ, quamvis in foro externo non det actionem; secunda, civilis tantùm, quæ dat actionem in foro externo ob aliquam præsumptionem, quamvis in conscientiâ non obliget; tertia, naturalis & civilis simul, quæ obligat in foro conscientiæ & dat actionem in foro exteriori.

Not. 4°. Obligatio ratione principii quadruplex assignatur in Instit. *Aut enim ex contractu, aut quasi*

L. 3. tit. 14.

ex contractu est; aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Obligatio ex contractu ea est, quam parit contractus quilibet. Obligatio ex quasi contractu ea est, quæ citra conventionem nascitur ex facto non turpi : sic cùm quis negotia absentis gessit bonâ fide sinè litteris ac mandatis, obligatus ei est rei dominus, ex jure in Galliâ recepto. Obligatio ex maleficio, ea est quæ oritur ex delicto doloso, veluti ex furto & rapinâ. Obligatio ex quasi maleficio, seu ex quasi delicto, ea est quam contrahit quis ex actione imprudenti : ut si ex alicujus *cœnaculo dejectum, effusumve aliquid est* quod alicui transeunti nocuit.

Certum est 1°. contractum omnem secundùm leges initum parere obligationem in utroque foro; atque id probat vel ipsa contractûs definitio.

Certum est 2°. contractum etiam nudum Jure positivo non irritum, parere obligationem in conscientiâ, licèt in exteriori foro actionem non tribuat, nisi juramento confirmetur. Ratio est quia ex consensu mutuo exteriori oritur jus quod sine injuriâ lædi non potest : talis porrò consensus in contractu etiam simplici reperitur.

Sed triplex hic occurrit difficultas. Prima, an contractus positivâ lege ità aliquando irritetur, ut nullam obligationem pariat. Secunda, an contractus in se invalidus, accedente juramento obliget. Tertia, an contractus conditionalis obligationem pariat.

ARTICULUS PRIMUS.

An obligent contractus quibus desunt solemnitates positivis legibus imperatæ.

NOt. Solemnitates contractuum sunt quædam conditiones quæ ex legum præscripto in contractibus adhiberi debent; v. g. ut contractus fiat coram Notario, ut certus intersit testium numerus.

Ex iis verò conditionibus quædam requiruntur ad *esse simpliciter*, quædam *ad melius esse*.

CONCLUSIO. Contractus quibus desunt conditiones primi generis, irriti sunt, etiam in foro conscientiæ : secùs si desint solùm conditiones secundi generis.

Prob. 1. pars ; 1°. Tam ad minus potest Princeps certas quasdam apponere contractibus conditiones, quibus sublatis illi non valeant, quàm id possint privati homines in privatis quos inter se ineunt contractibus : Atqui hujusmodi conditiones quotidie apponunt privati, quibus subsistentibus valeant contractus, non subsistentibus verò iidem irritentur ; Ergo.

Prob. 2°. quia de facto appositæ sunt variis contractibus certæ conditiones quarum defectu iidem non valent : sic irritæ sunt etiam in foro conscientiæ, quædam maritum inter & uxorem donationes legibus contrariæ ; Ergo qui ex pacto per legem irrito aliquid acquirit, illud retinere non potest.

Obj. Lex quæ contractus sine certis solemnitatibus factos irritat, fundatur in præsumptione fraudis ; Ergo quando certus ero nullam esse fraudem in aliquo contractu, per eum obligabor in conscientiâ.

R. neg. ant. Lex enim contractus irritans non semper fundatur in præsumptione fraudis, quam Legislator scit aliquando reipsâ non inveniri ; sed fundatur in periculo fraudis, quod semper reperitur. Hinc nuptiæ clandestinæ nullum in foro conscientiæ robur habere possunt.

Prob. 2°. pars ; quia multa prohibentur fieri quæ facta tenent ; Ergo si contractus prohibeatur tantùm propter accidentales loci, temporis, vel personæ circumstantias, non desinet valere ; sic valet matrimonium tempore Adventûs celebratum, sicut & valet si contrahatur à personâ quæ simplex castitatis votum emisit.

An porrò *circumstantiæ* propter quas contractus

lege positivâ prohibetur, accidentales tantùm sint; an essentiales dignosci poterit, 1°. ex verbis quibus utitur Legislator : unde invalidus erit contractus, si autor legis declaret eum esse prorsùs nullum, aut non posse ex eo debitum peti, sive in Judicio, sive extra ipsum, aut si quod ex tali contractu acquisitum est, restitui præcipiat; 2°. si posito quòd constaret Legislatori nullam in contractu esse fraudem, v. g. in matrimonio clandestino, vellet tamen ipsum pro infecto haberi.

Hinc colliges, plurimi omnium interesse ut Confessarii perspectas habeant leges Regni, locorumque consuetudines, cùm alioqui in perpetuo versentur periculo approbandi ut validum, id quod Principes & Magistratus ut invalidum rejiciunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Contractus de se minùs validi juramento confirmentur.

NOt. 1°. Contractus de se minùs validi, ii sunt qui vel prorsus sunt invalidi, seu à naturâ, seu à jure; vel licèt validi sint, possunt tamen rescindi. Quæritur ergo an & quousque supervenienti juramento confirmentur.

Not. 2°. Aliud est juramentum esse validum; aliud contractum juramento confirmari : primum enim subsistere potest sine secundo. Ut juramentum validum sit, satis est ut possit & debeat servari ob honorem divini nominis; & hoc contingere potest, etiamsi ei in cujus favorem juratum est, nullum jus acquiratur : sic si juraveris latroni, te certam pecuniæ summam ei esse soluturum, solvere debes : verùm tota hæc tua obligatio respicit Deum, nec jus ullum tribuit furi. Ut verò juramentum confirmet contractum aliquem, necesse est ut eum in suâ specie validum faciat, ità ut ille quocum contraxisti, præter obligationem juramenti propriam,

tota est in ordine ad Deum, jus habeat justi-
& ex eâ contractûs executionem urgere possit,
contra contrahentem ipsum, sive contra ejus
:des. Sit

ONCLUSIO I. Juramentum contractui superve-
obligat, sive contractum confirmet, sive non,
do servari potest sine peccato aut præjudicio
ius: secùs si servari non possit sine peccato
i aut levi jurantis.

ob. 1. pars; quia divini nominis reverentia
t nè Deus in testem falsitatis adducatur: Atqui
s in testem falsitatis adduceretur, &c. Ergo.
cipe, si Jus contrarium statuat. Sic conjugii
issio etiam jurata, sed ex metu, non valet..

ob. 2. pars; 1°. quia ex regulâ 58. in 6. *Non
bligatorium contra bonos mores præstitum jura-
um:* 2°. quia juramentum non est vinculum ini-
tis: Atqui juramentum iniquitatis vinculum ne-
riò foret, si obligaret cùm sine peccato gravi
evi servari non potest.

oj. 1°. Si res ità sit, 1°. qui juravit se usuras
arum esse, eas solvere tenetur; 2°. qui latroni
iam spondit, tenetur promissis stare; 3°. qui
it se reversurum ad carcerem, illuc reverti
ur, etiamsi sciat se illic iniquâ & atroci morte
endum esse: Atqui hæc omnia planè absurda
alioqui sceleratis sua patrocinaretur iniquitas.

ad 1. & 2. neg. min. Sic enim statuit Alexan-
II. cap. 6. *de jurejur. Debitores... si de* usurarum
*ne juraverint, cogendi sunt Domino reddere
entum.* Idem de promissâ furi pecuniâ dicen-
Neque tamen furi vel usurario sua patroci-
vis & iniquitas, quia, ut statim pergit idem
fex, *cùm usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas
endas sunt Ecclesiasticâ severitate, si necesse
, compellendi.* Ratio est, quòd usurarius aut
quilibet depredator, nullum in res meas jus
, ex eo quòd Deo fidelis esse velim.

ad 3. etiam neg. min. Idque ad mentem S.

Augustini, qui Epist. 125. profert exemplum Reguli, *qui ad carcerem se rediturum Carthaginensibus non per sacramenta Christi, sed per dæmonum inquinamenta juraverat : & certissimos cruciatus & horrendi exempli mortem.... nè pejeraret accepit.* Et verò tale juramentum est de re licitâ, cùm licitum sit hâc viâ exitum & libertatem ad tempus obtinere; est quoque de re possibili, cùm eò reverti possis ubi mors certa te manet. Monet tamen Sylvius, eum qui cùm juravit, sciebat quidem carcerem esse injuriosum, sed necdum sciebat subesse periculum mortis, non videri obligatum ad revertendum, quia juramentum erat de re sub modo & conditione quæ jam non subsistunt. Ceterùm in utroque casu peti posset & obtineri juramenti relaxatio, nisi ex eâ immineret scandalum, aut Christianæ Religionis injuria : putà si inde futurum esset ut Hæretici existimarent nullam apud nos esse juramenti religionem, aut docere nos, datam hosti fidem servandam non esse : tunc enim deneganda foret dispensatio.

Obj. 2°. Promissio metu gravi iniquè extorta, caret robore; Ergo & juramentum eidem superadditum.

2. 2. q. 89. art. 7. R. neg. conseq. Disparitas est quòd promissio fiat homini qui vim inferendo *meretur*, ait S. Thomas, *ut ei promissum non servetur* : at verò juramentum dirigitur ad Deum qui ipsum non extorsit, nec meretur invocari in testem falsitatis.

Inst. Accessorium sequitur naturam principalis; Ergo si promissio extorta metu irrita sit, irritum erit quod ei accessit juramentum.

R. dist. ant. Accessorium sequitur naturam principalis, si sit ejusdem naturæ cum principali, C. si sit diversæ, semper sequitur naturam principalis, N. Porrò juramentum non est ejusdem speciei cum promissione homini factâ : hæc enim hominem, illud Deum respicit.

CONCLUSIO II. Contractus vim, dolum, aliamve injuriam continens ex parte illius cui juratur,

non ità firmatur juramento, ut rescindi non possit.

Prob. ex variis capitibus tituli 24. *de jurejurando*, in quorum primo mandat Gregorius III. ut *creditores ad juramenta super usuris sibi solvendis præstita, relaxanda, Ecclesiasticâ districtione compellantur*. In secundo absolvitur à juramento Laudicen. Episcopus, *quia nefandâ coactione juravit*; ergo juramenta ad confirmandos contractus extorta, non ità obligant, ut non possint ab Ecclesiâ rescindi. Et verò qui alii injuriam intulit, eandem reparare tenetur; ergo jus illius non est firmum, cùm ei renuntiare debeat, & possit jurans ob acceptam injuriam petere & obtinere juramenti relaxationem.

Quæres, an qui juravit usurario vel furi se ei pecuniam esse daturum, seque juramenti sui relaxationem petiturum non esse, eam petere possit.

Respondet Laiman his verbis: « Si aliquis juravit » latroni se pecunias soluturum, solvere debet nisi » juramentum ei relaxetur, sed solutas in Judicio » repetere potest.... Si autem solvens juravit quo- » que se in judicio non repetiturum, tunc obliga- » tur quidem juramento, quominus civilem actio- » nem instituere possit; verumtamen de crimine ac- » cusare non prohibetur ad publicam vindictam seu » punitionem. Quòd si etiam non accusaturum de » crimine juraverit, poterit tamen denuntiare, ut » ex officio Judex procedat. Si denique juravit quo- » que non denuntiaturum se crimen; tunc juramento » non obligatur eo casu quo Judici denuntiare ne- » cessarium esse videtur ad publicam, & aliis etiam » perniciosam injuriam avertendam: itèm si inju- » riam passus juridicè posteà in judicio interroge- » tur; *quamvis inde eventurum sit, ut* indirectè & » consequenter *recuperet pecuniam* quam solvit cum » juramento non repetendi ». Quorum omnium hæc est ratio, quòd juramentum præsertim iniquè extortum, strictè omninò debeat explicari. Ut hæc decisio magis confirmetur, sit

Lib. Tract. c. 7.

CONCLUSIO III. Qui juravit se aliquid daturum,

& juramenti sui dispensationem petiturum non esse; aut se rem datam repetiturum non esse, tenetur huic juramento stare.

Prob. 1°. ex his Innocentii III. verbis, cap. 4. *de his quæ vi*, &c. *Mandamus*, *quatenùs si* Titium *ad resignationem constiterit vobis*, *per talem metum fuisse coactum qui potuerit & debuerit cadere in constantem virum*, *non obstante prædicto juramento*, *quo non ad non repetendum*, *sed ad resignandum solummodò tenebatur*, *præfatam Ecclesiam ei restitui facias*. Ergo si Clericus ille juramento se obligasset *ad non repetendum*, jam repetere non potuisset, adeòque debuisset juramento suo stare.

* * Prob. 2°. Juramentum de quo hìc agitur, debet servari si potest; potest verò, quia in salutis dispendium non vergit. Si enim vergeret in salutis dispendium, jam esset de re illicitâ, adeòque fieri non posset: quis verè putet nefas esse quòd viator ut imminens sibi letum declinet, polliceatur latroni se ei nummum unum aut alterum certâ die traditurum, nec unquam apud Judices acturum esse ut hanc summam recuperet, sive obtentâ juramenti dispensatione, sive aliter? Hæc profectò cuilibet attendenti incredibilia videbuntur; Ergo.

Obj. Juramentum de non petendâ dispensatione lædit Ecclesiæ potestatem; hæc enim jus habet ut qui læsus est, opem ejus implorare possit; Ergo non valet hocce juramentum.

R. 1°. Argumentum nimis probat: ex eo enim sequitur eum qui jurasset se bona sua non esse recuperaturum ope Judicis Ecclesiastici, non solùm posse, sed etiam teneri eadem recuperare confugiendo ad Ecclesiam, nè autoritas ejus lædatur, quod nè ab ipsis quidem adversariis admittitur.

R. 2°. neg. ant. Ecclesiam enim non lædit qui ad eam non recurrit, quia jure suo vel spontè, vel secundùm quid invitus cedit; benè verò qui per vim obstat nè ad eam recurratur: unde hìc peccat latro tale juramentum extorquens, non autem viator qui illud emittit, ut vitæ suæ consulat.

† CONCLUSIO IV. Si contractus ex naturâ suâ irritus sit, non firmatur juramento ; sed validum est juramentum, si sit de re licitâ.

Prob. 1. pars ; quia juramentum utpotè contractui extrinsecum, nihil in substantiâ ejus immutat ; Ergo id quod ex se invalidum est, validum non facit.

Prob. 2. pars ; quia juramentum toties impleri debet, quoties impleri potest absque peccato, propter divinæ majestatis reverentiam. Hinc si jurando promiseris te non revocaturum esse testamentum tuum, perjurus eris si revoces ; valida tamen erit revocatio, quia testamentum ex naturâ rei habet ut usque ad mortem revocari possit.

CONCLUSIO V. Si contractus Jure solùm positivo irritus sit, firmatur juramento, cùm non est irritus nisi in gratiam boni privati ; non firmatur verò, cùm lex eum irritavit immediatè propter bonum commune.

Prob. 1. pars : 1°. quia unicuique licet renuntiare favori pro se directè & principaliter per Legem introducto, nisi hoc aliunde prohibeatur ; hâc autem positivâ renuntiatione, perinde est ac si non esset jus positivum : Atqui sublato Jure positivo contractus est ex se & ex naturâ suâ firmus, ut supponitur, adeoque ex se obligat ex justitiâ ; Ergo posito juramento quod propriam suam religionis obligationem inducit, renascitur, ut ità loquar, obligatio naturalis ex justitiâ quam contractus ex se & ex naturâ suâ habebat : adeoque talis contractus firmatur juramento ; seu, quod idem est, duplicem parit obligationem ; aliam quidem ex religione, aliam verò ex justitiâ.

Prob. 2°. ex cap. 2. *de pactis* in 6. ubi sancitur ut *pactum patri factum à filiâ dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, quamvis hoc improbet lex civilis ; si tamen juramento non vi nec dolo præstito firmatum fuerit, ab eâdem omnino servari debeat*, utpotè quòd *non*

vergat in æternæ ſalutis diſpendium, *nec redundet in alterius detrimentum*; Ergo actus jure civili irritus, aliquando firmatur juramento.

Prob. 2. pars : quòd contractus Jure poſitivo in gratiam boni communis irritus, non firmetur juramento. Ratio eſt, quia tale juramentum eſt de re bono publico contrariâ, adeoque illicitâ; Ergo nullum parere poteſt effectum.

Hâc de causâ non valet juramentum ſponſalibus ex metu contractis appoſitum; quia inde ſequerentur odia & lites quæ publicæ paci adverſantur. Pariter non valet juramentum quo Clericus donationem concubinæ factam confirmare niteretur, quia hæc donatio prohibita eſt in favorem publicæ honeſtatis. Denique cenſent non pauci eum qui juravit ſe vel ſoluturum, vel non repetiturum eſſe id quod ludo vetito amiſerit, non teneri juramentum hoc ſervare; ſive quia noceret bono publico, quod exurgit ex bono privatorum; ſive quia facilitas jurandi ſubverteret ſapientiſſimas leges in gratiam boni privati conſtitutas : & hoc ſummoperè à Confeſſariis penſandum eſt, à quibus idcircò conſulendæ ſunt locorum leges, nè plus tribuant juramento, quàm ei tribuendum ſit.

ARTICULUS TERTIUS.

De obligatione Contractûs conditionati.

NOt. 1°. Conditio alia eſt de præteritò, alia de præſenti, alia de futuro, quæ ſola propriè intelligitur nomine conditionis. Conditio iterùm alia eſt *impoſſibilis*, ut, Promitto tibi aureos mille ſi cœlum manu tetigeris : alia *neceſſaria*, vel *ab intrinſeco*, ut ſi Deus exiſtit; vel *ab extrinſeco*, id eſt, ex ſuppoſitione decreti divini cogniti, ut ſi futurum ſit generale Judicium : alia *contingens*, quæ vel pendet ab eo cui imponitur, ut, Promitto tibi villam ſi hoc anno non nupſeris, & dicitur *poteſtativa*; vel

on est in ejus potestate, ut, Promitto tibi equum Galli Germanos superent, & *casualis* dicitur: el partim est in ejus potestate, & partim non; iciturque *mixta*, ut, Promitto tibi centum numlos, si patris tui gratiam mihi concilies. Denique onditio alia est *indifferens*, alia *honesta*, alia *turpis*, aque vel apponitur matrimonio & ultimis volunatibus, vel aliis contractibus.

Not. 2. Quando conditio impletur, dicitur *purificari*; & contractus conditionatus dicitur fieri *purus*, tque ex *conditionato* transire in *absolutum*. Sit

CONCLUSIO I. Contractus sub conditione de ræsenti aut præterito, hìc & nunc validus est aut ıvalidus, prout conditio hìc vel nunc posita est, el non.

Prob. quia valor aut nullitas hujusce contractûs antummodo pendet ab existentiâ actuali aut prætetâ conditionis appositæ; Ergo valet contractus, conditio sit aut fuerit, secùs verò non valet.

CONCLUSIO II. Neque etiam suspenditur contractus, si conditio sit de re necessariò futurâ.

Prob. quia conditio necessariò futura æquivalet onditioni præsenti, propter eventûs certitudinem.

CONCLUSIO III. Si conditio sit de futuro contingenti, contractûs executio suspenditur usque ad ventum illius.

Prob. quia qui promittit rem sub conditione non ecessariâ, non intendit eam dare nisi positâ conitione, quæ fortè non ponetur.

Non potest tamen promissor resilire ante conlitionis tempus, 1°. quia suâ conventione injecit ibi obligationem expectandi eventum conditionis; °. quia contrahens alter jus habet conditionatum, uo nonnisi voluntate propriâ privari potest. Illud utem jus aliquando transit ad hæredes, aliquando on. Non transit quidem in ultimis voluntatibus: eque etiam in contractibus inter vivos factis sub onditione potestativâ, alligatâ ipsi personæ, & quæ roinde per ejus hæredes impleri non possit: unde

qui promisit aureos centum Petro si Titiam duceret, quam quia mortuus est ducere non potuit, nihil debet hæredi Petri. Transit verò in aliis contractibus, quia promissarius acquirit jus rem promissam obtinendi statim ac adimpleta fuerit conditio; hoc autem jus & spes ad hæredes transferuntur.

Sed quid juris, cùm legata est Petro summa si Mariam duceret, & hæc nuptias Petri recusat?

R. Legatum Petro tradendum esse, quia ex Reg. 66. Juris in 6. *cùm non stat per eum ad quem pertinet quonimùs conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Idem eâdem de causâ dicendum, si promittens ipse conditionis adimpletionem impediat; nisi tamen qui conditionem apposuit, circa eam liber remaneat: si enim promiserim Titio aureos mille si uxorem ducam, non ideo tenebor uxorem ducere & summam dare: secùs si hanc promisissem eâ lege ut mihi tale matrimonium procuraret.

Conclusio IV. Statim ac posita est conditio, contractus de conditionato transit in absolutum sinè novo consensu.

Prob. quia contrahentes volunt & intendunt ut valeat contractus statim ac ponetur conditio de quâ conventum est: & hoc ità volunt, ut alter sine alterius consensu contrarium velle non possit.

Excipiunt aliqui contractum matrimonii, quem, si conditionatè initus esset, novo indigere consensu volunt: 1°. quia contractus matrimonii est naturâ suâ perpetuus, & semel validè initus rescindi nequit: Atqui matrimonium sub conditione de futuro contingenti initum rescindi posset. Si quis enim ante eventum conditionis contraheret absolutè & per verba de præsenti cum aliâ, verum esset, inquiunt, secundum hoc matrimonium; Ergo consensus conditionalis ad prius matrimonium datus non sufficit, adeoque purificatâ conditione, novo opus est consensu: 2° quia ex Concilio Florentino, ad matrimonium requiritur consensus de præsenti: Sed

consensus de futuro non est de præsenti; Ergo consensus de futuro, à futurâ conditione dependens non sufficit.

Hæc opinio à multis impugnatur: fatentur tamen omnes tutius esse & consulendum, ut qui sub conditione contraxerunt, eâ impletâ, novum consensum exteriùs de præsenti apponant, ut sic omnis scrupulus & dubietas in materiâ tam gravi eliminetur. Sed de his alibi.

CONCLUSIO V. Contractus sub conditione impossibili aut turpi initus, jure naturæ invalidus est.

Prob. 1°. quia valor hujusmodi contractûs secundùm contrahentium intentionem pendet à tali conditione: Ergo si ea conditio vel poni non possit, vel poni non debeat, contractus censeri debet nugatorius: 2°. quia conditio ad valorem contractûs præscripta debet esse obligatoria: Atqui nemo ad rem turpem obligari potest: Ergo.

Dixi, *jure naturæ*, quia jure positivo, conditiones impossibiles aut turpes pro non adjectis habentur in matrimoniis & ultimis voluntatibus. De matrimoniis id patet ex cap. 7. *de conditionib. apposit.* ubi statuitur ut *conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, in ejus favorem pro non adjectis habeantur*; quòd si, ut ibidem additur, *conditiones contra substantiam conjugii inferantur, putà si alter dicat alteri, Contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandum te tradas; matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.*

Quod spectat ad ultimas voluntates, ut testamenta, conditio naturâ aut Lege impossibilis, pro non appositâ habetur. Ratio discriminis inter alios contractus & testamenta hæc est, quòd in aliis contractibus qui conditionem impossibilem adjiciunt, *contrahere velle non creduntur, sed potiùs jocari*; at verò *in ultimis voluntatibus conditio impossibilis*

L. 31. De obligat. &c.

L. 3. ff. De cond. & demonstr.

adjecta, pro non scriptâ habetur; quia nemo de morti cogitans ludere velle censendus est.

Hîc notandum conditionem non nubendi in ultimis voluntatibus appositam, haberi pro non adjectâ: unde si legaveris Mariæ aureos mille *si non nubat*, valet legatum, etiamsi nubat; quia conditio hæc Reipublicæ nociva, & sic quodammodo turpis judicatur. Non valet tamen legatum factum viduæ eâ lege ut ad alias nuptias non transeat, si ad eas transierit; tum quia secundis nuptiis minùs favetur; tum quia sæpè familiarum interest, ut vidua non nubat. Si quid alicui legatum sit ut nubat, tenet legatum, etiamsi non nuptias, sed Religionem amplectatur: quia inhonestum esset retrahere à statu perfectiori. Si tamen in genere legaverit quis ad procurandas puellis nuptias, legatum in Monialium dotes converti non debet; quia expressa testatoris voluntas observanda est, cùm lex non obsistit.

Ad pleniorem materiæ hujusce intelligentiam, quædam dicemus de contractibus, non puris, quos in quinque classes divisimus suprà, quique vel conditionati sunt, vel accedunt ad conditionatos.

Dico itaque 1°. contractus *ad diem certum* statim parit obligationem, cui tamen debitor antè præfixum diem satisfacere non tenetur. Si verò tempus *incertum* sit, ut si promiseris certam summam cùm navis ex Indis venerit, suspenditur obligatio: quia hujusmodi contractus resolvitur in conditionalem de futuro contingenti.

Dico 2°. Contractus *sub modo* obligat statim; & non est irritus, etiamsi modus non impleatur: unde si quis legaverit summam ut Missæ celebrentur, hæredes legantis non possunt rei legatæ possessionem sibi vindicare, eo prætextu quòd non servetur modus: sed tantùm habent jus ad cogendum legatarium ut Missas celebret, aut celebrari curet. Ratio est quia modus non se habet ut conditio effectum suspendens, sed ut onus dispositioni adjectum, ad quod

subeundum tenetur alter strictè & ex justitiâ, sed non illico sub pœnâ nullitatis. Si tamen legans expressè voluisset, ut donatio nulla foret, modo non impleto, donatio hæc reipsâ corrueret statim ac modus non impleretur. Dixi, *si expressè voluisset*: tùm quia in causis piis specialiter statutum est ut donatio Ecclesiæ facta sub modo, eo etiam non servato, revocari non debeat, nisi in donatione fuerit expressum; tùm quia in dubio donatio præsumitur principaliter facta propter Deum.

Dico 3°. Contractus *ad causam* von valet, si causa quæ finalis est non subsistat; valet verò, etsi non subsistat causa solùm impulsiva.

Prob. 1. pars. Causa finalis ea est quæ ità movet contrahentem, ut sinè eâ actu & de facto contrahere aut disponere nolit: Atqui implicat valere contractum tali causâ sublatâ; quia implicat valere contractum absque consensu ullo; Ergo.

Prob. 2. pars. Causa impulsiva ea est quæ movet quidem ad aliquid promptiori animo faciendum, sed ità tamen ut contrahens adhuc rem in se velit, etiamsi desit talis causa: Atqui hujusmodi voluntas ad valorem contractûs sufficit. Unde si Titio pauperi, quem parentem esse tuum putas, eleemosynam tribuas sponte magis ob cognationis affectum, valet tua donatio, etiamsi cognatus non sit, quia primariò intendis pauperem, quisquis ille sit sublevare; porrò motivo principali subsistente, subsistit dispositio.

In dubio præsumitur causam non fuisse finalem, sed solùm impulsivam, quando disponens ei favere intendebat in cujus gratiam disposuit; atque ità judicari solet in exteriori foro. Si tamen sciat Confessarius causam fuisse finalem, judicare debet contractum esse invalidum. Imo plerumque apud Judices habet hìc locum exceptio doli, si probet hæres legantem aliàs legaturum non fuisse.

Quæres, an si quid dederim Titio, ut mihi negotium grave prosequenti faveat, valida sit donatio si Titius mihi de facto non faverit.

R. non valere si hâc solùm conditione dederim ut faveret : si verò quidpiam dederim ut animum ejus allicerem, valet donatio; non enim exegi ut faveret, sed allicere volui : unde vel nullam donationi meæ apposui conditionem, vel solùm tacitam & generalem cujus defectus contractum non annullat.

Dico 4°. Error *in demonstratione*, si sit circa substantiam aut personam, vitiat contractum; secùs si non sit nisi circa accidentia. Utraque pars probata manet ex iis quæ superiùs dicta sunt de errore in contractibus. Hinc valet contractus, si dicas, Dono equum meum quem emi Parisiis, licèt non emeris, aut alibi emeris : aliud dicendum esset, si è pluribus equis quos emisses, unum emisses Parisiis, & is jam non subsisteret.

Sed quid dicendum si quis dixerit, Lego aureos 10. quos debet mihi Petrus, & Petrus aureos 100. debeat? Omnesne aurei legati censebuntur?

Respondent. Vel demonstratio apposita est *taxatè* seu ad restringendum id quod datur, & tunc illa solùm numerus debetur qui expressus est, quia tunc constat mentem testatoris fuisse ut ampliùs non donaretur; vel apposita est *demonstrativè* tantùm, seu ad denotandum id quod legatum est, & tunc debetur id totum quod demonstratum est.

Porrò hæc afferri solet regula ad dignoscendum, an taxatè, an demonstrativè solùm apponatur demonstratio. Cùm incipit dispositio à numero vel mensurâ, demonstratio apponitur *taxatè* : cùm autem incipit dispositio à re ipsâ quæ datur, demonstratio apponitur *demonstrativè*. Unde si quis dixerit: *Do centum aureos in tali arcâ reconditos, vel decem jugera talis prædii*, non debentur nisi aurei centum aut jugera decem, etiamsi plus contineat arca vel prædium : si verò dixerit, *Do pecuniam quæ est in tali arcâ, & constat ex aureis centum, vel tale prædium quod constat decem jugeribus*, dandum est quidquid arca nummorum habet, aut ager jugerum.

Si in nomine legatarii *testator erravit*, *nihilominus et legatum*, *cùm de personâ constat.* Idem est cùm biguitas demonstrationis personæ tollitur ex cirnstantiis : unde an. 1622. Curia Parisiensis conavit dispositionem his conceptam verbis : *Au lu de mes biens*, *j'institue mon très-cher & bien-é fils mon héritier :* quia liberorum alter his se ciis designatum ostendit.

Instit. lib. 2 tit. 20. n. 29.

PARS SECUNDA.

E CONTRACTIBUS IN SPECIE.

DIcam primò de Contractibus onerosis, deinde de gratuitis.

CAPUT PRIMUM.

De Venditione & Emptione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid Venditio ; qui & à quo perficiatur.

VEnditio definiri potest, *Pactio mercis pro pretio* ; emptio verò, *Pactio pretii pro merce.* Nomine mit *mercis* intelligitur quidquid pecuniâ æstimari compensari solet: nomine verò *pretii* intelligitur mia : si enim merx pro merce daretur, esset nutatio, non emptio ; nisi unâ cum aliâ merce etur pecunia cujus valor mercis adjunctæ valo- superaret. Porrò pretium debet esse determiim ; quia si res vendatur pretio indeterminato, quod dare voluerit emptor, non stat contractus, .. 35. ff. *de contrah. empt.*

ed si pretium *tertiæ personæ* determinandum

remittatur, adeò ut promittat emptor, venditore consentiente, se id soluturum quod Titius decreverit, positâ Titii æstimatione perficitur contractus. *Sin autem* Titius *vel noluerit*, *vel morte*, v. g. præventus *non potuerit pretium definire*, *tunc* irrita erit venditio. Quòd si emptor justum pretium promittat, nihil determinando, non valet venditio, ex communi sententiâ, propter pretii incertitudinem; nisi pretium esset lege taxatum.

Instit. lib. 3. tit. 24.

Res sufficienter determinata est, etiamsi ignoretur qualis aut quanta sit, ut cùm emitur res in spe, putà lactentes agrorum spicæ, quæ multis modis perire possunt. Quâ ratione emi etiam potest jactus retis in mare. Quòd si piscator esset in causâ ut non caperentur pisces, teneretur emptori de *interesse*. Est tamen illud discrimen inter emptionem jactûs retis, & emptionem fructuum, quòd si piscator nihil ceperit, pactum pretium ei solvi debeat: non autem si ager aut arbor nullos fructus attulerit, quia ex dispositione Juris, emptor hâc solùm lege contraxit, *si fructus nascuntur*.

L. 1. ff. De condit. &c.

Quæres, an venditio solo partium consensu verbis, vel signis expresso perficiatur; an non ad ejus perfectionem requiratur traditio rei, *la délivrance*.

R. venditionem aliquo sensu perfici ex solâ partium consensione, alio autem non perfici completè, nisi traditione rei.

Instit. Lib. 3. tit. 24.

Prob. 1. pars, ex Instit. *Emptio & venditio contrahitur simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac nè arrha quidem data fuerit;* Ergo contractus venditionis substantialiter & in genere contractûs solo partium consensu peragitur.

Hic tria notanda: 1°. si contractus venditionis à Tabellione scribi debeat, non erit obligatorius antequam ab eo scriptus fuerit, & contrahentium subscriptione munitus: imò si vocati testes necdum subscripserint, partium altera, alterâ invitâ, resilire potest. In Galliis venditiones quæ centum libras supe-

it, vel coram Notario fieri debent, vel privatâ
tium signaturâ muniri; nec valet probatio per
:es, ex Edicto Molinensi an. 1566. 2°. quibusdam
locis contractus venditionis non censetur per-
ctus nisi data sit arrha, gallicè, *Denier à Dieu*;
ic autem arrha perit danti, si renuat contractum
ficere : non tamen ubique licet resilire etiam
n arrhæ jacturâ; 3°. si emptor rem gustare,
bare aut videre velit, venditio, etsi de pretio
iventum sit, non obligat nisi postquam res,
tà vinum degustatum fuerit.

Prob. 2. pars, ex L. 9. ff. *de publ. in rem act.* ubi
finitur rem duobus *bonâ fide ementibus* venditam,
is esse *qui priori tradita est*, etiamsi alter ante
m emerit : Atqui si venditio omnino perfecta
et ex partium consensu, res jam ante ab alio
ipta, non posset esse illius cui priori tradita est;
às enim posteriori emptori traderetur id quod
rfectè alterius erat. De Galliæ Jurisprudentiâ
:am art. 5. sect. 1.

Qui vendere possint colligitur ex iis quæ antea
ximus de causâ efficiente contractuum; superest
a difficultas quæ moram facessere possit : an sci-
:et possit quis cogi ad rem suam vendendam.

R. 1°. neminem, communiter loquendo, cogi
sse ad rei suæ venditionem; tum quia contractus
nnis ex libero partium consensu fieri debet, tum
ia ei fit injuria qui rem suam alienare cogitur.

R. 2°. esse aliquos casus in quibus possit aliquis
gi ad venditionem rei suæ : 1°. enim tempore
ublicæ necessitatis cogitur quis ad vendendum
umentum, aut alia ejusdem generis; 2°. statuitur
i Jure, ut si fundus privati necessarius sit ad cons-
uctionem civitatis, Ecclesiæ, fori, viæ publicæ,
ossit is ad fundi venditionem cogi. Imò si quis in
ndo quem cum alio communem habet, Ecclesiam
edificare velit, poterit socius cogi ad venditionem
uæ partis.

Nec obstat quòd Achab peccaverit volendo ex-

torquere à Naboth vineæ ipsius venditionem. Nam 1°. Lex non permittebat Judæis hæreditatis paternæ alienationem, nisi cùm gravi necessitate premebantur; 2°. Israëlitarum jura hæc erant, ut hæreditatem venditam in Jubilæo recuperare possent; at vineam suam si in hortum regium conversa fuisset, Naboth nusquam recuperaturus erat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Re vendibili.

EX dictis constat vendi posse omnia quorum quis dominium & liberam administrationem habet, & quæ prætio æstimari possunt; nisi venditio ratione specialis prohibitionis invalida sit aut illicita. Hinc vendi possunt, non quidem res spirituales, aut spiritualibus annexæ, ut Beneficia, jus patronatûs, olea sancta; sed res corporeæ, actiones, & bona tùm præsentia tum futura: & licèt omnia donari non possint, nè quis intestatus maneat, omnia tamen vendi possunt, quia qui omnia vendit, de prætio quod accepit testari potest.

Quæres 1°. an licitè vendi queânt quæ ad pravum usum inservire possunt, ut fucus feminis.

Ut solvatur hæc maximi momenti quæstio, notand. quædam esse ex se tam mala, & ad malum usum determinata, ut cadere non possint sub usum bonum aut indifferentem, ut maleficium, libelli infamatorii, &c. Quædam verò sunt absolutè indifferentia, ut arma offensiva, chartæ lusoriæ, fucus, idola, quæ ut cultum à Gentilibus, sic ad ornatum à curiosis emuntur: hæc verò quæ absolutè indifferentia sunt, non raro sunt respectivè mala, ut idolum respectu Gentilis. His præmissis,

Dico 1°. res per se malas, malumque ad usum determinatas vendi non posse sine peccato ex se mortali: quia ut docet S. Thomas, qui hæc vendunt, præbent *directè aliis occasionem peccandi.*

2. 2. q. 169. art. 2.

Hinc graviter peccant qui libellos famosos con-
it, divulgant aut vendunt. Idem dicendum de
tillenis adversùs proximi honorem concinnatis;
m etiam de libris magiæ aut Hæreticorum, nisi
vendantur quibus concessa est eosdem perle-
di licentia, quique iis abusuri non esse dignos-
itur. Unde colliges quid sentiendum de Biblio-
is qui libros obscœnitate plenos, aut hæresim
antes obvio cuique divendunt.

Dico 2°. res indifferentes, quibus emptores pos-
t benè aut malè uti, non possunt sine peccato iis
idi quos venditor verisimiliter credit iis abusu-
. Ratio est, quia qui hæc vendit, alterius pec-
o cooperatur: unde non licet Judæo agnum ad
nolandum vendere, aut idolum Gentili: hæc
m venditio, etsi de se indifferens, est tamen ad
lum determinata ex circumstantiis.

An fucus mulieribus vendi possit, pendet à quæs-
ne, an eæ vultum pingendo peccent: peccant au-
n secundùm id S. Cypriani, *Opus Dei est omne
id nascitur; diaboli quodcumque mutatur.* Quia ta-
n, ut notat S. Thomas, *Non semper talis fucatio
cum peccato mortali, sed solùm quando fit propter
civiam, vel inde Dei contemptum;* hinc qui fucum
idit non peccat mortaliter, nisi iis vendat quas
noscere potest, eo in usum mortaliter malum
ras: peccat tamen saltèm venialiter, ut & ipsæ
lieres, quia, juxta S. Thomam, *de fucato or-
u semper est peccatum.*

Tract. de habit. virgin.

Ibid. ad 2.

Quod spectat ad venena, regiâ declaratione an.
82. constitutum est, 1°. ut ea quæ suam semper
neni naturam servant, à nemine vendi possint;
ut quæ rebus aliis mixta possunt inservire, non
Medicis & aliis similibus, qui probi seu per lit-
as, seu aliter cognoscantur, vendi queant; 3°. ut
dici, Chirurgi, Pharmacopolæ, &c. ipsum ve-
ni corpus non vendant, sed solùm cùm iis fuerit
nixtum, è quorum cosortiio habet ut prosit.

Quæres 2°. an valeat rei alienæ venditio.

R. venditionem hanc esse invalidam & validam sub diverso respectu: 1°. quidem est invalida, quatenùs venditor certum & inconcussum quod ipse non habet rei dominium transferre in alium non potest; 2°. est tamen eo sensu valida, quòd nec venditor pretium reddere teneatur, nec emptor illud repetere possit, nisi post rei evictionem; neque hinc damni quidquam patitur emptor, quia venditoris est probare, suum esse id quod vendidit.

Quæres 3°. an quæ emuntur pecuniâ alienâ fiant ementis, an ejus cujus est pecunia.

R. emptorem qui suo nomine rem acquirit ex alterius pecuniâ, rem illam facere suam regulariter lòquendo. Colligitur ex L. 48. §. fin. *de furtis*, juxta quam *nummus qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus.* Quapropter si fur ex pretio rei furtivæ panem emat, tam pistor comparabit pecuniæ dominium, quàm fur dominium panis. Tenetur tamen qui alienâ pecuniâ emit, non modò suam alteri pecuniam, sed & quidquid ille damni hâc occasione passus est refundere.

Dixi, *regulariter*, quia quæ emuntur pecuniis Ecclesiæ, pupilli, minoris, aut militis, transeunt in dominium illius cujus est pecunia.

Quæres 4°. an Officia vendere licitum sit.

R. affirmat. Quia hæc Officia secundùm se pretio sunt æstimabilia, cùm & honorem temporaneum, & multam lucri occasionem importent. Debent autem vendi viris probis, pretio non nimio, nè emptores ad pretii soluti compensationem populos vexent: imò taxandum est, si fieri potest, stipendium eorum qui munia hæc exercent laboribus correspondens, nè arripiat unusquisque quantùm poterit.

Bursas verò vendere non licet, quæ in Collegiis fundatæ sunt ad pauperum studentium sustentationem: unde qui exacto suo tempore, eas vendunt, vendunt id quod suum non est, quodque gratis acceptum, gratis dimittere debent. Qui verò

Bursas

lursas illas pretio comparaverunt; non ideò magis as possunt aliis vendere, quàm qui rem alienam mit, possit eam domino divendere.

ARTICULUS TERTIUS.

De Pretio.

NOt. 1°. Pretium est pecunia valori rei commensurata. Pretium aliud est *legale* seu *legitimum*, quod Magistratûs decreto constitutum est; aliud *vulgare* aut *naturale*, quod communi hominum æstimatione independenter à Lege positivâ taxatum est, & dicitur *pretium fori.*

Pretium vulgare triplex distinguitur: *infimum*, infra quod justè descendi non potest; *medium*, ultra quod justè ascendi, & infra quod justè descendi potest; & *supremum* seu *rigorosum*, ultra quod juste ascendi nequit. Ex hâc pretii naturalis latitudine provenit, ut unus emat 10. & statim vendat 12. absque peccato, quia emit infimo, & supremo vendit.

Justi pretii latitudo facilè assignari non potest, potiusque taxanda videtur prudenti hominum judicio, pensatisque omnibus quæ concurrunt, quàm certis & fixis limitibus constituenda. Admitti tamen solet hæc regula, ut res quò erit vilior, minùs habeat latitudinis in pretio, plùs verò quò fuerit pretiosior. Unde si medium rei alicujus pretium sit 10. infimum erit 9. supremum 11. & erit duorum latitudo: si verò rei pretiosæ pretium sit 100. infimum erit 95. supremum 105. & sic habebit latitudinem 10.

Not. 2°. pretium rei non repeti solùm ex physico ejus valore: aliàs pluris valeret mus, utpotè vivens, quàm margarita; non etiam ex comparatione cum usu rei, gemma enim modici est usus, & pluris tamen valet quàm ingens vini copia; neque etiam ex rei necessitate, alioqui panis unus sine quo vitam ampliùs protrahere non potes, pluris tibi vendi posset, quàm pretiosa quæcumque supellecti-

lia. Prima igitur justi pretii ratio repetenda est ex comparatione pretii cum re juxta communem hominum æstimationem considerata : major autem vel minor æstimatio peti debet ex majori vel minori copiâ tùm mercium , tùm pecuniæ , tùm etiam emptorum. Quin & modus vendendi efficit ut res minoris æstimentur; viliori enim pretio veneunt quæ sub hastâ venduntur, quàm quæ à mercatore ; quæ * aversione emuntur , quàm quæ minutatim ; atque vetus est adagium , merces ultroneas vilescere.

En gros.

Id tamen & caritati & justitiæ plerumque adversatur ; hinc enim fit ut cum pauperibus res suas vendere coactis , non servetur æqualitas , sed afflictis addatur afflictio nova. Fatendum tamen eum non peccare emendo pretio minori , qui rem quâ non indiget emit , ut venditori gratiam præstet , aut qui emere non potest quin aliquid patiatur incommodi. At hìc bonâ fide opus est , & pensandum quòd sicut venditor injustè agit , cùm ob emptoris necessitatem solam pretium adauget ; sic & injustè agat emptor , cùm pretium precisè ob venditoris necessitatem minuit : unde meritò propositionem hanc damnavit anno 1665. Facultas Paris. *Potest aliquis emere rem viliùs ab eo qui vendit necessitate compulsus , quia ex modo vendendi minuitur.* Hæc ut magis ac magis elucescant , sit

CONCLUSIO I. Si nullum sit pretium legale , res vendi debet juxta pretium naturale : qui aliter fecerit , tenetur ad restituendum.

Prob. 1. pars , quia venditio justa non est , nisi res & pretium commensurentur : non commensurantur autem , si res non vendatur secundùm pretium naturale.

Prob. 2. pars. Non servatur æqualitas quoties pretium non commensuratur rei ; Ergo contrahitur restituendi obligatio.

Hinc tenentur ad restituendum ; 1°. qui ultra justum pretium vendunt extraneis ; quia cum his

sicut & cum aliis servari debet æqualitas ; 2°. qui fraude vel mendacio inducunt alium ad emendum majore pretio quàm aliàs emisset ; quamvis non ultra summum pretium : quia emptor jus habet ut dolo & fraude non adducatur ad rem rigoroso pretio emendam ; Ergo venditor tunc est causa iniqua cur lucrum cesset emptori ; 3°. qui postquam rem pretio infimo vendiderunt, occultè accipiunt supremum, seu emptorem decipiendo in numeratione pecuniæ, seu aliquid de re subtrahendo. Ratio est, quia non licet agere contra conventionem, & contra jus alterius ex eâ acquisitum ; 4°. qui pluris alicui rem vendunt ob majorem ejus in ipsam affectum. Ratio est, quia affectus, utilitas & indigentia emptoris non cadunt sub dominium venditoris : Ergo venditor non hinc pluris rem æstimare potest, quòd alii sit necessaria. Communis tamen ementium affectus pretium augere potest, quia communem hominum æstimationem unde pretium pendet, adaugere potest.

Sed num saltèm liber est à restituendo, qui ultra justum pretium vendit, eò quod sibi pretium hoc ab emptore offeratur ? R. negat. quia quod ultra legitimum pretium offertur, censeri debet oblatum ex errore qui voluntarium perimit, aut ex affectu in rem, aut ex necessitate : non autem liberaliter, nisi contrarium rationabiliter præsumatur, ut in Principibus, & aliquando in amicis.

Quæres 1°. an venditor pretium mercis augere possit, & quibus de causis.

R. affirmat. quia certæ sunt occasiones propter quas res pluris valet, quàm alioqui valeret. Eæ verò sunt, 1°. copia pecuniæ vel emptorum, & mercium penuria : tunc enim merces quæ & quæruntur à pluribus, & difficiliùs inveniuntur, pluris æstimari consueverunt ; 2°. impensæ in mercibus conquirendis & conservandis adhiberi solitæ. Dico, *solitæ* ; quia si unus aut duo mercatores, plures fecerint impensas quàm *alii*, non ideo pretium augere

possunt; sicut nec minuere debent; si ordinarias impensas non fecerint: quia nec infortunium, nec felicitas venditoris unius aut alterius, communem hominum æstimationem mutant; 3°. si merces minutatim vendantur: plus enim laboris subit, qui sic, quàm qui simul & in magnâ quantitate vendit; 4°. rationabilis domini affectus in rem quam in alterius gratiam vendit, quia tunc venditor non solùm re suâ se privat, sed commodo suo & delectatione; hæc autem pretio sunt æstimabilia: hinc domus quæ quia avita est, pluris æstimatur, pluris vendi potest; 5°. lucrum quod cessat, aut damnum quod emergit ex venditione hîc & nunc factâ: ut si venditor rem certò reservaturus erat in aliud tempus quo verisimiliter pluris vendenda esset; aut si quia nunc merces suas vendit, futurum sit ut alias cariùs posteà emere cogatur. Et hoc verum est, tametsi pretium rei à Principe taxatum foret, quia Princeps constituit pretium super re ipsâ secundùm se, non habitâ ratione damni aut incommodi quod venditor rem vendendo sustinere potest.

Circa duos posteriores casus, quatuor sunt notanda: 1°. Venditor monere debet emptorem cur rem pluris vendat quàm valeat secundùm se: quia fortè nollet emptor venditoris incommodum redimere; 2°. qui pluris vendit merces, quia eas aliud in tempus servaturus erat, debet deducere tùm impensas quas in iis servandis facturus erat, tùm varia pericula quibus obnoxiæ sunt merces quæ diu servantur; alioqui non servaretur æqualitas, dum venditor plus hodiè reciperet, quàm post tres menses recepturus erat; 3°. Si venditor rem suam ultrò vendendam offerat, non potest quidquam ex justitiâ exigere pro damno emergente; quia non tenetur emptor avertere incommodum quod alter spontè subire vult; 4°. Mercator sub prætextu particularis affectûs, mercem suam cariùs vendere nequit; quia ratione muneris sui paratus esse debebat ad res suas justo pretio alienandas; imò qui non est mercator

publicus, affectum suum intra rationis & moderationis terminos reducere debet, nè pretio enormi redimatur.

Quæres 2°. an res quæ nec habent pretium vulgari æstimatione determinatum, nec constitutum Lege Principis, ut gemmæ, accipitres, eximiæ veteres picturæ, vendi possint quanti dominus volet. R. quidquid sentiant aliqui, res hujusmodi vendi debere secundùm communem hominum in hisce materiis intelligentium æstimationem; alioqui incurri obligationem restitutionis. Ratio est, 1°. quia res quælibet eo debet pretio vendi, quod inspectis omnibus ipsi commensuratum prudenter judicatur: Atqui tale est pretium quod viri intelligentiores judicant respondere rei quæ nec vulgari fori æstimatione, nec Principis edicto taxata est; 2°. quia alioqui venditor qui rem suam 100. valere judicat, posset eam vendere 1000. si videret eam alicui placere, qui ipsam quocumque tandem pretio comparare velit: Atqui hoc absurdum est; Ergo perperam dicunt aliqui excessum condonari ab emptore: neque id præsumi debet, nisi res signis evidentibus constet. Hîc quædam animadvertenda.

1°. Facilè conveniunt Theologi majorem esse pretii harumce rerum latitudinem, quàm earum de quarum valore nemo disputat; 2°. res quædam apud nos vilissimæ, magni æstimantur apud alios, ut apud Japones specula, & vicissim: unde cùm communis æstimatio pretium constituat, res illæ pretio magno vendi possunt, iis in locis ubi multi æstimantur; 3°. si tam emens quàm vendens rei pretium ignorent, & se ignorare scientes de èo conveniant, valet contractus, nec ulla est restituendi obligatio, etiamsi aliquis eorum in dimidio læsus sit, quia uterque sorti se commisit contrahendo, & sic se exposuit tam lucro quàm damno.

Quæres 3°. an res quæ venduntur sub hastâ, *à l'encan*, ut in licitationibus publicis, emi possint supra aut infra pretium vulgare. R. affimat. Ratio

est, quia potestas publica illud pro justo pretio extraordinarii hujusce fori æstimare censetur, quod in publico emptorum concursu, tanquam in quodam examine approbatum fuerit.

Cavendum tamen ut absint fraus & dolus, quæ multis modis adesse solent : ut 1°. si venditor occultos rei expositæ defectus celet; 2°. si fictos licitatores immittat, qui se emptores simulent ut pretium augeatur; 3°. si proxenetæ merces eo tempore vendendas proponant, quo paucos emptores adfuturos esse præsentiunt, ut res iis adjudicetur quibus favere volunt; 4°. si emptores inter se conspirent nè ullus ultra tale pretium ascendat. Solet tamen excusari à culpâ, qui sinè vi & dolo rogat amicum nè plùs certâ quâdam quantitate offerat, ut ipse justo pretio, infimo tamen aut mediocri rem obtinere possit.

CONCLUSIO II. Si quod sit pretium legale, merces juxta illud & non aliter vendi debent.

Prob. quia pretium legale justo Principis aut Reipublicæ decreto constitutum esse supponitur; Ergo decreto huic est obsequendum, adeò ut qui taxam constitutam non servat, graviter peccet, & ad excessûs restitutionem teneatur, etiamsi lex aliam imponat pœnam.

Ceterùm lex Principis semper justa præsumi debet, donec de contrario constet.

Hic quædam notanda; 1°. pretium legale consistere in indivisibili : unde qui plùs exigit, tenetur ad restitutionem excessûs. Licet tamen emptori remissionem obtinere si potest, quia taxa imponi solet non ut emptor minùs solvat, sed nè ad plùs solvendum à venditore cogatur : qui tamen nullâ taxati pretii obtentâ remissione rem accepisset creditò, posteà pretium legale solvere teneretur; 2°. sicut res quæ minùs valet quàm sit taxâ constitutum, non potest justè vendi pretio per Principem constituto, quia alioqui taxa in emptorum favorem posita, in eorumdem dispendium cederet; sic etiam si res no-

excedat alias quæ communiter vendi so-
otest licitè vendi supra pretium legale; quia
ncipis cadit in res ut ordinariè esse solent:
ut à lege communi tutò recedi possit, exces-
et esse notabilis, alioqui lex inutilis redde-
quia quilibet venditor contenderet mercem
rdinariâ meliorem esse.
eres. 1°. an merces tanti vendi possint Lug-
ibi minor est taxa, quanti Lutetiæ ubi taxa
or, si Lutetiam deportandæ sint. R. affir-
vendens sumat in se periculum transvehendi
Lutetiam, quia tunc contractus perficitur
Lutetiæ, nisi aliter expressè conventum sit.
b emptor merces illas propriis sumptibus
rre debeat, palàm est contractum Lugduni
um fuisse; ideoque venditor sequi debuit
Lugdunensem.
eres 2°. an mercator qui congnoscit magnam
m copiam paulò pòst esse superventuram,
um earumdem valor insigniter minueretur,
merces suas pretio currente vendere. Idem
ur de emptore qui scit mercium pretium brevi
re adaugendum esse, an scilicet easdem vel
n suum, vel aliis revendendas currenti pre-
od longè minus est, emere possit.
affirmat. cum S. Thomâ; colligiturque ex Ge-
ı. ubi Joseph sciens futuram septem annorum
atem, ob quam frumenti valor supra modum
lus erat, currenti pretio ingentem illius co-
emit & reclusit. Ratio est, quia mercator in
iti casu rem suam vendit legitimo pretio. Nam
ıum rei pretium illud est, quod res habet ex
uni hominum æstimatione: Atqui mercator
em vendit eo pretio quod habet ex æstima-
communi, neque enim privata unius aut alte-
ientia communem æstimationem mutat; Ergo.
se habent merces aliquantò pòst augendæ,
moneta propediem augenda: Atqui moneta
diem augenda non valet hodie id quod tunc
a est; Ergo à pari.

Objiciuntur præcipuè duo : 1°. quòd justus rerum valor sumitur ex prudenti hominum æstimatione, consideratis circumstantiis omnibus, etiam futuris, sed in prædicto casu, quòd tanti æstimentur merces, non provenit ex prudenti judicio, sed ex errore, ut per se patet; 2°. Si sciret venditor mercem brevi corrumpendam, v. g. equum brevi moriturum, vinum brevi in acetum conversum iri, teneretur defectum exponere, aut saltèm descendere in pretio; Ergo à pari.

R. ad 1. neg. min. Prudens enim est judicium quod fertur de re secundùm omnes circumstantias quas viri prudentes de eâ cognoscere possunt : Atqui tale est judicium quo merces illæ tanti æstimantur.

Ad 2. neg. conseq. Disparitas in eo est, quòd copia vel inopia rerum ociùs aut citiùs futura, sit extrinseca rebus, adeòque eas magis aut minùs bonas non faciat; sed nec eas pluris æstimari facit, cùm ignota esse supponatur? atverò bonitas rerum earumve corruptio, aut ad corruptionem dispositio rebus ipsis intrinseca est, adeòque rerum valorem intrinsecùs mutat.

Obj. iterùm. Ex assertione nostrâ sequeretur, 1°. posse aliquem sua quæcumque bona vendere currenti pretio, tametsi cognosceret hæc intra paucos dies ab hoste diruenda; 2°. Senatores qui scirent brevi promulgandam esse legem, quâ minueretur monetæ valor, aut ejusdem usus interdiceretur, posse totam quam habent expendere, aut permutare; 3°. eum qui prænoscit Principem cum Curiâ suâ ex hoc loco recessurum, posse domum suam inibi existentem tanti locare ad integrum annum, quanti ab ignorantibus toto anno valitura æstimatur : Atqui hæc omnia sunt absurda; Ergo.

Respondet Henricus à S. Ignatio, vir qui in suspicionem laxioris doctrinæ facilè non veniet, neg. min. & dicit hæc nullatenùs absurda esse. Et fatendum est ea ex probationibus nostris satis legitimè sequi. Major quidem est controversia de Senatoribus

qui ut tales, Edicti promulgandi notitiam habent, quia, inquiunt Molina & Lessius, Magistratibus ex officio incumbit procurare & conservare civium bona; Ergo scientiâ suâ cum civium detrimento uti non possunt, licèt eâ uti possent cives particulares, aut saltèm qui ut tales, promulgandi Edicti notitiam haberent.

Attamen citatus Henricus parem in hoc casu esse putat Senatoris ac civis alterius conditionem: 1°. quia æquum non est ut Senator quà talis deterioris sit conditionis quàm alii cives; 2°. quia nullo Jure prohibitur privatâ suâ scientiâ in commodum suum uti, nec tenetur civium commoda procurare aliter quàm efficiendo ut Leges serventur, non autem iis ità consulendo, ut sibi malè consulat. Quòd autem Senatoris venditio in damnum emptoris cedat, per accidens est, utpotè proveniens non ex venditione, sed ex Lege superventurâ. Ità etiam sentiunt Covarruvias, Corduba, Lugo, & alii apud prædictum autorem.

Fatendum tamen, haud licitum fore Senatoribus, vel Legis promulgationem ex industriâ differre, vel promulgationem hanc familiaribus suis præ aliis revelare; quia ex officio suo tenentur secretum servare, & efficere ut unus per alio non gravetur.

At, inquies, saltèm vetat caritas ne pretio currenti vendantur res brevi minùs valituræ; vetat enim nè quis cum aliorum jacturâ lucrum quærat.

R. neg. ant. Etsi enim certò constet *abundantioris esse virtutis, si* talis venditor *pretium minuat*, ad id tamen sub peccato teneri non videtur, quia non vetat caritas ne quis sibi consulat, utendo jure quod habet ex Legibus, & ex juxtâ rerum æstimatione, tametsi alius inde aliquid per accidens capiat detrimenti.

Peccaret tamen contra caritatem, qui tantam alicui venderet copiam rerum, ut is in magnam necessitatem *inde conjiceretur*, quia sicut præcipit *caritas ut proximo graviter* laboranti etiam cum

L v

aliquâ bonorum jacturâ succurramus, sic à fortiori vetat nè ex paupertate ejusdem divitias nobis comparemus.

Peccarent verò contra justitiam, quia longè vehementiùs solito urgerent emptorem, eumve fraudibus & mendaciis circumvenirent, ut multò plures quam aliàs merces emeret. Idem dico de iis qui scientes brevi augendum pecuniæ valorem, magnas summas mutuò accipiunt, quas alioqui non accepissent. Ratio est, 1°. quia qui sic se gerunt, ex communi hominum sensu pro deceptoribus habentur; 2°. quia populus à quo pendet pretium naturale, non ità consentit in pretium certo tempore pro mercibus constitutum, ut illud justum esse velit, quando grave inde sequitur emptoris detrimentum, nisi bona fides venditorem excuset: magna enim bonæ hujus fidei habenda est ratio, ut patet ex casu suprà adducto de venditore, qui, si sciat vinum paulò post alteratum iri, tenetur ad restituendum: secùs si vinum quale apud se erat bona fide vendiderit.

ARTICULUS QUARTUS.

Ad quem pertineant fructus & periculum rei venditæ.

Difficultas hujus quæstionis ex eo oritur, quòd inter Theologos non constet quousque perficiatur contractus venditionis per consensum partium, & ante rei traditionem. Paucis dicemus quod hâc de re fusiori & satis ambiguo sermone alii explicant.

1°. Nulla est difficultas quin re venditâ, & emptori qui pretium solvit traditâ, fructus omnes ad eum pertineant, quia plenè rei dominus constituitur. Idem docent, si fides de pretio habita sit emptori, aut ei concessa sit ad solvendum dilatio.

2°. Cùm emptor pretium quidem non solvit,

sed obtulit, itá ut venditor sit in morâ rem tradendi; docent adhuc communiter, fructus omnes esse emptoris; quia res ei debita est, adeòque & fructus qui ex eâ nascuntur: unde venditor tunc tenetur in foro conscientiæ ad omne *interesse*, tam intrinsecum, quàm extrinsecum, quia morâ suâ culpabili causa est damni totius. Interesse *intrinsecum* sunt omnes fructus ex re percipiendi, *extrinsecum* verò sunt fructus ab industriâ emptoris dependentes, ut si rem aliò ubi carior fuisset, translaturus erat.

3°. Major & præcipua difficultas est, an quando pretium non est solutum, nec pro soluto habitum, sed emptor est in morâ; an, inquam, fructus sint venditoris, an sint emptoris. Alii, fructus venditoris esse dicunt, quia res domino suo fructificat; alii, ut Lessius, censent fructus omnes statim à peracto venditionis contractu, pertinere ad emptorem, nisi expressè aliter fuerit conventum; quod si conventum fuerit ut fructus sint venditoris, conveniri quoque debet, inquiunt, ut toto illo tempore periculum sit etiam venditoris.

In Galliâ qui rem frugiferam emit creditò, percipit quidem fructus, sed tenetur pretii interesse solvere, etiamsi res per accidens nullus fructus ferat, ut si domus vel non locetur, vel nonnisi pretio longè minori locari possit. Hæc jurisprudentia pro quâ præcipuè citatur *Arestum* Curiæ Parisiensis, diei 8. Octob. an. 1597. congruit tùm Juri Civili, in quo statuitur usuras seu interesse *pretii post diem traditionis* deberi ab emptore, *quia cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere;* tùm rationi, 1°. quia si emptor fructus perciperet, & non solveret interesse, sequeretur inæqualitas inter contrahentes, dùm venditor re suâ careret ejusque fructibus & pretio, emptor verò hæc omnia servaret sub prætextu quòd subeat periculum interitûs rei, quod periculum moraliter loquendo nullum est. Quale enim est periculum prati? quale domûs bene fundatæ? Et si quod sit, an non emptor illud eodem

L. 13 parag. ff. de act. empt.

subiret modo, si prætium solvisset? 2°. quia alioqui emptor rem emptam aliquando facilè solveret intra paucos annos ex annuis ejusdem rei reditibus.

Neque verò usuræ illæ *lucratoriæ* sunt, quas fatemur legibus prohiberi, sed *compensatoriæ*, quæ ab iisdem approbantur, quæque tenent locum fructuum quos dominus percepisset, si rem suam non vendidisset creditò.

Hic duo notanda; 1°. venditor nihil ultra hasce usuras exigere potest pro quocumque lucro cessante, aut damno emergente; & hoc onus aliquando durissimum justificat Galliæ nostræ leges, quæ primâ fronte theologicis legibus parùm cohærere videntur; 2°. non eodem modo currunt usuræ rei mobilis quo immobilis. Rem paucis tradit autor Instit. ad Jus Gallic. *A l'égard des meubles, l'intérêt du prix n'en est dû que du jour de la demande qui en est faite en justice; & à l'égard des immeubles, l'intérêt du prix en est dû du jour que la chose vendue a été livrée ou offerte.* Addit *Ferriere*, v. *Intérêt*: si venditor certum emptori tempus pro solutione faciendâ præscripsisset, *interesse* debitum non iri, nisi de eo expresè conventum fuisset.

Tom. 3. 23.

Jam videndum ad quem pertineat periculum rei.

Not. 1°. Per periculum rei intelligitur interitus rei, vel ejus deterioratio.

Not. 2°. Res vendita, vel est determinata *in specie*, ut hic equus, hoc dolium vini, vel est *in genere* solùm determinata, & indeterminata in specie, ut si dicatur, Vendo tibi decem oves gregis mei. Rursùs, res determinata potest vendi *quoad corpus*, vel *quoad mensuram*. Quoad corpus quidem, quando aliquid determinatum venditur unico pretio, ut si dicas, Vendo tibi hoc dolium vini 50 nummis: quoad mensuram verò quando res non venditur unico pretio, sed pro unâquaque mensurâ pretium assignatur, ut si dicas, Vendo tibi hoc dolium unamquamque metretam tribus florentis; hoc prædium nummos 20. pro singulis jugeribus. Venditio non desineret

[illegible] uoad corpus, etsi adderetur quantitas rei, v. [illegible] do tibi hoc dolium quod continet metretas [illegible] m : quanquam exigeret æquitas ut prætium [illegible] geretur vel minueretur, si postea detegeretur error in quantitate ; nisi aliter convenerint contrahentes.

Non loquimur hîc nisi de venditione ità perfectâ, ut licitum non sit partibus resilire. Non loquimur etiam de re traditâ ; eam enim emptori perire nemo negat. Quæstio igitur procedit de re pereunte ante traditionem. Sit

CONCLUSIO I. Res vendita, etiam ante traditionem, perit emptori, si sit determinata in individuo seu in specie, ut hæc domus, aut si quoad corpus vendita sit ; modò tamen perfecta & absoluta sit venditio, nec venditor sit in culpâ vel morâ.

Prob. ex Instit. Lib. 3. tit. 24. §. 3. *Cùm emptio & venditio contracta est, quod effici diximus simul atque de pretio convenerit... periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit* : Ergo licèt venditio ante traditionem non transferat inconcussum rei dominium in emptorem ; transfert tamen in eum ex Legis dispositione, rei periculum, sicut & ejus commoda ; qui autem commodum sentit, & onus sentire debet. Atque hanc legem in Galliis etiam servari debere contendit J. Ferriere in citatum Justiniani locum, contra alios quosdam Juris Gallici Interpretes.

Hinc colligit Pontas, vinum quod aliquando vitium contraxit emptori deperiisse, ut statuitur L. *Si vinum*, ff. *de peric. & commodo rei vend.* Notand. tamen cum Cujatio & Ferriere ibid. quòd *vino vendito perfecta venditio non censetur ante degustationem ; quia non solet vinum emi nisi sub conditione degustandi* : unde degustatio hæc est conditio venditionem suspendens.

Dixi 1°. in Conclusione *modò venditio perfecta sit & absoluta* ; quia conditio suspendit contractum, *ut alibi diximus.*

Dixi 2°. *modò etiam venditor non sit in culpâ vel morâ.* Venditor enim rem custodire tenetur donec tradiderit; quapropter si res pereat aut fiat deterior, ejus culpâ gravi vel levi, ipse de damno tenebitur; secùs si culpa ejus levissima fuerit, ut patet ex iis quæ alibi diximus de Contractu qui cedit in utilitatem utriusque contrahentis. Sed major est venditoris obligatio, si sit in morâ: tunc enim tenetur etiam de casu fortuito. Si solus emptor sit in morâ, periculum ad ipsum pertinet. Si alter post alterum sit in morâ, periculum est illius qui posterior est in morâ, nisi tamen mora prioris sit causa moræ posterioris. Si verò uterque simul fuerit in morâ, damnum in solum emptorem cadit, ex L. 51. ff. *de action. empti*, &c.

CONCLUSIO II. Res indeterminata, vel determinata quidem, sed vendita quoad mensuram, & non quoad corpus, perit venditori, quandiu non est mensurata; idem dicendum de re nondum numeratâ aut ponderatâ.

Prob. quia hujusmodi venditiones fiunt ex dispositione Juris sub hâc tacitâ conditione: *Si res per traditorem fiat determinata:* aut, *si res mensuretur coram emptore, aut alio qui vices ejus gerat.* Atqui periculum rei venditæ sub conditione pendenti, pertinet ad venditorem; tandiu autem pendet conditio, donec res mensurata aut ponderata fuerit; Ergo.

Hinc si emeris decem oves ex grege, & totidem mortuæ sint, non tibi perierunt, sed venditori. Ratio est, quia emptor retinet jus in genus: *genus* autem *perire non potest*, ex recepto axiomate.

Sed quid, si grex totus perierit?

R. Venditor numerum quem indeterminatè vendidit, aliunde præbere debet: quod si in pactum deduxisset se numerum hunc ex tali grege esse desumpturum, & is sinè domini sui culpâ periisset, sufficeret ut acceptum pretium redderet, & ad id teneretur, ex Sylvio & aliis quibus adjungimur.

Obj. ex Leg. 34. ff. de contrahendâ empt. Si emptio

ita facta fuerit, Esto mihi emptus Stichus aut Pamphilus, in potestate est venditoris quem velit dare.... sed uno mortuo, qui superest dandus est: & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem pertinet. Sed & si pariter decesserunt, pretium debebitur, unus enim utique periculo emptoris vixit. Idem dicendum est etiam si emptoris fuit arbitrium quem vellet habere: Atqui ea Lex manifestè pugnat contra decisionem nostram. Qui enim emit è grege Petri decem pecora, emit disjunctim decem hæc, vel illa; ergo ceteris pereuntibus, decem hæc quæ supersunt debentur emptori, ut eidem debetur Stichus, si mortuus sit Pamphilus: Ergo si decem hæc postrema pereant, perire debent emptori, cui per aliorum mortem quodammodo determinata sunt; sicut si post Pamphilum moriatur Stichus, is emptori perit.

R. cum Lugo, neg. paritatem. Ratio est, quòd quando disjunctim emitur unus servus ex duobus, is absolutè emitur: quare qui ultimus manet, absolutè & jam determinatè emptus est. Atverò cùm res ad mensuram vel numerum emitur, declarant expressè Leges eam non emi absolutè, sed sub hâc conditione, si numeretur, &c. Ergo quandiù numerata non est, soli venditori perire debet.

Hic tamen notandum est, quòd licèt periculum rei indeterminatæ, vel venditæ ad mensuram, pertineat ad venditorem quoad substantiam rei, periculum tamen valoris rei spectat ad emptorem; quapropter si res interim melior fiat, aut deterior, absque venditoris culpâ, incommodum sicut & commodum in emptorem cadet.

ARTICULUS QUINTUS.

De obligationibus Venditoris & Emptoris.

PRæcipuæ emptoris obligationes sunt, 1°. ut pretium integrum solvat tempore constituto: 2°. ut restituat *quanto minoris* rem emit; 3°. ut si venditor

rei pretium ignoret, hunc moneat, vel generaliter dicendo rem pluris valere, vel etiam specialiter si opus fuerit, assignando justum pretium, licèt infimum assignare possit, quia infimo emere potest: unde ad restitutionem tenetur qui ab hebete rustico gemmam emit multò minoris quàm sciat eam valere, quod verum est, etiamsi rusticus eam offerat pretio viliori. Quòd si quis emeret gemmam, cujus ipse solus miram aliquam virtutem cognosceret; aut herbarum fasciculum, in quo laterent herbæ pretiosæ, statim nisi emantur, à venditore tradendæ animalibus in pabulum, sufficeret ut eam emeret pretio communi, quia privata sua cognitio ei nocere non debet.

Obligationes venditoris sunt 1°. ut rei venditæ dominium tradat prout conventum est; 2°. ut quandiu eam servat, servet quasi suam; 3°. ut rescindat venditionem vi, metu, vel dolo factam, aut emptoris damnum ritè compenset; 4°. ut emptorem de occultis rei defectibus admoneat, 5°. ut evictionis lege teneatur. Ex his obligationibus prima, quarta & quinta specialiùs sunt investigandæ.

SECTIO PRIMA.

De traditione & evictione rei.

CONCLUSIO I. Res multis successivè vendita, & nulli tradita, ei est tradenda qui prior emit.

Prob. quia prior emptor plus in rem emptam juris habet; tùm quia qui prior est tempore, est etiam potior in jure; tùm quia res priori vendita, non potuit sinè ejus injuriâ vendi posteriori; Ergo ut hæc injuria reparetur, res ei qui priùs emit est tradenda; quod verum est, etiamsi uterque emptor asserat rem sibi fuisse traditam; quia seclusâ traditione evidenti, jus prioris potius est, ideòque ei in dubio favendum. Si tamen posterior pretium solvisset, non prior, huic ille præferendus esset, quia legitimè præsumeretur traditionem posteriori factam esse.

CONCLUSIO II. Ejus est res vendita, cui tradita est, sive sit prior, sive posterior.

Prob. 1°. quia ex L. 15. Cod. *De re vendic. Quoties duobus... prædium distrahitur, manifesti juris est, eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem*: Ergo qui secundo loco emit, fit dominus rei: idque meritò constitutum est, nè ex inscripto ante diem * contractu, eludantur legitimi emptoris jura; 2°. quia ex alibi dictis, per venditionem solam non acquiritur nisi jus ad rem, per traditionem verò acquiritur jus in re.

* Antidaté.

Hæc juris Romani dispositio respicit bona immobilia perinde ac mobilia. Eadem dispositio viget in Galliis quoad bona mobilia, imò & quoad bona immobilia : licèt multùm disputetur quâ opus sit traditione, an eâ quæ gallicè vocatur *nantissement*, an eâ solùm fictâ traditione quæ per ipsum venditionis contractum fieri censetur; unde in his casibus explorandi erunt locorum usus & praxis.

Quod de venditione, idem dicendum de promissione, donatione, imò locatione : licèt enim ille cui domus locata est, non acquirat per traditionem verum ejus dominium ; acquirit tamen jus detentionis, quo tueri se potest contra alium conductorem etiam tempore priorem ; huic verò non competit, nisi actio personalis in locatorem.

Porrò conclusio nostra limitatur 1°. cùm primus emptor jus habet in privilegio acquirendi dominium sine traditione, ut loca pia & civitates, ex L. final. Cod. *de sacrosanctis Eccles.* Unde in locis ubi prædicta lex viget, secundus emptor aut donatarius, rei etiam traditæ dominium non acquirit, quia resistit privilegium loci pii, &c. 2°. cùm secundus emptor etiam privilegiatus rem emit malâ fide, seu conscius prioris venditionis. Quin etiam evinci potest res uni, etiam privilegiato, & primæ venditionis nescio tradita, si priori res debita sit ex titulo oneroso, posteriori verò gratìs donata sit. Non tenetur tamen donatarius bonæ fidei restituere credito-

ribus, antequam petant, quia neque ratione rei acceptæ, neque ratione injustæ acceptionis tenetur.

Nunc paucis dicendum de evictione. Est autem evictio, rei quam quis emit aut dono accepit ab eodem abductio per Judicis sententiam. *Evictâ re ex empto, actio non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id quod interest competit* emptori, ex L. 70. ff. *de evict.* Porrò ad id obligatur venditor in conscientiâ, etiam ante sententiam Judicis, cùm rem quam vendidit sciebat esse alienam: si verò id ignoraverit, non tenetur reddere emptori interesse vel damna; at eidem pretium restituere debet, aut saltèm id quo ditior factus est. Si emptor sciens & volens rem alienam emerit venditor ad nihil tenetur respectu ipsius, quia scienti & consentienti non fit injuria; sed tenebitur erga verum rei dominum, posito quòd emptor aut nolit, aut non possit damna ejus compensare.

Evictio locum habet non solùm in venditione, sed in quolibet alio contractu oneroso; itèm & in usufructu, quia est quasi pars rei venditæ.

Si res vendita in eodem sit statu cùm evincitur, ac cùm vendita fuit, sufficiet ut venditor restituat & solvat, 1°. pretium acceptum, 2°. impensas contractûs, 3°. quod ad rem obtinendam solvendum fuit, ut jura censualia, *les lods & ventes.*

Si rei valor imminutus sit, vel ab intrinseco, quia nunc minoris venduntur res ejusdem naturæ quàm tempore contractûs; vel ab extrinseco, putà quia *ex mille jugeribus traditis ducenta flumen abstulit*, non tenebitur venditor bonæ fidei nisi valorem præsentem refundere emptori; in hoc enim solùm valore consistit damnum quod patitur. Si è contra rei valor creverit, venditor incrementum hoc emptori refundere tenetur, quia emptor damnum hoc ex evictione patitur. Quæ verò sit venditoris obligatio erga dominum cui res evicta reddetur, colligendum est ex iis quæ dicta sunt ubi de possessore bonæ & malæ fidei.

Venditor de evictione non tenetur, 1°. si emptor ion denuntiet motam esse litem super illâ re, ut rideat an eam defendere velit; 2°. si expressum uerit in contractu, ut venditor bonæ fidei de evicione non teneretur, aut si venditore absente empor non appellaverit.

SECTIO SECUNDA.

An teneatur Venditor rei defectus aperire.

VItium rei vel manifestum est, vel occultum; utrumque verò potest facere rem emptori vel ericulosam, vel noxiam; periculosam, cùm emptor el nullatenùs, vel sine periculo eâ uti non potest; oxiam verò, cùm res quæ quia vitiosa est minoris alet, tanti venditur ac si nullum haberet defecım, ut si quis vendat vinum aquâ mixtum. Sit

CONCLUSIO I. Vitium occultum debet à vendi- ›re etiam non rogato manifestari; si rem emptori ericulosam faciat aut noxiam, aut inutilem ad effecım propter quem emitur.

Prob. quia ex S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 2. *dare licui occasionem periculi vel damni semper est illitum* : Atqui *venditor ex hoc ipso dat emptori damni el periculi occasionem quòd rem vitiosam offert, si e ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit;* rgo *si hujusmodi vitia sunt occulta, & ipse non deçat, erit illicita & dolosa venditio, tenetur ventor ad damni compensationem.*

Obj. 1°. Non tenetur puella quæ occulto amissæ irginitatis vitio laborat, illud aperire amasio vonti eam ducere; Ergo à pari.

R. neg. conseq. quia puella se diffamaret; ad iod regulariter loquendo nemo tenetur : vendir verò mercis suæ vitium detegens, seipsum non famat, sed potiùs probitatem suam exerit.

Obj. 2°. Non magis tenetur venditor ignotum rei æ vitium detegere emptori, quàm emptor ignom venditori rei ipsius bonitatem aperire teneatur:

Atqui emptor non tenetur, &c. potest enim quis emere agrum in quo thesaurum esse novit, & dominum non monere; itèm emere fasciculum herbarum in quo detegit herbam pretiosissimam.

R. ad 1. neg. min. ob rationes suprà allatas.

Ad 2. neg. conseq. Ideò enim licitè emitur ager in quo latet thesaurus, quia thesaurus non est pars fundi, nec magìs pertinet ad dominum fundi, donec eum invenerit, quàm ad eum qui emere vult, & cui privata sua scientia non debet obstare, quominùs rem quæ nullius est acquirat. At verò defectus de quibus nunc agitur, sunt pars intrinseca rei, sicut & bonitas ejus; Ergo emptor de iis moneri debet, etsi dominus fundi de thesauro hìc latente moneri non debeat. Nota; aliud esset de venis metallicis aut mineralibus: eæ enim sunt partes vel fructus fundi; ac proinde de iis moneri deberet venditor, saltèm in locis ubi eædem venæ ad Principem non pertinent.

Quod spectat ad fasciculum herbarum, eadem est disparitas, quia fasciculus ille non venditur nisi secundùm rationem pabuli animalium, sub quo respectu herba pretiosa non pluris valet quàm aliæ. At contra equus venalis, v. g. venditur ut ex eo capiantur usus omnes ad quos equi inservire solent: quod fieri nequit si occulti quos habet defectus eum ad hujusmodi usus inhabilem aut periculosum præstent.

Ex conclusione nostrâ colliges quid de iis dicendum sit, 1°. qui in aures equi aut aselli pigri, mercurii guttam infundunt, ut generosi appareant; 2°. qui in sacci summitate triticum melius collocant, aut in extremitate dolii pisces meliores reponunt, ut deceptus emptor, ex iis quæ apparent judicet de iis quæ inferiùs posita non videntur; 3°. qui tenebras quærent ut vitium mercis celent; 4°. qui rei suæ defectus tam confusè declarant ut potiùs insinuent rem suam carere omni defectu: quales sunt qui postquam dixerunt se nolle de ullo rei suæ vitio

ri, addunt v. g. se vendere equum, sive cœcus sive calcitro, aut mordax, involvendo cum ctu quo laborat, plures alios quos evidenter habet, ut in iis apertè mentiendo, putentur iis mentiri; 5°. qui pannum adustum vendunt durabili, domum ruinosam pro firmâ, aromata ida pro recentibus, ovem morbidam quæ gregi oum inferat; 6°. qui aliquo artificio augent lus aut volumen mercis, ut lanii qui parum è bus detrahunt sanguinis, rustici qui avenam ndunt aquâ, aut lanam in locis humidioribus nant: perinde enim est sive circa quantitatem , sive circa qualitatem.

ONCLUSIO II. Si vitium rei non reddat rem ım, nec periculosam, nec notabiliter minùs n quàm emptor rationabiliter exoptet, non ur venditor vitium ejus etiam occultum ape- nisi interrogetur: debet tamen minuere pre- pro ratione vitii. Ità S. Thomas quodlib. 2. 2. & alii communiter, juxta quos Conclusio 1 vera est, cùm venditor probè scit rem ab ore emptum non iri, si noscet rei vitium.

ob. quia alioqui mercatores negotiationi vale- e deberent, si quælibet mercium vitia deberent er non interrogantibus aperire, nec stare pos- ommercia sinè quibus Respublica subsistere ne- mercatores enim omnis generis & qualitatis es emere coguntur, emptas non possunt sem- onservare ut vellent, ipsi sæpè decipiuntur dum es aliundè accersunt: si ergo non nisi merces ectuosas vendere cogerentur, funditùs à fortunâ ent, quia vel emptores ab emendo deterre- ır, vel pretium justo minus offerrent.

nc patet eos excusari posse, qui merces de- osas offerunt iis quos prævident minus pre- oblaturos esse; aut qui vinum minùs exqui- iis offerunt, qui magis exquisitum vellent, descendant in pretio, & non sit notabile dis- m in ordine ad *societatem* humanam. Si quis

tamen vinum notabile & purissimum quæreret ad medicinam, qui ei lymphatum vinum venderet, teneretur de damno secuto. Pariter si vinum quod conservari nequit vendideris ei, qui non emit nisi ut conservet; vel monere eum debes de vini tui qualitate, vel de damno inde secuto teneris. Debes etiam monere, cùm vides nisi monueris, rem ab emptore tanti esse revendendam, ac si omni careret defectu.

Sed quid si vino aqua misceatur?

R. 1°. Est restituendi obligatio, si mixtio vel noxia sit, vel vinum reddat inutile, aut si tanti veneat ac si mixtum non esset.

R. 2°. Si vinum maneat utile, & pretium minuatur; ac demùm emptori indifferens sit ut hoc vel illud vinum habeat, non videtur venditor adversùs particularem emptorem peccare, sed justitiam legalem violat, & peccat adversùs Rempublicam quæ hujusmodi mixtiones odit. Unde facultas Parisiensis an. 1665. propositionem hanc, *Licitum est tabernariis vinum aqua miscere, & agricolis triticum paleis,* aut tritico secale, *& communi pretio vendere, dummodo deteriora non reddantur iis quibus communiter venduntur*, damnavit ut falsam, ac bonæ fidei & publicæ justitiæ contrariam.

CONCLUSIO III. Si vitium rei manifestum sit, & facilè animadverti queat, venditor, si non interrogetur, non tenetur ad ejus manifestationem, maximè dum emptor scientiæ suæ fidens, nihilque de rei qualitate interrogans, ex mercibus sibi oblatis eam elegit quæ sibi placuerit magis.

Prob. ex S. Thom. cujus doctrina ab omnibus recipitur in præsenti. *Si vitium*, ait S. Doctor hic q. 77. art. 3. *sit manifestum, putà cùm æquus est monoculus.... & si venditor propter hujusmodi vitium subtrahat quantùm oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei; quia fortè propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset subtrahendum: unde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.*

onfirm. quia tunc venditor non d cipit empto-, vel ex parte pretii, ut supponitur, vel ex : vitii de quo non loquitur, quia non tenetur oiis partes agere, ostendendo ea quæ per se it, quæque ipse dignoscere potest si debitâ uta- iligentiâ, aut in casu dubii interroget.

uod si venditor animadvertat emptorem non ipere vitium etiam apertum, ob ingenii hebe- iem, debilitatem visûs, &c. tunc eum monere t, sicut monere deberet de vitio occulto. Ratio quia hoc vitium licèt in se manifestum, est tamen ectu hominis hujus occultum.

tsi verò non est contra justitiam non monere torem dum judicio suo fidit, potest tamen id esse atum etiam grave contra caritatem, ut si videat litor emptorem ex simplicitate decipi, remque n emit ei inutilem fore, licèt aliis inutilis futura esset. Imò non desunt qui hìc aliquid justitiæ con- ium subesse putent, præsertim si res empta non ilis tantùm, sed & ementi noxia esse debeat.

ONCLUSIO IV. Si venditor bonâ fide vendat ut gram, rem cujus vitium ignorat, non peccat; et tamen re cognitâ rescindere contractum, vel otori excessum pretii refundere.

rob. 1. pars; quia hujusmodi venditor suppo- ur laborare ignorantiâ quæ excusat à peccato; inc est quòd non teneatur compensare damna, uæ inde provenerint.

Prob. 2. pars; quia venditor alioqui fieret malæ i possessor, utpotè qui retineret excessum pretii n cognovit suum non esse.

Quòd si venditor dicat se rem vendere sicuti est, in se ullatenùs suscipere velle periculum vitii oc- ti, si quod habeat; modò venditor reipsâ nullum re suâ vitium cognoscat, tunc censetur emptor n periculo suo emere; & si quid in ipsâ vitii de- at in posterùm, nullam adversùs venditorem ac- nem habere potest: debet tamen venditor in pre- descendere, quia imponit emptori onus subeundi iculi, quod est pretio æstimabile.

ARTICULUS SEXTUS.

De divisione Emptionis & Venditionis, & præcipuis ejusdem speciebus.

VEnditio multipliciter dividitur; 1°. ratione rei; alia est rei mobilis, ut librorum; alia rei immobilis, ut fundi; alia rei se moventis ut equi.

2°. Ratione modi quo perficiuntur contractus; alia est absoluta, alia conditionalis, alia cum pacto retrovendendi, addictionis in diem, &c.

3°. Ex parte loci & modi quo ad executionem reducitur, alia est quæ fit sub hastâ, voce præconis; alia quæ non fit palàm. Itèm vel fit mercibus minutatim, vel in cumulo venditis.

4°. Ex parte finis: vel enim emitur res ut revendatur, sive mutata per artem & industriam, sive nullatenus mutata, & est negotiatio; vel non fit ob hunc finem, & est communis venditio.

5°. Ratione pretii, alia fit creditò, alia fit numeratâ in præsenti pecuniâ; alia denique fit anticipatâ solutione.

6°. Ratione personæ, alia est quam venditor per se facit, alia quam facit per proxenetas.

7°. Alia fit taxato ad nutum venditoris pretio, & dicitur monopolium; alia fit simpliciter.

Cùm autem variæ illæ venditionum species multa in praxi, cui potissimùm insistimus, scitu difficilia & necessaria includant, ideò de iis quas nondum attigimus specialiùs differendum. Sit itaque

SECTIO PRIMA.

De Venditione & Emptione cum pacto factis.

VEnditio & Emptio fieri potest cum triplici pacto, 1°. retrovenditionis vel redemptionis; 2°. legis commissoriæ; 3°. addictionis in diem quibus adjungam contractum Mohatra, & retractum gentilitium.

Venditio

Venditio cum pacto de retrovendendo, gallicè, *Contrat à grace, ou avec la faculté de réméré ou de rachat*, tripliciter fieri potest; 1°. in gratiam solius venditoris, cùm nempè res aliqua venditur eâ * conditione, ut si venditori placuerit, emptor hanc illi revendere teneatur. (Et hoc quidem pactum multis modis fieri potest: 1°. ità ut possit venditor redimere quandocumque voluerit; 2°. ut non possit ante certum tempus; 3°. ut non possit post certum tempus; 4°. ut possit certâ anni parte, v. g. in fine cujuscumque anni, non autem alio quovis tempore.) 2°. In gratiam solius emptoris, cùm venditor tenetur rem suam redimere & recipere, statim ac emptori placuerit; 3°. in favorem utriusque, cùm contrahentes inter se conveniunt, ut quoties emptor reddiderit venditori rem emptam, reddatur ei pretium. Quæritur an ii contractus liciti sint; quâ de re sit

CONCLUSIO I. Contractus cum pacto retrovenditionis in favorem solius venditoris, licitus est, si adsint conditiones necessariæ.

Prob. 1°. Licitus est ille contractus qui approbatur in Scripturâ, nec prohibetur Jure vel civili, vel canonico: Atqui talis est contractus cum pacto retrovenditionis, de quo loquimur: 1°. enim approbatur, imò & quasi præcipitur cap. 25. Levit. v. 24. *Cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur;* & v. 29. *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi donec unus impleatur annus.* Verum quidem est quòd juxta Moïsis legem fructus interim ex possessione percepti

* Conditio hæc his plenè exprimitur verbis in Galliâ : *Et toutefois a été convenu que le vendeur, ses hoirs & ayant cause pourront, si bon leur semble, retirer ledit héritage dans tel temps, en remboursant le prix qui a été touché par ledit vendeur, les frais & loyaux coûts.* Elapso tempore quo partes convenerant, opus est sententiâ Judicis quâ venditor suo redimendi jure privetur : alioqui enim servabit idem jus per annos 30. nisi agatur de contractu matrimoniali. *Vide Ferriere*, v Réméré.

in pretii partem computari deberent; at id ex rei naturâ necessarium non est, ut mox patebit; 2°. is venditionis modus nedum Jure civili reprobetur, imò ab eo autoritatem habet, ut patet ex L. 2. Cod. *De pactis inter emptorem & vendit. &c.* 3°. Eadem venditio satis evidenter approbatur in Jure canonico: ibi enim approbantur census redimibiles, de quibus infrà: Atqui ii census semper annexum habent pactum redimendi in gratiam venditoris; Ergo à fortiori idem pactum in aliarum rerum venditione fieri poterit.

Prob. 2°. Dominus rei ità est illius arbiter, ut possit emptori imponere omne onus quod voluerit, modò & in pretio juxtà ejusdem oneris gravitatem descendat, & nihil faciat contra leges; Ergo sicut posset domum vendere eâ lege ut emptor eam nunquam alienare posset, sic & eam vendere potest hoc pacto, ut emptor eam non semper retineat, sed vel sibi, vel aliis retrovendat certo tempore.

Obj. Usurarius est communis sententiâ contractus pignoratitius, per quem homo qui pecuniam mutuo dat alteri, recipit in pignus fundum fructiferum, & fructus perceptos non computat in partem sortis: Atqui contractus venditionis cum pacto retrovenditionis similis est contractui pignoratitio; in hoc enim sicut & in illo emptor accipit fructus rei emptæ, & nihilominus totam sortem seu omne quod dedit pretium recipit; Ergo.

R. neg. min. In contractu enim pignoratitio est mutuum saltèm virtuale, adeòque & usura, statim ac aliquid, fructus nempe, accipitur supra sortem: at in contractu cum facultate *redimendi*, nihil est quod mutuum sapiat. Nam 1°. ubi est mutuum, potest mutuans post certum tempus sortem suam repetere, invito etiam mutuatario; sed ubi est solum pactum retrovenditionis, emptor pretium recuperare non potest si venditor nolit; 2°. in mutuo tenetur mutuatarius sortem reddere, etiamsi pignus quod mutuanti dedit, perierit, modò perierit sine istius culpâ: Atqui

in casu contractûs sub retrovenditionis pacto facti, res empta emptori perit, nec tenetur venditor pretium reddere, nisi res quam vendidit reddatur sibi.

Dixi in Conclusione, *si adsint conditiones necessariæ.* Eæ verò sunt, 1°. ut contrahentes veram habeant intentionem emendi & vendendi; si enim malint mutuum exercere, quàm vendere & emere, non carent usurâ; 2°. ut hæreditatis venditæ dominium pertineat ad emptorem qui fructus percipiat ut suos, & subeat rei periculum, prout res unaquæque domino perit; 3°. ut servetur identitas rei venditæ, ut si vendatur vacua, vacua revendatur; si cum fructibus, cum frùctibus redimatur; 4°. ut non vendatur pretio nimis vili, quod reprobatur in jure. Debet tamen res cum pacto retrovenditionis vendita minùs vendi quàm valeat secundùm se, quia gravamen quo rem non possides incommutabiliter, sed aliquando eam revendere cogeris, debet pretium ejus minuere, ad arbitrium viri prudentis, ità ut habeatur præsertim ratio termini ad rem retrovendendam præfixi; 5°. nec addi debet pactum quod res minoris revendatur, cùm possit pluris valere cùm revendetur, quàm cum empta est. Imò res hæc generatim pluris revendi debet, quàm empta fuerit; quia emptori datur cum gravamine; cum autem revenditur ab emptore, tanti valet quanti secundùm se æstimatur, quia tunc nullo gravata onere revenditur.

CONCLUSIO II. Contractus venditionis cum pacto redimendi in favorem solius emptoris, in praxi tutus non est; sed procul amandari debet.

Prob. Contractus ille sic fit: Petrus emit à me vineam vel pratum mille aureis, quos dat cum pacto ut cùm ipse voluerit, ego hæc redimere tenear; colligit ipse fructus vineæ vel prati; & postea vult ut ea quæ vendidi mille auris redimam: Atqui hic contrahendi modus usuram sapit. Quid enim est hoc aliud, quàm mihi mille aureos mutuo dare, & fructus vineæ meæ instar lucri supra sortem percipere?

Nec dicas in hoc contractu veram esse emptionem, ut ex eo patet quòd si res pereat, emptori pereat; unde is pretium suum recuperare non poterit in casu quo res actu & de facto periisset.

Nam 1°. hæc probant fieri quidem posse ut in rigore & metaphysicè hujusmodi contractus usuram non includat: sed non probant eum non esse periculi plenum; 2°. quale subit periculum qui pratum emit, aut alia id genus; 3°. qui hujusmodi contractum omninò non condemnant, varias requirunt conditiones quæ ferè nunquam apponuntur ab omnibus lucri avidis: ut, v. g. fructus percepti in partem pretii computentur, aut saltèm ut emptor majori pretio rem emat, propter onus ab ipso impositum venditori rei redimendæ; eamque venditor redimat pretio minori, utpotè qui eam redimendo, nullum emptori onus imponat.

Ex his colliges, contractum cum pacto retrovenditionis in favorem utriusque, licèt minùs habeat periculi, satis tamen habere mali, ut permitti non debeat, præsertim cùm facilius sit emptori rem reddere perceptis ejusdem fructibus, quàm venditori reddere pecuniam: solent enim qui bona sua sic vendunt, vel vendere simulant, in magnis angustiis esse.

Ut explicetur an legitima sit venditio, cum aliis pactis facta,

Quæres 1°. an licitum sit pactum *legis commissoriæ.*

Not. pactum illud fit cùm quis eâ lege vendit, ut nisi emptor intra certum tempus pretium solvat, res sit inempta, & contractus irritus, nisi tamen venditor in cujus solius arbitrio est legem commissoriam exercere, ei renuntiare malit, & contractui stare. Est & alia pacti legis commissoriæ acceptio, de quâ infrà cap. 3. art. 4. sect. 2.

R. Pactum illud licitum esse, 1°. quia approbatur in Jure civili; 2°. quia nemini facit injuriam.

Quæres 2°. quid sit venditio cum pacto *additionis in diem.*

R. eam esse quâ aliquid venditur eâ conditione ut si alius intra tempus definitum meliorem offerat conditionem, sive aliquid addendo pretio, sive solvendo loco & tempore opportuniori, sive aliter, res maneat inempta. Et hæc venditio iisdem de causis justa est & licita, propter quas licitam esse diximus venditionem cum pacto legis commissoriæ; modò absit fraus & dolus, putà si venditor quem pœnitet contractûs, fictum emptorem induceret, qui majus pretium offerre simularet.

Sed ad quem dissoluto contractu pertinebunt fructus medio tempore percepti?

R. Quæstionem hanc pendere ex modo quo venditio celebrata fuit: si enim venditor usus sit verbis directis, disertè exprimentibus contractum ipso facto nullum fore, ac si venditio celebrata non esset; tunc fructus intermedio tempore percepti ad venditorem pertinere debent, prout ad eum pertinerent, si venditio nunquam celebrata fuisset. Ratio est, quia venditio hæc non fuit absoluta, sed sub conditione si pretium solveretur, aut meliorem conditionem alius non offerret: unde contractus remansit in suspenso, & sic fructus domini esse debent pro illo tempore quo conditio perfecta non fuit. Si verò venditor usus sit verbis obliquis & indirectis, quibus exprimeret contractum rescinditurum esse in posterum, vel rem redituram esse ad venditorem; tunc fructus medii temporis ad emptorem pertinent, quia tunc contractus absolutus fuit, & solùm dissolvitur ex tempore quo conditio melior offertur, vel pretium non solvitur. Cautè tamen monet Lessius, in his non tam inspiciendam esse formam verborum, quæ sæpè ambigua est, quàm mentem contrahentium, quando res in foro conscientiæ agitur.

Quæres 3°. quid sit contractus quem Hispani vocant *Mohatra* vel *Borata*; & an sit licitus.

R. 1°. Contractus Mohatra, is est quo homo pecuniâ indigens, emit *creditò* à mercatore merces pretio majori, easque statim ipsi vendit viliori pretio;

& hoc præcipuè invenitur in artificibus, qui vasa aurea vel argentea vendunt rigoroso pretio habitâ ratione operum & * artificii, & ea statim emunt non habitâ ratione operis; unde vas quod centum valet ratione materiæ & operis, centum vendunt *creditò*, & posteà numeratâ pecuniâ emunt 80. non considerando nisi pondus auri & argenti.

* La façon.

R. 2°. contractum hunc, si fiat ex pacto, illicitum esse : unde peccat contra justitiam, qui summo vel medio pretio merces vendit cum pacto ut sibi revendantur pretio infimo & numeratâ pecuniâ.

Prob. 1°. quia Innocentius XI. hanc damnavit propositionem, *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, cum contractu retrovenditionis prævié inito cum intentione lucri.*

Prob. 2°. quia contractus Mohatra mutuum usurarium continet. Ibi est enim mutuum usurarium, ubi quis virtualiter dat mutuo octoginta, ut accipiat centum : Atqui sic se res habet in præsenti contractu, ut patet ex casu aurificum quem statim retulimus; Ergo.

An autem contractus ille secluso omni pacto & scandalo licitus sit, controvertitur. Negat S. Antoninus; affirmant alii communiter. Si enim rem quam summo pretio emi, possim statim alii vendere pretio infimo, cur eandem non possim eodem pretio vendere ei à quo ipsam emi, cùm hanc ipse bonâ fide vendidit, & nec explicitè, nec virtualiter exegit à me ut eam ipsi retrovenderem? Certè fatentur omnes eadem vasa quæ mercator pluris vendidit, posse in aliâ occasione ab eodem minori pretio redimi, quia secundùm communem æstimationem vasa argentea non tanti valent in manibus privati hominis, quanti in manibus aurificis.

Quæres 2°. quid sit retractus gentilitius, & an licitus.

R. esse jus concessum proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi contractum venditionis, & ad se revocandi rem im-

mobilem, idem reddendo pretium quo res illa ab extraneo vel à remotiore consanguineo empta fuerat. Porrò retractum hunc, licèt vi ejus res immobilis eodem debeat pretio retrovendi quo empta est, omnino licitum esse, hinc patet quòd multarum nationum moribus, Principum & Legum autoritate, populorum qui sub eo pacto vendunt & emunt consensu, & aliquali res avitas in familiis conservandi necessitate introductus sit. Definitionem ejus explicabimus per partes, ut varios qui ad hanc materiam pertinent casus resolvere faciliùs possint juniores Confessarii.

Dicitur 1°. *jus* : ac proinde peccat contra justitiam, qui fraude & dolo, v. g. simulando se pluris emisse, impedit nè venditoris consanguineus rem à proximo suo parente venditam retrahat.

Dicitur 2°. jus concessum *proximo parenti* : hinc generatim loquendo, peccant contra justitiam, 1°. qui rem retractam reddere nolunt parenti viciniori qui jure suo uti vult Sed hìc videndæ locorum Consuetudines : quædam enim, ut consuetudo Parisiensis & aliæ non paucæ, propinquiori qui lentior est in retrahendo præferunt diligentiorem : quædam verò propinquiorem præferri decernunt : si plures in eodem gradu positi jus suum excercere velint, præfertur diligentior ; 2°. qui rem retrahunt vel in favorem amici, vel ut majori pretio vendant. Alia est conditio domini feudalis : is enim jus suum retractûs *feudalis* seu *censualis* potest alteri cedere, vendere & omni modo transferre. Quod docet Cabassutius, jus retractûs feudalis excludere, ipsos quoque agnatos emere aut retrahere volentes, falsum est in Galliis, ut docent Jurisconsulti * nostri,

Retrait féodal.

* Le retrait conventionnel (qui produit l'action de réméré) est préféré au lignager, & le lignager est préféré au féodal *Ferriere*, v. Retrait. Le retrait lignager est tellement préférable au retrait féodal, qu'un parent de la ligne peut exercer le retrait lignager contre le Seigneur qui a retiré, par retrait féodal, un fief qui étoit propre... Le retrait n'est

Dicitur 3°. *intra certum tempus* ; elapſo enim anno & die tollitur facultas retractûs : is verò annus currit contra majores & minores, abſentes & præſentes, abſque ullâ ſpe reſtitutionis. Retractus feudalis intra 40. dies exerceri debet juxta Conſuetudinem Pariſienſem.

Dicitur 4°. *rem immobilem* : quia mobilia etſi pretioſa, cenſus conſignativi (ſecus de prædiariis, *rentes foncieres*) officia & uſusfructus retrahi non poſſunt.

Quæres an non poſſit pauper conſanguineus rem retrahere, ut eam majori pretio revendat, ſeque ab inopiâ liberet. R. non poſſe, quia jus retractûs non eſt licitum, niſi in caſu per leges expreſſo : porrò leges non permittunt retractum, niſi ut bona à majoribus relicta, in familiis perſeverent, non autem ut conſanguinei ab inopiâ ſe relevent. Quapropter qui retrahit, ſinceram habere debet voluntatem boni quod retrahit conſervandi, eo fermè modo quo qui Beneficii poſſeſſionem init, debet velle illud ſervare ; licèt fieri poſſit ut aliquâ in poſterùm ſuperveniente causâ ab eo recedat.

SECTIO SECUNDA.

De negotiatione.

NEgotiatio propriè dicta, eſt actus quo quis rem aliquam comparat eo animo ut integram & non mutatam vendendo lucretur : unde differt ab artificio, quo quis emit v. g. ferrum ut inde clavos conficiat, & vendat cariùs. Quæritur an negotiatio per ſe licita ſit.

CONCLSUIO. Negotiatio per ſe nec mala eſt, nec prohibita.

point comme une ſeconde vente, & le retrayant ne doit point de droits Seigneuriaux de ſon chef, ſi ce n'eſt qu'il retire ſur le Seigneur même qui avoit acquis ou retenu par puiſſance de fief. *Argou*, *Liv*. 3. *chap*. 8. *pag*. 214. & 210. *Livonieres*, *Liv* 5 chap. 5. n. 19.

Prob. 1°. ex S. Augustino in Psalm. 70. *Negotiatio, hominem non facit malum, sed iniquitas & mendacium.*

Prob. 2°. quia negotiatio ex omni parte bona esse potest; etiam ratione finis, de quo major est difficultas; potest enim quis lucrum labori suo respondens intendere, tùm ut familiam suam sustentet, tùm ut patriam juvet rebus necessariis, cùm non omnis ferat omnia tellus.

Obj. Cap. 11. dist. 88. sic habet: *Nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesiâ.*

R. 1°. cum Sylvio in q. 77. art. 4. verba illa desumpta esse non ex Chrysostomo, sed ex Opere imperfecto in Matthæum, *quod non pauca habet à fide aliena.*

R. 2°. dist. Mercator vix aut nunquam, id est difficilè potest Deo placere, C non potest absolutè, N. Itaque non potest negotiator placere Deo; quia sæpius in lucro finem ultimum constituit, aut utitur *mendacio & perjurio*, ut dicitur cit. cap. 11. unde fatendum negotiationem adeò plerisque hominibus esse periculosam, ut ejus exercitium nemini facilè persuadendum sit; quò facit id Eccli. 26. *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt; difficilè exuitur negotians à negligentiâ*, salutis nempè, ut intelligunt Doctores, & efficaciùs probat experientia; *& non justificabitur caupo*, sive venditor, *à peccatis labiorum.* Quia tamen peccata hæc cum Dei gratiâ vitari absolutè possunt, meritò dicimus *aliquando* licitum esse *negotiari.*

Quæres quibus in casibus negotiatio sit illicita.

R. Negotiationem posse illicitam fieri; 1°. ratione finis, ut si fiat propter solum lucrum, & tunc est peccatum saltèm veniale; si verò ità fiat ut in lucro constituatur finis ultimus, tunc erit, ut loquitur Sylvius, execrabile vitium, etiamsi absque aliâ quâvis injustitiâ exerceatur. Censetur verò mercator ultimum finem suum in lucro reponere, quando

plus lucrum diligit quàm Deum, paratus scilicet Dei & Ecclesiæ præcepta potius transgredi, quàm lucri acquirendi occasionem prætermittere; 2°. ratione materiæ, ut si vendatur res non vendibilis, ut chrisma; vel res quæ licèt ex se vendi possit, prohibetur tamen vendi justâ lege, putà si vendantur Infidelibus arma, ferrum, aut vasa sacra integra: secùs si hæc fracta sint, quia tunc sanctitatem amiserunt; 3°. ratione temporis: ùnde peccant qui diebus festis vendunt; qui tempore Quadragesimæ carnes distribuunt, sive Catholicis, sive Hæreticis qui non ægrotant; ii enim Ecclesiæ legibus ratione Baptismatis subditi sunt; 4°. ratione loci, ut si venditio fiat in cœmeterio, vel locis divino cultui mancipatis. Est quidem alicubi consuetudo, quod cerei & Sanctorum imagines in templo vendantur; sed abusivè, nisi rationabilis excuset necessitas; 5°. negotiatio illicita est, aliquando ratione personæ: sic in Galliâ prohibitum est nè viri nobilis, aut Justitiæ Officiarii mercaturam exerceant * minutatim; sic etiam Clericis negotiari non licet, de quo alibi.

* En détail.

SECTIO TERTIA.

De venditione factâ creditò, vel anticipatâ solutione; itèm de Emptione chirographorum.

TRiplex hìc difficultas discutienda. Prima, possintne res cariùs vendi creditò, seu ob dilatam solutionem, quàm præsente pecuniâ. Secunda, possintne viliùs emi anticipatâ solutione, seu cùm priùs solvitur pretium quàm tradantur merces. Tertia, liceatne chirographa minoris emere quàm contineant. Sit

CONCLUSIO I. Non licet creditò vendere suprà latitudinem pretii naturalis aut legalis; ità Theologi omnes cum S. Thomâ, 2. 2. q. 78. a. 2. ad 7.

Prob. Illud licitum non est, quod mera est usura: Atqui cariùs vendere ob concessam solutionis dilationem, mera est usura; idem enim est ac pecuniam

ex quâ solvendum erat pretium mutuam dare emptori, & pro eâ majorem accipere pecuniæ summam.

Dixi *suprà latitudinem pretii* : quia fatentur omnes eum qui creditò vendit, vendere posse summo pretio ; sicut qui anticipatâ solutione emit, infimo pretio emere potest, quia hæc pretia in se ipsis justa sunt.

Fatentur etiam omnes licitum esse cariùs vendere creditò, 1°. ratione lucri cessantis aut damni emergentis : sed debet venditor emptorem monere se ob illud lucri cessantis incommodum pluris ei vendere quàm res mereatur, ut meliorem, si possit, alibi fortunam quærat. Addit Bannez attentè observandum esse à Confessariis, an non fictus sit ille lucri cessantis titulus, ut esse solet, sive quia mercatores tantam habent pecuniæ copiam, ut eam totam in negotiationibus impensuri non sint ; sive quia tot merces habent, ut partim eas oporteat vendere numeratâ pecuniâ, partim creditò : unde dum creditò vendunt & rigoroso pretio, tam lucrantur, quia multas merces distrahunt, quàm lucrarentur si præsente pecuniâ venderent, quia & minùs mercium distraherent, & eas minori vendere pretio cogerentur.

2°. Cùm venditor pretium suum obtinere non poterit sine expensis, quia expensæ faciendæ locum habent damni emergentis : ut si emptor absens esse debeat, aut si non soleat solvere nisi post multa venditoris ad eum itinera, &c.

Quæres an venditor qui credebat se vendere numeratâ pecuniâ, & cui tamen emptor non vult statim solvere, possit eò quòd creditò vendat, majus pretium accipere. R. Vel venditio perfecta est, vel non : si 1. non potest quidquam exigere supra pretium conventum : si 2. potest intra justam latitudinem pretium augere, quia supponitur venditio nondum peracta esse.

CONCLUSIO II. Non licet infra pretium vel legitimum vel naturale emere propter anticipatam solutionem.

Prob. quia ut loquitur S. Thomas, *ista anticipatio solutionis pecuniæ habet rationem mutui ab emptore dati, cujus quoddam pretium est quod diminuitur de justo pretio rei emptæ;* Ergo.

Quæres an sumi debeat pretium à tempore quo res traditur, an ab eo quo venditur.

R. sumendum esse à tempore quo res traditur. Ratio est, quia res aliquot post venditionem mensibus tradendæ, non emuntur prout sunt actu cùm venditio fit, sed prout erunt cùm tradentur: Ergo ut justum sit pretium, debet constitui secundùm æstimationem quam habebunt eo tempore quo tradentur; Ergo iterùm, si quid de eo pretio detrahatur, detrahitur ob anticipatam solutionem, quod est usurarium.

Favet admodùm caput finale *De usuris*, in quo tria notant Theologi : 1°. in dubio an merces tempore traditionis *plùs vel minùs* valituræ sint, possunt vendi juxta pretium quod habent tempore contractûs & solutionis anticipatæ; quia in hoc casu æqualis est sors vendentis & ementis; 2°. si vendens statuerit merces servare usque ad tempus quo pluris verisimiliter vendentur, idque declaraverit emptori, potest absque injustitiâ propter lucrum cessans eo pretio merces vendere, quo vendendæ erant eo tempore ad quod illa servaturus esset, deductis tamen expensis quas ad earum conservationem facturus erat, & computatâ frumenti v. g. & olei diminutione; 3°. si certum sit è contrario merces pluris valituras tempore traditionis, injustus & usurarius censeri debet, qui ob anticipatam solutionem eas viliori pretio emit.

Quod spectat ad tertiam difficultatem de chirographis, an minori pretio emi possint; sensus quæstionis est, an si Petrus dederit mihi chirographum quo obligatur ad solvendum mihi 100. nummos post sex menses, possit quis factâ mihi in præsenti solutione, hocce chirographum 90. tantùm nummis emere. Huic quæstioni alia conjungitur, an liceat

annuum censum ex *contractu consignativo* emere minori pretio quàm creatus sit. Quam quæstionem Galli autores his verbis proponere solent : *Est-il permis d'acheter un contrat de constitution pour une somme moindre que la somme principale pour laquelle la rente a été créée ; comme d'acheter dix mille livres, une rente de mille livres , dont le prix de la constitution, qu'on appelle le sort principal, est vingt mille livres ?*

R. Vel chirographa quæ emuntur sunt liquida, certa , facilis solutionis ; vel sunt litigiosa , solutionis incertæ , & quæ non sine difficultate & molestiis exigi possint. Si primum , non licet hæc minoris emere quàm contineant. Ratio fundamentalis sic proponi potest : Iniquus est contractus in quo non servatur æqualitas pretii cum re emptâ : Atqui in contractu quo chirographa certa & facilia emuntur minoris quàm contineant , non servatur æqualitas pretii cum re emptâ. Ut enim tunc non servetur æqualitas pretii cum re emptâ , unum sufficit , nempè ut nummi centum post sex menses solvendi , tanti valeant quàm nummi centum actu præsentes : Atqui secluso lucri cessantis aut damni emergentis periculo, centum nummi post quatuor aut sex menses solvendi , tanti valent quanti nummi centum præsentes ; quandoquidem valor eorum ob solam solutionis dilationem minui non potest ; alioqui licita esset usura , quæ ob solutionis dilationem aliquid accipit supra sortem ; Ergo.

Et verò qui chirographum centum nummorum post sex menses solvendorum emit nummis 90 præsentibus, idem facit ac si nummos 90 actu mutuo daret , eâ conditione ut post sex menses centum reciperet : Atqui hoc mera est usura.

Obj. ex Reg. 204. ff. *Minùs est habere actionem quàm rem* : Atqui cùm emitur chirographum , non emitur pecunia , sed actio ad illam.

R. dist. ant. Minùs est habere actionem , si res ad quam datur actio obtineri non possit sine periculo,

labore & expensis, C. si sine his difficultatibus res obtinenda sit, ut sæpè fieri potest, N.

Ex his principiis colligit Habert, non licere contractum censûs consignativi minori emere pretio quàm quo creatus est. Etverò extat apud Pontas, v. *Achat*, cas. 15. resolutio anno 1673. à multis Sorbonæ Doctoribus emissa, quâ usuraria declaratur emptio censûs consignativi minori pretio facta, quàm idem census valeat secundùm se, & ratione principalis. Huic sententiæ ut tutiori & probabiliori regulariter adhærendum est.

Quòd si chirographi aut censûs solutio difficilis sit & incerta, fatentur omnes licitum esse hæc minori pretio emere: sicut enim quod tantùm est in spe, minoris valet quàm quod est in actu; ità quod dubium est, minoris æstimatur quàm quod est certum. Non potest tamen census redimi à vendente, nisi eo quo constitutus est pretio.

Sed quid si debitum in se arduum & difficile, possit facilè & absque expensis recuperari ab emptore, eine licebit emere pretio viliori?

R. affirmat. tum quia valor rei non sumitur ex utilitate privatâ ementis, sed ex communi hominum æstimatione, quæ profectò dubium chirographum longè minori loco haberet quàm certum, si uterque venalis exponeretur: tum quia major utilitas quæ tunc emptori accrescit, non ex ipsâ re proficiscitur, sed tota oritur ex industriâ vel fortunâ emptoris; Ergo utilitas hæc proprium est emptoris bonum; quod ei proinde vendi non potest ab eo qui chirographum vendit; venderetur autem si majus ab eo quàm à ceteris omnibus pretium exigeret. Etverò merces magno pretio vendi possunt ab eo relativè ad quem eædem merces non jam tanti sunt pretii, eò quòd noverit magnam propediem earumdem copiam in eum ubi vendit locum adventuram esse; Ergo à pari.

SECTIO QUARTA.

De Venditione per proxenetas, & eâ quæ fit acceptâ arrhâ.

NOt. 1°. Per proxenetas seu factores ii intelliguntur, quibus aliquid committitur vendendum aut emendum nomine communitatis.

Not. 2°. Certum est proxenetas qui rem supra justum pretium vendunt, teneri ad restituendum excessum, non domino, sed emptori, cùm huic, non illi injustitiam fecerint.

Not. 3°. quòd si rem vendendam industriâ suâ melioraverint, ideòque majori vendiderint pretio, possint aliquid sumere quod industriæ suæ respondeat. Idem dicendum si ad rem majori pretio vendendam extraordinariè usi sint diligentiâ, & qualis nec debetur domino, nec ab eo exigi solet: ut si factori commissa sit res Parisiis vendenda, & is non nisi viginti in ejus pretium reperiens, eam aliò transtulerit ubi triginta intra justi pretii latitudinem vendita fuit.

Not. 4°. certum adhuc esse, quòd si expressè vel tacitè cum domino convenerit proxeneta, ut retineat id in quo excedet pretium sibi præfixum, possit illud servare. *Expressa* est conventio, si dicat dominus: Tanti rem vende; quod ultra erit, tuum esto: *tacita* verò, si dominus ei qui nec famulus suus est, nec ità amicus ut operam ejus gratuitam fore meritò præsumat, si, inquam, ei dominus venditionem committit, nihil ei assignando stipendii pro labore & industriâ; meritò enim præsumitur in stipendium assignare quod ultra præfixum pretium invenerit, nisi diligentiam excedat & laborem. Cavendum tamen nè occultæ compensationi janua temerè aperiatur. His præmissis casibus,

Quæritur 1°. an proxeneta qui vendit supra vel emit infra constitutum sibi pretium, possit id quod *supra vel infra est, sibi retinere*. R. neg. quia nullo

ex titulo tale incrementum assumere sibi potest. Non ratione rei quæ sua non est, non ratione laboris, quia stipendium pro eo recipit, seu particulariter seu generaliter si sit famulus qui quotannis certâ mercede donatur; non etiam si se spontè obtulerit, ut tanquam amicus aliquid emeret aut venderet; non denique quia dominus ei pretium hoc expressè aut tacitè assignaverit; quod hîc non supponimus; Ergo.

Quæritur 2°. an si rei dominus dixerit proxenetæ, Vende librum hunc libris gallicis decem aut novem quæ sunt pretium medium & infimum, possit proxeneta rem pretio illo sibi emere, & sic factam suam aliis summo pretio revendere, incrementum sibi servando. R. id licitum esse, utpotè quod nullum afferat damnum, seu domino cui datur pretium quod ipse præfixit, seu aliis quibus venditur in summo pretio, quia summo pretio vendere licet cùm sit intra latitudinem justi.

Ad hanc tamen commercii speciem necesse est, ut proxeneta rei sic emptæ periculum in se suscipiat, & statuat taxatum à domino pretium solvere, etiamsi contingat ut res tanti vendere non possit, quanti ipsemet emit. Et hæc conditio tàm necessaria est, quàm rara in praxi.

Hinc colliges, nonnisi cautè, & vix unquam permittendum esse ut sartores, architriclini, &c. aliquid à mercatoribus apud quos emunt accipiant; quia quod iis cedit, à domino pro quo fit emptio solvi solet.

Si tamen sartores & alii, jam completo contractu aliquid accipiant à mercatoribus qui hâc gratitudine eos ad officinas suas pertrahere nituntur, id reprehendi non potest; imò nec essent culpandi, si quid ante perfectum contractum acciperent, modò aliundè eorum pro quibus emunt negotium fideliter peragant, quod quia vix unquam evenit in praxi, vix unquam tolerandum est. Utique constat venditores plerosque mentiri cùm dicunt sartoribus, se in eo

rum duntaxat gratiam diminuere pretium mercis; quandoquidem sæpiùs sic affectus est mercator, ut alteri quilibet eodem venderet pretio, quo sartori vendit. Quapropter hæc multùm pendent à circumstantiis: Atqui hîc satiùs est stringi quàm laxari habenas.

Ex his solvi potest casus magni momenti nobis non ità pridem propositus in hunc modum. Michaël pinguem à Rege consecutus Abbatiam, ejusdem locandæ curam committit Joanni rerum suarum præposito. Invisit Andræas Joannem, eique decem libellarum millia promittit, eâ conditione ut se ceteris conductoribus, qui quantumcumque volent pretium spondebunt, præponere dignetur. Annuit Joannes, & postquam increvit licitatio, quousque increscere potuit, Abbatiam locat Andreæ, qui in animi bene memoris signum, pactam pecuniam, (Gallicè *pot de vin*) tradit Joanni. Quæsitum est an Joannes summam hanc sibi posset asservare.

Negavimus, 1°. quia licèt non ignorent domini præpositos rerum suarum solitos esse in hisce occasionibus aliquid accipere pretii, adeòque in id consentire censeantur, haud tamen censentur consentire in lucrum immensum quale illud est de quo agitur in casu proposito, præsertim cùm hæc lucri species non famulis, sed dominis cedere consueverit; 2°. & hæc ratio capitalis est, quia reverà jacturam hanc patitur Michaël. Certum enim est Andræam magno tractandæ Abbatiæ desiderio captum fuisse, cùm tantam ut aliis præponeretur, summam obtulerit; Ergo si certus non fuisset, se ob initum cum Joanne pactum, ceteris licitatoribus præferendum esse, eosdem majoris pretii oblatione superasset, & forsitan ab iisdem tandem fuisset superatus, ut quotidie contingit; Ergo iterùm Joannes in causâ fuit cur Abbatia minori locaretur pretio, ac proinde malè gessit rem heri sui, cui idcircò ad minus restituere debet id quod percepit.

Quod spectat ad arrham, ea describitur, Species

quædam pignoris quod ab emptore venditori datur, sive ut ostendat se venditionem habere pro perfectâ, sive ut rei emptæ pretium solvere incipiat, seu demum in mulctam, si fortè contractui stare nolit. Hinc arrhæ suum, prout facta est conventio, effectum habent, quia *licèt regulariter arrhæ sint perfectæ emptionis & venditionis argumentum, aliquando sunt argumentum emptionis & venditionis contrahendæ*, ut ex variis quas citat Legibus colligit Ferriere in Instit. Lib. 3. tit. 24. tom. 5. Quòd si nulla circa arrhas facta sit conventio, sequenda est legum dispositio. Jure communi *is qui recusat adimplere contractum, si quidem est emptor, perdit quod dedit: si verò venditor, duplum restituere compellitur.*

Instit. id.

SECTIO QUINTA.

De Monopolio.

MOnopolium definitur, Conspiratio quâ pauci aut plures mercatores conveniunt ut vel soli, vel certo, quod ipsi præfixerint, pretio mercem aliquam vendant. Imò qui secum statueret rem certo quodam pretio vendere, is monopola diceretur.

Fatentur omnes licitum esse monopolium, si fiat autoritate publicâ, putà cùm unus vel pauci à Principe obtinent facultatem ut ipsi soli certas merces vendant, quas ab uno vel paucis vendi expedit, sive ob utilitatem quam inde capit Respublica, sive quia ut certæ quædam merces comparentur & expoliantur, tot necessarii sunt sumptus ut ob damni periculum nemo eos in se suscipere vellet, nisi haberet privilegium ut solus venderet.

Sed cùm monopolium tripliciter adhuc fieri possit; 1°. dum aliqui variis stratagematibus efficiunt ut aliæ merces in urbem non introducantur, sicque majori pretio suas venundent; 2°. dum plures mercatores conveniunt de non vendendis aut emendis mercibus, nisi certo quod ipsi assignaverunt pretio: 3°. demum dum unus aut pauci merces omnes aut

majorem earum partem coëmunt, ut eas quo voluerint pretio distrahant; idcirco de iis nobis est differendum. Sit itaque

CONCLUSIO I. Peccant contra justitiam qui vi vel fraude impediunt nè alii merces suas in civitatem invehant; unde tenentur ad restituendum, tum civibus qui cariùs emere coacti sunt, ob majorem mercium inopiam, tum mercatoribus, quos ab introducendis mercibus suis prohibuerunt.

Prob. quia causa sunt injusta damni quod patiuntur tum cives, tum alii mercatores; utrique enim jus habent nè vel sibi mercium abundantia per vim & dolum auferatur, vel mercaturam suam exercere prohibeantur. Hinc patet quàm graviter peccent urbium Præfecti, qui ut cariùs res suas vendant, alieni frumenti aut vini ingressum prohibent.

Si tamen alienarum mercium adventus causa foret cur cives aut vicini merces suas legitimo pretio vendere non possent, liceret extraneos mercatores excludere, tum quia postulat commune bonum, ut loci incolæ extraneis preferantur; tum quia Reipublicæ interest ut pecunia sua extra Provinciam non asportetur. Pariter si quis precibus solùm efficeret, nè mercium copia in civitatem inveheretur, ut ipse suas commodiùs venderet, posset nequidem contra caritatem peccare, si nempe justâ ex causâ lucrum suum intra pretii latitudinem intenderet.

CONCLUSIO II. Peccant contra justitiam mercatores qui conveniunt de non vendendo nisi supra pretium rigorosum, aut non nisi pretio rigoroso.

Prob. 1. pars, quia nemini supra pretium rigorosum vendere licet. Hinc mercator qui monopolii particeps non esset, vendere tutâ conscientiâ non posset eo pretio quod alii monopolæ supra rigorosum constituissent. Idem servatâ proportione dicendum de emptoribus qui conveniunt ut non nisi infra pretium infimum emant. Ratio est, quia pretium illud reipsâ injustum est. Si tamen merces ob monopolium raræ *factæ essent*, posset is etiam qui mo-

nopolii particeps non esset, eas pluris vendere; quia merces raræ pluris in rei veritate valent quàm communes.

Prob. 2. pars, quia Cives jus habent nè cogantur emere summo pretio, aut vendere infimo; hinc juxta Leges forum rerum venalium liberum esse debet ad contrahendum intra justi pretii latitudinem.

Obj. Ante conventionem venditores jus habebant vendendi summo pretio merces suas, modò tamen intra latitudinem justi: Atqui jus illud per conventionem inter se factam non amittunt; & nihil aliud post eam conventionem faciunt, quàm ut merces suas summo & tamen justo pretio distrahant.

R. neg. min. & dico venditores facto monopolio non solùm vendere pretio rigoroso, quod licet, sed alios cogere ut emant pretio rigoroso, quod non licet, quia non licet suam ementibus libertatem auferre.

Instit. 1°. Si quis amico suo consulat ut vendat pretio rigoroso, non peccat; Ergo nec monopolæ qui idem inter se faciunt.

R. neg. conseq. Monopolæ enim non tantùm sibi invicem consulunt, sed etiam inito contractu, imò nonnunquam juramento se ad certo pretio vendendum obligant: ex hâc verò ipsorum obligatione, quam simplex consilium non pareret, sequitur in emptoribus necessitas rigoroso pretio ea quæ sibi necessaria sunt comparandi; per hoc autem justitiam lædi contendimus.

Instit. 2°. Qui violant justitiam tenentur ad restituendum: Atqui ii monopolæ ad id non tenentur; tùm quia nonnisi justo pretio vendidêre; tùm quia quid restituere debeant assignari non potest.

R. neg. min. & dico eos teneri ad restituendum, non propter excessum pretii, sed propter injustè ablatam civibus libertatem emendi infra summum, aut vendendi supra infimum: hæc autem restitutio ex prudentis viri arbitrio facienda est; attendendo præsertim spem majorem aut minorem quam habere

oterant cives emendi viliori pretio, aut vendendi najori. Censent aliqui contractum reduci debere d pretium medium; & id satis justum videtur, quia sic reponitur æqualitas.

Fatendum tamen excusari emptores qui statuerent infimo solùm pretio emere ubi venditores summo tantùm pretio vendere statuissent; quia ut clarum clavo pellere, sic monopolium monopolio abigere licet, quò ad æqualitatem deveniatur. Si tamen una pars à monopolio suo desisteret, tenetur & alia desistere à suo.

CONCLUSIO III. Quando unus vel pauci merces omnes congerunt ut eas aucto pretio vendant, peccant contra justitiam, & restituere tenentur.

Prob. quia mercatores de quibus loquimur pretio nimio vendunt; vendunt enim quasi rarum & deficiens id quod reipsâ abundat.

Et certè frumentum in horreo unius hominis iniquè collectum, non pluris valet quàm si apud multos esset divisum: Atqui tamen non venditur ab uno uti venderetur à pluribus: Ergo.

CONCLUSIO IV. Qui merces suas supprimunt ut inde earum pretium augeatur, peccant contra justitiam.

Prob. qui causa sunt cur rebus non raris pretium imponatur ac si raræ forent; adeòque ut nimio emantur pretio: Atqui hæc agendi ratio non caritati tantùm, sed & justitiæ adversatur.

Neque tamen injustitiæ accusandi sunt qui merces suas in illud servant tempus quo eas cariores fore præsumitur; modò caritatem hâc arte non inducant, quia tunc nulli injuriam inferunt.

Ad monopolium injustum referuntur alia quædam illicita, ut 1°. si artifices inter se conveniant, vel ut suos solum filios aut nepotes artem suam edoceant; non autem extraneos, nisi fortè pretio injusto; vel ut opus ab uno inchoatum ab altero non perficiatur; vel ut operas suas nonnisi certo pretio locent; 2°. si mercatores falsum disseminent rumo-

rem naves v. g. mercibus onustas, submersas esse; vineas vel oliveta gelu decocta, monetæ valorem immutatum iri, &c. ut interim eo quo voluerint pretio vendant aut emant; 3°. si fictos opponant licitatores, qui plus offerant ut alii ascendant in pretio.

CAPUT SECUNDUM.

De Mutuo.

MUtuum aliquando sumitur pro ipsâ re quæ mutuo datur, ut cùm dicitur dari vel reddi *mutuum*; aliquando & sæpius pro *contractu* quo ea res alteri datur, atque hæc mutui acceptio præsentis est instituti; mutuum verò sic sumptum definiri potest, Contractus quo res numero, pondere vel mensurâ constans, usuque consumptibilis, transfertur in alterius dominium, cum obligatione aliam ejusdem speciei & bonitatis post temporis lapsum restituendi.

Dicitur 1°. *contractus*, quæ vox tenet locum generis; sic enim mutuum cum aliis contractibus convenit.

Dicitur 2°. *quo res in alterius dominium transfertur*; & sic distinguitur tum ab iis contractibus quibus dominium non transfertur, quales sunt depositum, conductio, locatio, tum ab iis qui non requirunt traditionem rei, quales ii sunt qui utcumque verbis perficiuntur, ut emptio & venditio.

Dicitur 3°. *quo res numero, pondere, vel mensurâ constans*, &c. mutuum enim versatur circa res quarum aliæ in numero dantur, ut pecunia, oves, fructus; aliæ in *pondere*, ut panis, caro, argentum; aliæ in *mensurâ*, ut oleum aliaque liquida vel arida: hinc ut metreta vini, sic ovis una mutuo dari potest. Hinc etiam quia liber, equus & similia non solent tradi ad pondus, numerum, aut mensuram, non reputantur esse hujusce contractûs materia; sed commodati, gallicè: *prêt à usage*.

Dicitur 4°. *usu consumptibilis*, quia mutuum in iis ebus esse solet quarum usus principalis adjunctam abet rei consumptionem; seu *physicam*, qualis est onsumptio rerum quibus ad victum utimur; seu *moalem*, quæ in alienatione aut permutatione consistit, qualis est consumptio pecuniæ quæ licèt non peeat physicè, dicitur moraliter consumi, quià ità deinit esse alienantis, ac si in rerum naturâ non esset.

Dicitur 5°. *cum obligatione reddendi aliam ejusdem peciei & bonitatis.* Mutuum quatenùs habet annetam obligationem *reddendi*, differt à certis contractibus gratuitis, v. g. à donatione, in quâ nullum est nus reddendi: quatenùs res reddenda debet *alia* sse, differt à commodato, locato & conducto, in quibus res eadem reddi debet; quatenùs verò res æc reddenda, licèt alia in individuo, *eadem est specie*, differt mutuum à permutatione, quæ reus potissimùm diversæ speciei perficitur.

Porrò res in eâdem specie morali reddi debet, id est, ejusdem esse bonitatis cum re traditâ à mutuante: unde licèt vinum nobile & deterius ejusdem speciei physicæ sint, haud tamen per deterioris vini restitutionem mutuatarius satisfaceret, si à mutuante generosius vinum accepisset: res enim reddita ejusdem cum acceptâ valoris esse debet, ut servetur æqualitas: ejusdem, inquam, valoris, non extrinseci, qui pro temporum varietate variatur, sed intrinseci. Hinc potest quis satisfacere restituendo in tempore constituto frumenti modium ei quem acceperat non imparem, tametsi frumenti valor multùm imminutus sit.

Dicitur 6°. *post temporis lapsum*: sicque mutuum differt à cambio, in quo datâ re unâ, statim altera redditur, putà nummus aureus pro argenteo. Ex mutuo exurgit in mutuante obligatio non repetendi statim mutuum, sed tempore præfixo: quod si nullum præfixum fuerit; id ex arbitrio viri boni, vel Judicis decreto determinandum est inspectis naturâ rei, personâ & usu ad quem mutuum acci-

pitur. Qui mutuum ſtatim & ſinè causâ repetens; grave mutuatario damnum afferret, graviter peccaret contra caritatem, quin & contra juſtitiam; quia violaret contractum: cùm ſit de naturâ contractûs *mutui*, ut res non repetatur niſi poſt tempus ſeu determinatum, ſeu indeterminatum ad quod res illa conceſſa fuit. Etſi verò mutuans rem mutuo datam non poſſit pro nutu repetere, eam tamen ad nutum mutuatarii recipere tenetur. Quòd ſi mutuatarius fuerit in morâ culpabili, debet damnum mutuanti exortum compenſare.

Ex hâc definitione colliges 1°. quòd ſi Petrus à Paulo 50. nummos mutuatus, ſtatim à furibus expolietur, damnum mutuatarii eſt: ipſe enim, utpotè dominus, de caſu etiam fortuito tenetur; 2°. quòd ſi Titius Joanni mutuos dederit aureos decem, ſingulum quemque viginti libellarum, quorum valor creverit ante tempus reſtitutioni præfixum, non poterit idem Titius niſi ducentas libellas exigere, quia non ampliùs mutuo dedit; ſicut poſitâ aureorum diminutione, eandem nihilominus ſummam meritò repeteret. Poſſet tamen eandem monetam exigere, ſi de hoc pacto quopiam juſto cum mutuatario conveniſſet: ut 1°. ſi mutuans pecuniam ſuam ſervaturus erat uſque in illud tempus, nec mutuo dare voluerit, niſi cum onere reſtituendi ſibi paris conditionis nummos aureos, pro aureis, &c. 2°. ſi de futuro pecuniæ valore & gradu incertus, ad ſe pertinere vellet & emolumentum augmenti, & diminutionis periculum.

Etſi verò ſufficit reddere valorem quem mutui tempore habuit pecunia, non tamen ſufficit reddere valorem quem mutui tempore habebant frumentum, vinum, & ſimilia, ſed hæc ſecundùm ſubſtantiam eâdem reddi debent menſurâ quâ recepta ſunt. Ratio eſt, quia in pecuniâ non conſideratur entitas phyſica, ſed valor ab extrinſecâ Principis æſtimatione dependens: in frumentis verò ex uſu communi attenditur bonitas intrinſeca, & phyſica

rerum

rerum substantia. Quapropter si frumenta & vina pecuniâ æstimentur, æstimari debent pretio quo tempore solutionis veneunt; hoc enim ex iis pretium compararet mutuans, si hæc restituta sibi in eâdem specie vendere vellet.

Nota, quòd si certum aut probabilius esset, rem pluris valituram, quo tempore facienda erit restitutio, non posset mutuans sine injustitiâ tot v. g. exigere vel nummos, vel modios frumenti, quot dedisset, quia tunc plus reciperet quàm dedisset, si non materialiter, saltem formaliter. Hinc, ut notat Sylvius, usuram committit qui *mutuat frumentum vetus, ut reddatur novum eo tempore quo verisimile est illud pluris valiturum.* Idem à contrario sensu dicendum de mutuatario.

Verissimum tamen est quòd in his mutui & usuræ casibus *conscientia aut excusat, aut accusat*: unde quod uni vacat à culpâ, hoc alius sinè usuræ peccato non facit. Ponderanda igitur est plurimùm intentio mutuantis, & dicendum, quòd *quandocumque in mutuo vel ex mutuo intenditur spes lucri, tunc non caret vitio usuræ.... Potest autem excludi spes lucri ab intentione dantis mutuo.... & sic intendens in mutuando excusatur ab omni vitio usuræ.*

Unde colligit Pontas, 1°. eum qui alteri mutuos dat frumenti modios decem, medio mense Octobri, quo tempore venit quisque modius assibus triginta, pacisci cum eo posse ut sibi totidem modios reddat exeunte mense Junio, quo tempore communiter venduntur modii singuli 45 assibus; 2°. posse aliquem mense Martio vel Aprili certam frumenti mensuram mutuo dare eo pacto, ut eadem mensura cum dimidio sibi reddatur, mense Augusto vel Septembri; si constet, aut probabilissimum sit id quod à mutuatario reddetur, non pluris tunc valiturum quàm valeat id quod à mutuante accepit. Ratio est, quia *aliud est vitare damnum, aliud sperare lucrum... quicumque enim ex mutuo sperat lucrum, peccat usuræ vitio... sed non sic qui ex* mutuo

vitat damnum. Porrò qui exigit ut frumentum quod usque ad mensem Junium servaturus erat, sibi solvatur juxta pretium quod eo tempore habet, damnum vitat, lucrum verò non facit.

Variæ porrò assignantur notæ quibus rectane sit mutuantis intentio dijudicari possit. Prima est, ut mutuans *omni tempore paratus sit rem mutuatam accipere, etiam ante illud tempus determinatum quo res verisimiliter debent esse cariores. Hoc modo spes lucri, etsi per accidens intendatur, non tamen per se, quia non tollit rationem gratuiti à mutuo.*

2°. Quod attinet ad casus de frumentis alio tempore quo cariora erunt restituendis, debet mutuans velle frumentum suum, nisi mutuo dederit, servare in illud tempus quo pluris venibit.

3°. Non potest exigere ut res quam mutuo dat, v. g. frumentum, sibi reddatur tempore quo frumentum carius futurum est, nisi propter solam damni proprii vitationem, putà ne frumento carens, teneatur alibi emere pretio majori; & sic reportet *damnum de gratiâ mutui factâ proximo.* Ità idem Autor Opusc. 63.

CAPUT TERTIUM.

De Usurâ.

VIdendum hìc 1°. quid & quotuplex sit usura, & quo jure prohibita; 2°. quibus ex titulis aliquid supra sortem accipere licitum sit; 3°. an vitiosa sint pacta quædam quæ mutuo addi solent, ut pactum remutuandi; 4°. discutiendum quinam ad restituendum ratione lucri usurarii teneantur; 5°. explicandæ sunt usurariorum pœnæ; 6°. & id videndum, an liceat mutuum accipere sub usurâ; 7°. paucis agendum est de Montibus pietatis.

:TICULUS PRIMUS.

Quid sit Usura, quotuplex, an vetita.

ra dupliciter sumitur; 1°. pro actu vi cujus
iquid supra sortem recipitur; 2°. pro objecto
:ctûs, seu pro lucro quod ex mutuo nascitur.
priori sensu definitur, Contractus mutui cum
ione reddendi sortem, & aliquid supra sor-
æcisè vi mutui.

:tur 1°. *contractus mutui*: usura enim neces-
ræsupponit mutuum, seu *expressum*, de quo
tè convenitur; seu *implicitum*, vel *tacitum*,
it quando sub titulo alterius contractûs verè
:uatio.

itur 2°. *cum obligatione*, civili nempè & stric-
'e expressa sit, sive tacita, de quâ paulò post.

itur 3°. *reddendi... aliquid supra sortem;* quod
:*essionem ad capitale*, alii *lucrum dicunt*. Hujus
lucri nomine intelligitur omnis & sola res
æstimabilis; cujus generis sunt non ea solùm
ı foro venduntur, sed & quodlibet munus,
aut civilis obligatio: hinc usurarius est qui
onem habet mutuatarium obligandi ut Bene-
sibi conferat; licèt enim Beneficii collatio,
: spiritualis, pretio æstimari nequeat, ipsa
conferendi obligatio pretio æstimabilis est.
:i, *omnis & sola res*: hinc quia amicitia licèt
æstimetur quàm pecunia, reipsâ tamen auro
;ento non æstimatur, usurarius non est qui ex
› alicujus amicitiam intendit, de quo infrà.

:itur 4°. *præcisè vi mutui*: nam usurarius non
i lucrum aliundè quàm à mutuo percipit etiam
:, ut cùm aliquid supra legitimum pretium
tur: unde talis venditor non incurrit pœnas
'iorum.

Quia verò usuræ patroni notionem ejus inver-
ut aliquid supra sortem absque injustitiâ per-
osse ostendant, ideò sit.

CONCLUSIO Legitima est allata usuræ definitio.

Prob. Legitima est ea definitio, quæ eruitur ex Scripturâ, & ex Patribus, nec aliunde peccat contra Logicæ Regulas: Atqui talis est allata usuræ definitio.

1°. Quidem fundamentum habet in Scripturis, cùm in eis usura explicetur per exigentiam incrementi sortis, per acceptionem majoris quàm quod datum est pretii, ac denique per surabundantiam & excessum supra rem mutuo datam, ut patet ex Levit. 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus.... ne accipias usuras ab eo;* ecce præceptum; *nec amplius quàm dedisti;* ecce præcepti explicatio. Et statim ibid. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & fructuum superabundantiam non exiges.* Unde S. Ambrosius, post relatum eundem Levitici textum, pergit: *Generaliter hæc sententia Dei omne sortis excludit augmentum.*

Idem colligitur ex Ezech. cap. 18. *Si genuerit vir filium... ad usuram dantem & amplius accipientem, nunquid vivet? non vivet.* Et statim: *quod si genuerit filium qui.... usuram & superabundantiam non acceperit, hic non morietur.* Ibi usuræ conscius est, qui *amplius & superabundantiam* accipit: Ergo ex eo loco breviter & nervosè definiri potest usura, *Accessio ad sortem ex mutuo percepta;* quæ definitio ab eâ quam attulimus reipsâ non differt.

2°. Prædicta definitio fundatûr vel potiùs continetur disertè in Patribus. *Usura est*, ait Tertullianus Lib. 4. contra Marcion. *mutui redundantia. Usura est*, ait Augustinus in Psal. 36. *si plus quàm dedisti expectes accipere. Usura est*, ait Basilius, in Psal. 14. *si plus quàm sortem acceperis.*

3°. Demùm eadem definitio nullis Logicæ regulis adversatur: est enim brevis, clara, generéque & differentiâ constat; Ergo.

Hinc apparet quàm vitiosa, quàm verbo Dei contraria si hæc usuræ definitio à politicis quibusdam conficta: Usura est *lucrum ex mutuo pauperibus*

aut indigentibus dato, exactum aut speratum. Quasi verò Scriptura & Patres usurarium lucrum restrinxerint ad mutuum quod pauperibus datur.

† Usura dividitur à Jurisconsultis in *lucratoriam*, *compensatoriam & punitoriam.* Prima est eâ quâ percipitur lucrum ex mutuo. Secunda, quâ exigitur aliquid supra sortem propter compensandum creditoris damnum. Tertiâ, quâ imponitur pœna mutuatario in reddendâ sorte moroso.

Usura lucratoria, de quâ solùm agimus, dividitur 1°. in realem, & mentalem. *Realis* est cùm vel apertè lucrum in pactum deducitur, ut si quis dicat, Do tibi centum, eâ lege ut exacto anno reddas centum & quinque; vel saltèm exteriùs insinuatur mutuum non dari nisi sub spe & voluntate aliquid recipiendi supra sortem, ut si dixerit fœnerator: Nosti morem meum in mutuando, vel, Spero futurum ut hæc pecunia à te non revertatur vacua. *Mentalis* ea est qua lucrum ex mutuo intenditur, & de facto percipitur, sed absque pacto quocumque exteriori. Hinc patet usuram non dici mentalem, ut pleraque peccata dicuntur mentalia, quia scilicet in solâ mente consummantur; sed sicut simonia, quæ licèt exteriùs perficiatur, dicitur mentalis quandiu sit absque pacto.

Dividitur 2°. in formalèm seu apertam, & virtualem quæ etiam palliata dicitur. *Formalis* ea est quà ex mutuo formali & simplici percipitur lucrum; *virtualis* verò quæ sub specie alterius contractûs exercetur, & in eo quasi imbibitur, ut cùm cariùs vendis præcisè ob dilatam solutionem.

Dividitur 3°. in *pactionalem*, quandiu solùm est in pacto, & nondum recipitur; & *exactionalem*, cùm recipitur de facto.

Dividitur 4°. in usuram *sortis*, quâ datur lucrum pro pecuniâ acceptâ; & usuram *usuræ*, quâ pro *interesse* non soluto lucrum datur, quatenùs nempe ex usurâ non solutâ novum conficitur capitale quod ad primum *capitale accedit*, & parit etiam interesse.

Dividitur 5°. ab usuræ patronis, in legitimam quæ modum à Legibus definitum servat, & non legitimam, quæ in justis finibus non sistit. Ut appareat an genuina sit hæc divisio, videndum an usura exerceri aliquando possit. Variæ porrò eâ de re prodierunt opiniones.

Prima Judæorum est & Græcorum schismaticorum, qui usuram quamlibet sive à pauperibus; sivè à divitibus exigatur, licitam & utilem societati existimant. Nituntur priores Lege Mosaïcâ, posteriores nonnullis Imperatorum Legibus, quæ labente jam Imperio usuram non tam probaverunt, quàm toleraverunt.

Secunda est Pseudo-Reformatorum, qui post exprobratam toties Ecclesiæ Romanæ in doctrinâ laxitatem, usuram alii aliis rationibus ducti comprobarunt. Dux ac magister erroris incedit Calvinus, qui usuram docet licitam duplici hâc conditione : 1°. ut à pauperibus non exigatur; 2°. ut quæ exigitur à divitibus non nimia exigatur, sed modum legibus definitum servet.

Eidem propè systemati stabiliendo allaboraverunt Catholici quidam, quos inter autor libelli *de la pratique des billets*, juxta quem duplex est mutui genus : unum quo res ad consumptionem datur, quod plerumque fit respectu indigentium; alterum quo datur ad negotiationem, ut fieri solet cum mercatoribus, qui ex mutuo res suas amplificant. In primo casu usuram esse fatetur quidquid exigitur ultra sortem; verùm à fœnoris labe excusat quidquid in secundo casu percipitur lucri ultra capitale.

Verùm ceteris hoc in puncto palmam præripiunt Jansenistæ in Bataviam profugi. Hi scilicet variis scriptis, sed eo potissimùm cui titulus, *Défense des contrats de rentes rachetables des deux côtés*, docent imprimis usuram naturali jure non prohiberi; 2°. eandem lege divinâ vetari quoad pauperes, qui pecuniam usu consumunt, non quoad divites qui

ope commercii aliquid pecuniæ æquivalens acquirunt; 3°. & hanc fuisse Ecclesiæ totius per duodecim secula opinionem, quam duce Scoto, sex circiter abhinc seculis temerè & imperitè oppugnaverunt Scholastici.

Tertia opinio vel potiùs sententia, est omnium sincerè Catholicorum, quibuscum sit

CONCLUSIO I. Usura jure divino tam novo, quàm veteri prohibita est.

* Prob. ex Deuter. 23. *Non fænerabis fratri ad usuram, sed alieno: fratri autem tuo quidquid indiget absque usurâ commodabis.* Unde sic: Ut eo loco usura quælibet prohiberi intelligatur, tria sufficiunt: 1°. ut ea generatim erga omnes prohibeatur; 2°. ut non prohibeatur nisi quatenus mala; 3°. ut ex eo quòd erga alienigenas permittatur, nihil possit adversùm nos concludi: Atqui hæc tria constant. *

Primò usura erga omnes generatim prohibetur. Hæc enim verba, *Fratri tuo commodabis quidquid indiget*, textum hunc ad pauperes restringere non possunt: tum quia competunt cuilibet mutuanti etiam minimè egeno; cùm is duntaxat mutuum petat, qui apud se non habet quod petit, adeòque eo indiget, etsi nec extremâ, nec gravi necessitate laboret: tum quia eadem verba, *id quod indiget*, neque in textu hebraïco, neque in Versione septuaginta Interpretum, neque in Versione syriacâ, neque demum in ullâ aliâ leguntur: tum denique quia ex hoc loco conclusêre Patres, nullum ex pecuniâ etiam negotiatoribus traditâ posse percipi emolumentum, cujuscumque tandem sit generis. *Plerique*, inquit S. Ambrosius, post relatum hunc textum, *refugientes præcepta Regis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecuniâ usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt...... Fraus ista & circumscriptio Legis est, non custodia; & putas te piè facere, quia à negotiatore velut munus suscipis... Quodcumque sorti accedit, usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est.*

L. 2. de Tobia, cap. 14.

Ubi S. Doctor non legit cum Vulgatâ, *id quo indiget*, & usuram vocat quidquid ultra sortem percipitur; Ergo usuras etiam moderatas Deuteronomio prohiberi putat, etiam cùm à negotiatoribus, sive in pecuniâ, sive in aliis rebus postulantur.

Confirm. 1°. quia Judæi, etsi quæstûs cupidissimi, etsi sinè sede, sinè Lege, & palabundi vivunt, ab omni tamen usurâ erga fratres etiam negotiatores abstinent; Ergo cogente evidentiâ textum Deuteronomii eodem ac nos sensu interpretantur; 2° quia Lex prorsùs vetabat nè Judæi usuram à fratribus exigerent: sed inter Judæos multi divites erant negotiatores; Ergo.

Secundò, eodem textu prohibetur usura ut per se mala; allatus enim textus potiùs ad mentem Patrum, quàm Calvini, Molinæi, ceterorumque id genus explicari debet: Atqui ex Ambrosio prohibetur ibi usura, ut legis fraus & violatio, ut aliquid non piè factum & reipsâ illicitum; Ergo.

Tertiò denique, licèt ibi usura erga alienigenas non vetaretur, nihil inde contra nos concludi posset; ut infrà ostendemus, solvendo adversariorum momenta.

† Prob. 2°. ex Psalmo 14. ubi sic legere est: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? .... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quibus verbis consonat id Ezech. 18. *Si genuerit vir filium .... abominationem facientem, ad usuram dantem; numquid vivet? non vivet.* Unde sic cum S. Ambrosio: *David benedictum æstimavit & dignum habitatione cœlesti, qui pecuniam non debit ad usuram: si ergo qui non dedit, benedictus; sine dubio maledictus qui ad usuram dedit.* Concinit Hieronymus in Psalm. 14. his verbis: *David Evangelicum describens virum, & eum qui habitaturus sit in monte sancto Dei... in cunctos generaliter fœnus fieri vetavit.* Porrò quod generaliter vetitum est homini Christiano, illud sive paulò moderatius fiat, sive non; seu erga pauperes, seu erga divites, prohibitum dici debet.

[margin: †] [margin: Ibid. c. 15.]

Ex quo etiam colligere est, factam in veteri Testamento usuræ prohibitionem non ad præcepta judicialia seu politica, sed ad moralia referri debere, cùm Ambrosius, & ceteri Patres Lege Mosaïcâ & Prophetis utantur, ut probent usuram, quia turpem & injustam, Christianis hominibus esse illicitam.

Prob. 3°. ex his Christi verbis, Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa.* Unde sic: Qui præcipit ut mutuum detur sine ullâ lucri spe, ille usuram prohibet: Atqui Christus in textu citato, verè præcipit ut mutuum detur sinè spe lucri. Ea enim verba, præcepti, non autem puri consilii loco haberi debent, in quibus præceptum tota agnovit antiquitas: Atqui in his verbis, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, verum præceptum tota agnovit antiquitas. Minor absque eo quod adducatur longa autoritas Patrum catena; satis probabitur è Salmasio non ignobili moderati fœnoris defensore. Sic ille Lib. de usuris, cap. 20. *Hæc Domini verba jugulum usuræ petere, non nemo ex veteribus Patribus & ex recentioribus Theologis existimavit. Tertullianus inter antiquiores, nè alios nominem, &c. Basilius inter Græcos, &c.*

* Negat quidem recens autor libelli cui titulus: *Suite de la défense des contrats*, veteres Patres usuram inter divites prohibuisse, idque Scholasticæ gentis figmentum esse contendit. At in eo se & malæ fidei, & imprudentem esse demonstrat; malæ fidei, qui negare velit, id quod fateri anteà coacti sunt doctissimi fœnoris defensores; imprudentem, ut qui non animadvertat tantam in practicâ fœnoris materiâ mutuationem à Scholasticis invehi non potuisse. An non enim statim undecumque reclamassent & Clerici, & tot alii qui hactenus usuram erga divites inculpatè exerceri posse crediderant? an non novum sibi contra Patrum traditionem jugum imponi conquesti fuissent? præsertim cùm innovatio eo tempore contigisse supponatur, quo tot hominum millia & avaritiæ & ipsi etiam simoniæ studebant. Sanè si

in ipſo Hollandiæ ſinu, ubi Janſenianorum intereſt arctis ſaltèm tolerantiæ nexibus conjungi, alii alios circa uſuram tam acriter impugnant: quid in reliquo Orbe futurum erat?

† † CONCLUSIO II. Uſura prohibita eſt jure Canonico, Cæſareo & Gallico.

Prob. 1. pars ex Concilio generali Viennenſi, quod omnium inſtar erit: hæc verò ejus ſunt verba: *Si quis in iſtum errorem inciderit ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum; decernimus eum velut hereticum eſſe puniendum.*

* * Idem variis in Conventibus aut Synodis ſanxêre Gallicani Præſules: ità imprimis Conventus Melodunenſis an. 1579. Concilium Remenſe an. 1583. Burdigalenſe anni ejuſdem, Toloſanum an. 1590. Narbonenſe an. 1606. Hæc ſunt Remenſis Concilii verba: *Quiſquis præter ſortem præcipuam ex mutuo aliquid ampliùs exegerit vel acceperit, cujuſcumque generis illud ſit, modò pecuniâ eſtimari poſſit, uſurarius eſſe cenſeatur.*

† † Prob. 2. pars, quia etſi Conſtantius Magnus aliique Imperatores non pauci uſuras non abrogaverint, certum tamen eſt eaſdem ab iis nunquam approbatas fuiſſe, ſed majoris mali vitandi gratiâ toleratas. atque hoc evidenter colligitur ex Novellâ 83. Imperatoris Leonis qui in eo ipſo decreto quo uſuras permittere videtur, agnoſcit eas juri divino adverſari. Nec mirum quòd ità de uſuris ſenſerint Principes Chriſtiani, cùm vel ipſi Ethnici uſuræ iniquitatem agnoverint: unde veteres Romani majori odio fœneratorem quàm furem proſequebantur, & *in legibus poſuerunt furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli oportere.* Verba ſunt Marci Catonis, Lib. de Repub. in procem.

Probari poſſet tertia pars longâ ſerie Edictorum

* quæ à Principibus Francis prodiêre: * pauca quædam referemus. Carolus Magnus in Capitularibus Lib. 1. cap. 15. *Uſura eſt ubi ampliùs requiritur quàm datur, v. g. ſi dederis ſolidum & ampliùs requiſieris.*

Lib. 5. cap. 36. *Usuram non solùm Clerici, sed nec Laïci Christiani exigere debent* : & Lib. 6. cap. 201. *Venerandi Canones, & divina prohibet autoritas usuras accipere.* Non acriter minùs in usurarios sive Judæos, sive Christianos exarsit S. Ludovicus suo an. 1254. Edicto. Eaidem prohibuit Philippus IV. Regiâ suâ Constitutione anni 1312. quâ usuras etiam leviores severè coercet; *Voulons & commandons telles usures, même de menue quantité.... être corrigées & punies.* Jam verò leges istas merè pœnales esse, nec obligare in conscientiâ, merum est hominis iniqua dicere edocti commentum; cùm iis prohibeatur usura ut Canonibus, autoritati divinæ, regulisque omnibus contraria, ut ex solâ earum lectione inspici potest.

† CONCLUSIO III. Usura jure etiam naturali prohibita est; communis est & certa opinio. †

Prob. 1°. Jus naturale prohibet illud omne quod æqualitatem tollit : Atqui usura æqualitatem tollit. Ibi enim tollitur æqualitas ubi plus exigitur quàm datum fuerit : sed omnis usurarius plus exigit quàm ab eo datum est : *Recompensatur enim secundùm æqualitatem*, ait S. Thomas, *si tantùm reddatur ei quantùm mutuavit* ; Ergo cùm recipit centum quos mutuo dedit, recipit id omne quod dedit, ac proinde si recipiat centum viginti, plus recipit quàm dederit, adeòque æqualitatem lædit simul & justitiam.

2. 2. 78. *art.* *ad* 5.

* Prob. 2°. Jure naturali vetitum est nè quis domino rem suam vendat : sed usurarius domino rei rem suam vendit. Vendit enim mutuatario usum ipsius rei mutuo datæ : sed usus ille mutuatarii est, sicut & ipsa res mutuo data ; ad quem enim pertinet res, ad eum pertinet usus rei, præsertim cùm res non datur nisi propter ipsum ; Ergo. *

Prob. 3°. Si possit mutuans aliquid accipere supra sortem, vel propter fructum quem ex mutuo percipit mutuatarius, vel propter dilationem solutionis : Atqui neutrum dici potest. Non primum,

res enim fructificat domino suo : sed mututarius rei dominus est ; Ergo si mutuator fructum accipere velit, exiget fructum rei ad se non pertinentis; nec minùs iniquè aget, quàm si rem alicui cariùs vendat, eò quòd is ex ipsâ plurimùm utilitatis industriâ suâ percepturus sit; Ergo.

Non secundum : Si enim liceret mutuanti aliquid supra sortem accipere ob dilationem quam concedit, vel quia simpliciter concederetur dilatio, vel quia concederetur talis dilatio : Atqui neutrum dici potest. Non 1. mutuum enim prout à precario differt, hoc essentialiter habet ut statim repeti non possit; alioqui nullus mutui usus foret. Non 2. quia talis dilatio præcisè & per se æstimabilis non est : tùm quia ea est novum quoddam mutuum virtuale, pro quo nihil magìs, quàm pro primo mutuo exigi potest ; tùm quia vi dilationis præcisè nihil perdit mutuans quod ultra sortem recuperare debeat. Dilatio enim præcisè sumpta seclusa est à damno emergente & lucro cessante; Ergo vi solius dilationis, quæ ex hypothesi à mutuante citra ullum ejus incommodum conceditur, nihil à mutuatario exigi potest.

Ceteros aliquid supra sortem exigendi titulos qui plus habent difficultatis, discutiam articulo sequenti.

† Obj. 1°. contra primam Conclusionem : illud non prohibetur jure divino, ut per se malum, quod expressè approbatur in Scripturâ : Atqui usura... Prob. minor. ex Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram... sed alieno.* Ibidem c. 28. *Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.* Ex Exod. c. 21. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes;* ubi usura non nisi erga pauperes prohibetur. Denique Christus ipse usuram approbat Matth. 25. ubi de servo pigro conqueritur his verbis : *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ergo recepissem utique quod meum est cum usurâ.*

R. ad 1. neg. min. Et ut objectos textus sigillatim solvam,

* R. ad 1. è capite 23. Deuter. tripliciter : 1°. nego min. hæc enim verba, *Fænerabis alieno*, nec præcipiunt, nec permittunt usuram respectu alieni; sed hunc, ut ipse notat Molinæus usuræ defensor, sensum habent : Si quem usuris opprimas, jam non tractas ut fratrem, sed pro extraneo habes ac pro hoste. Ex iis verò sic intellectis, nihil in usuræ patrocinium colligi potest. *

R. 2°. cum S. Thomâ : *Quod ab extraneis usuram acciperent Judæi, non fuit eis concessum tanquam licitum, sed permissum ad majus malum vitandum*, eo fermè modo quo certis in locis toleratur meretricium, quod absit ut à Christianis permissum censeatur. 2. 2. q. 78. a. 1.

Adde quòd ex eo textu, quantumvis rigorosè accipiatur, id unum sequi possit, licitum fore Christianis usuram exercere erga alienigenas, infideles scilicet, Turcas aut idololatras, non autem erga Christianos, ut nec Judæis erga Judæos fœnerari licitum erat : imò, ut profundè ratiocinatur S. Thomas, neque id erga quemquam licebit Christianis, qui debent *omnem hominem habere quasi proximum & fratrem, præsertim in statu Evangelii ad quod omnes vocantur*; Ergo ex datâ Judæis licentiâ, quæcumque ea fuerit, nihil colligere possunt Christiani. Ibid.

† R. 3°. dist. Judæis licitum erat usuras exercere, Deo jus concedente Judæis in alienigenarum bona, sicut iis aliquando licentiam dedit Egyptios spoliandi, C. secùs, N. Solutio est S. Ambrosii, Lib. de Tobiâ, c. 15. *Quis*, inquit, *erat tunc alienigena, nisi Amalec, nisi Amorrhæus, nisi hostes?... Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere... Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ.* †

R. ad 2. è cap. 28. Deuter. fœnus ibi accipi pro mutuo, non pro usurâ : *Promittitur* enim Judæis, ait S. Thomas, *abundantia divitiarum ex quâ con-*

tingit quod aliis mutuare possint. Sic Eccli. 29. dicitur : *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo:* ubi fœnerari idem est ac misericorditer mutuare.

R. ad 3. negando usuram in veteri lege erga solos pauperes prohiberi; contrarium patet ex suprà adductis Scripturæ textibus. Neque vis eorum elidi potest ex objecto Exodi textu, aliisve similibus : quia hæc verba, *populo meo pauperi*, non continent restrictionem; alioqui & hæc verba, *qui habitat tecum*, restrictionem quoque continerent ; ità ut Judæi exigere potuissent usuras etiam à fratribus suis egenis, modò in eâdem cum ipsis civitate non habitassent, quod ne adversarii quidem admittunt. Ergo, ait Grotius, hæc verba, *populo meo pauperi*, non restringunt legem, sed exempli causâ posita sunt, quia plerumque contingit ut pauperes magis quàm divites egeant opis alienæ.

R. ad 4. in parabolis spectandum esse finem, cetera verò non debere urgeri ad vivum. Ecquis enim villicum iniquitatis imitari hinc ausit, quòd de domini sui bonis amicos sibi prudenter fecisse dicetur? Quis fratri in extremis posito negandam opem credat, quia ad exemplum proponuntur virgines prudentes quæ fatuis oleum negaverunt? Soli igitur inhærendum parabolæ scopo, qui is est, ait S. Thom. ibid. ut *in bonis* à Deo *acceptis semper proficiamus;* ex quo utique nihil in gratiam usuræ colligi potest.

* Obj. 2°. contra secundam Conclusionem : 1°. usura multis Digestorum & Codicis textibus approbatur ; 2°. eam approbant ipsa Cleri Gallicani comitia quæ an. 1560. 1657. & sæpius deinceps præceperunt ut quæstori suo ob anticipatam necessariæ pecuniæ solutionem, decem pro centem solverentur.

R. ad 1. usuras de quibus loquitur Jus Civile, vel non approbatas fuisse, sed majoris mali vitandi gratiâ toleratas, vel id in quo ex hâc parte deficiebat Jus civile, correctum fuisse Jure Canonico quod usurariorum fautores Hæreticis annumerat, & usurarios gravibus subjicit pœnis.

R. ad 2. Galliæ Præsules non magis usuræ accusari posse, dum alicui decem pro centum solvunt, quàm usuræ accusari possit, qui pecuniâ indigens adit Judæum, eique aliquid supra capitale solvendum pollicetur, quia non patitur rerum suarum status ut aliter agat. Adde quòd Præsules nostri id quod supra sortem concedunt, per modum compensationis largiantur, quia ingentes quibus egent summæ sine magnis sumptibus coacervari non possunt.

† Obj. 3°. contra tertiam Conclusionem. Jus naturale permittit ut homo pretium accipiat pro eo quod non tenetur facere: sed plerumque qui dat mutuo, ad id faciendum non tenetur. †

R. neg. maj. Qui enim vendit vinum aut aliquid aliud, facit id ad quod non tenetur; nec tamen potest aliquid exigere seorsùm à pretio vini & supra ejus valorem; Ergo à pari qui dat mutuo, &c. Ratio est, quòd sicut libera vini venditio, non est æstimabilis seorsùm à vino, quia nec prodest emptori, nec venditori incommodum affert, nisi ratione vini quod venditur; ità gratuita pecuniæ mutuatio non est æstimabilis seorsùm à pecuniâ: unde non potes aliud pro mutuo ipso, aliud pro gratiâ quam facis mutuando pretium exigere; sed dum reddetur tibi id quod dedisti mutuo, sufficienter recompensatus eris, ut loquitur S. Thomas.

Obj. 4°. Pecunia numerata seu præsens pretiosior est numerandâ & absente; cùm possit quis per primam negotiari, non per secundam; Ergo 90. aurei præsentes æquivalent aureis centum post annum numerandis; adeòque centum accipere post annum, non est accipere supra sortem, nec proinde usurarium esse.

R. damnatam esse ab Innocentio XI. propositionem istam: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid supra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usurâ excusari.* Et reipsâ aurei centum per se &

secluso omni quod ex iis fieri posset lucro, non pluris hodie valent quàm post annum. Quod si mutuans ex iis certò moraliter lucrum facturus erat, haud dubium est quin aliquid ratione lucri hujus sibi cessantis possit supra sortem exigere : verùm ratione pecuniæ ipsius nihil exigere potest ; alioqui cùm in omni mutuo essentialiter detur pecunia præsens nonnisi in futurum reddenda, nullum esset mutuum ex quo non posset aliquid recipi supra sortem, quod Scripturæ, patribus & rationi esse contrarium suprà probavimus.

Inst. 1°. Tam licitum est aliquid recipere pro usu pecuniæ mutuo datæ, quàm pro usu domûs locatæ: Atqui licitum est aliquid recipere pro usu domûs, &c.

R. neg. maj. Ideò enim aliquid ratione domûs locatæ recipi potest, tùm quia non transfertur dominium domûs, tùm quia principalis domi usus non est ipsa ejus consumptio, ut per se patet : at pecuniæ mutuo datæ dominium ex rei naturâ transfertur, eaque consumi non potest quin moraliter destruatur; Ergo longa est inter hæc disparitas.

* * Inst. 2°. Pecunia consumitur quidem in manu pauperis, qui ex eâ res ad victum necessarias comparat: at non consumitur moraliter in manu negotiatoris qui ex eâ aliquid æquivalens & multò melius acquirit; Ergo.

R. achilleam hanc adversariorum probationem omni ex parte nutare : 1°. enim non aliter plerumque consumitur pecunia in manibus pauperis rustici, qui ex eâ vaccam, v.g. vel frumentum seminale emit, quàm in manibus negotiatoris; & tamen necdum asserere ausi sunt adversarii, licitum esse pauperi mutuum dare ad usuram; 2°. sæpiùs quoque evenit ut rebus in contrarium versis non modò nihil lucretur mercator, sed quidquid acceperat mutui deperdat; 3°. cùm lucratur, de eo quod suum evasit lucratur; Ergo nihil hinc rependere tenetur.

Obj. 5°. Lucrum quod facit mutuatarius, partim ex ejus industriâ, partim ex mutuantis pecuniâ

ſcitur ; Ergo iniquum non eſt quòd lucrum
nutuantem inter & mutuatarium dividatur,
ſocietate.
liſt. conſeq. Iniquum non eſt ut lucrum divi-
ſi pecunia remaneat in dominio creditoris ſeu
ntis, ut accidit in verâ ſocietate, C. ſi pecu-
nſeat in dominium mutuatarii, ejuſque peri-
ad ipſum pertineat, N. Porrò pecunia per
m tranſit in dominium debitoris ſeu mutua-
ui ejus periculum ſubit, quocumque modo
; Ergo totum lucrum ejus eſſe debet. Contra
lle qui committit pecuniam ſuam vel mercatori,
fici per modum ſocietatis cujuſdam, non trans-
minium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet
ità quod cum periculo ipſius mercator de eâ
tur, vel artifex operatur : & ideò ſic licitè
artem lucri inde provenientis expetere tanquam
iâ. Ità S. Thomas, ibid. a. 2. ad 5.

RTICULUS SECUNDUS.

us ex titulis poſſit aliquid exigi ſupra ſortem.

is qui uſuram per ſe malam eſſe fatentur,
res uſurariis incogitanter favêre, dum tot
unt aliquid ſupra ſortem recipiendi titulos,
verè ſufficiant, nemo niſi hebes uſuræ ejus
ſit. Eæ porrò in medium adductæ ſunt ali-
pra ſortem recipiendi radices ; nempè labor
niâ numerandâ ; carentia gaudii quod parit
e ſuæ viſus ; obligatio non repetendi penu-
ſque ad certum tempus ; difficultas recupe-
ortis, ejuſque amittendæ periculum ; lucrum
& damnum emergens, de quibus ſigillatim
rendum. Sit

ONCLUSIO I. Labor in numerandâ pecuniâ
ſufficiens titulus aliquid ſupra ſortem reci-

. quia labor ille in omni mutuo reperitur,

cùm non detur mutuum, v. g. pecuniarium, nisi numeratâ pecuniâ; Ergo leges quæ prohibent nè in mutuo accipiatur aliquid supra sortem, nullam laboris hujus rationem haberi voluerunt; alioqui unâ subverterent manu quod alterâ ædificare conarentur; dum mutuum gratuitum esse juberent, & simul permitterent ut quid exigeretur pro labore, sine quo mutuum dari non potest.

Adde quòd si rigorosè loquendo possit quis exigere stipendium diei quam in numerandâ pecuniâ insumpsit, stipendium illud non majùs esse debeat, si multò majorem summam mutuo det quàm si minorem, cùm minùs insumpsit temporis in numerandâ majori quæ v. g. solis aureis constat, quàm in numerandâ minori quæ minutiori monetâ consistit. Deinde stipendium hoc singulis annis iterari non posset, quia pecunia mutuo data semel tantùm numeratur. Quæro autem an ità agant usurarii?

CONCLUSIO II. Carentia pecuniæ non est ratio sufficiens ad exigendum quid supra capitale.

Prob. quia carentia illa mutuo essentialis est, cùm fieri nequeat ut quis pecuniam det mutuo, & eam simul retineat; Ergo cùm propter ipsum mutuum non liceat aliquid supra sortem recipere; nec id quoque propter carentiam ejus licitum esse potest.

† CONCLUSIO III. Obligatio non repetendi sortem ante certum tempus, non est legitimus aliquid supra eandem sortem recipiendi titulus.

Prob. 1°. quia propositionem hanc, *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem recipere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*, reprobavit Alexander VII. eamque verbo Dei contrariam declaravit Conventus Cleri Gallicani an. 1700.

Prob. 2°. Non licet exigere aliquid pro eo quod est de intrinsecâ ratione mutui, cùm id sit accipere ultra sortem vi mutui: Atqui obligatio non repetendi sortem ante certum tempus etiamsi longum, &c. De ratione enim mutui, prout à precario distin-

guitur, est quod repeti nequeat ad nutum mutuantis, sed post tempus determinatum vel ipsomet mutui contractu, vel per circumstantias necessitatis ad finem mutui; Ergo tempus illud, seu longum sit, seu breve, est de ratione mutui in ordine ad finem ejus; ac proinde nihil pro eo accipi potest.

* Prob. 3°. sicut obligatio non repetendi capitale * ante mensem, seclusis aliis titulis, sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendum illud post mensem, & subeundum toto hoc mense periculum ipsius; sic obligatio non repetendi capitale ante annum sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendum illud post annum, & subeundum toto anno ejus periculum.

Obj. 1°. In contractu mutui servari debet plena mutuantem inter & mutuatarium æqualitas: Atqui si non compensatur obligatio non repetendi sortem, jam non servabitur æqualitas ex parte mutuatarii: mutuatarius enim redditione mutui compensabit quidem mutuum; at non compensabit obligationem non repetendi, quæ civilis est, pretio æstimabilis.

Confirm. Tam potest qui dat centum nummos mutuo, aliquid exigere pro obligatione eos non repetendi, quàm id possit pro obligatione eosdem mutuo dandi: Atqui ex omnium confesso potest quis aliquid accipere ut paratus sit toto v. g. anno mutuum dare, si id exigatur; Ergo à pari.

R. ad 1. neg. min. Si enim tenetur mutuans expectare tempus præfixum, ut repetat pecuniam mutuo datam, tenetur mutuatarius, 1°. toto hoc tempore subire periculum rei; 2°. paratus esse ex gratitudine ad remutuandum & expectare rei à se mutuandæ refusionem; 3°. si agatur de merce, putà de tritico, tenetur ipsum sanum & deterius non factum reddere, quod non fit sine certis sumptibus, quibus immunem se facit mutuans: Atqui hæc omnia mutuatarii onera satis compensant obligationem non repetendæ sortis, quam contraxit mutuans; Ergo.

Ad confirm. neg. maj. Onus enim quod in se suscipit aliquis, ut semper ad mutuo dandum paratus sit, præcedit ipsum mutuum (& quidem cum dispendio mutuatarii, qui solus rei suæ si pereat, damnum feret,) & sinè eo consistere potest: adeòque distinctam habet æstimabilitatem ab ipso mutuo, quæ consequenter solâ mutui (si fortè exigatur) refusione compensari non potest: Atqui obligatio sortis non repetendæ mutuo ipsi intrinseca est, & aliunde satis compensatur per periculum rei quod subit mutuatarius; Ergo non est par utrobique ratio.

Inst. Eadem in praxi sequuntur incommoda, si liceat ultra sortem accipere pro obligatione mutuo dandi: dicet enim mutuans; Ego pro mutuo nihil ultra sortem volo, sed gratis ad mensem mutuo, & obligo me ad mutuum per alios menses 12. prorogandum, & pro hâc obligatione aureum unum volo.

R. neg. maj. Obligatio enim ad remutuandum virtualiter singulis mensibus idem est in rei veritate cum obligatione ad non repetendum mutuum per totum annum; ideòque verum est mutuum quod pro anno uno datur; Ergo pro eâ exigere aliquid palliata est usura.

Cùm enumerati hactenùs tituli ab omnibus penè Theologis ad aliquid supra sortem exigendum insufficientes judicentur, idcircò leviori eos calamo attigisse satis fuit: sed cùm de aliis qui sequuntur major sit disceptatio, eos specialiùs indagare opus est. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

† † *Utrùm ratione periculi liceat aliquid supra sortem accipere.*

NOt. 1°. Distinguunt non pauci duplex periculum in mutuo: unum generale, quod idcirco *intrinsecum* dicunt; aliud particulare seu *extrinsecum*. Periculum *generale* illud est quod reperitur in omni mutuo, vel *secundùm se spectato*, ut quòd bona illius

cui datur mutuum, perire possint incendio, aliisve casibus fortuitis; vel *spectato secundùm finem* ad quem mutuum ordinatum fuit à Deo, ut quòd mutuatarius sit pauper, fidejussorem obtinere non possit, &c. certum est enim ex Script. mutuum in gratiam & levamen pauperis præsertim institutum fuisse, ut cui per eleemosynam succurrere teneremur, ei per mutuum aliquando opem feramus. Periculum *particulare* illud est, inquiunt, quod à mutuo hic & nunc separari potest, u si pecunia detur homini nullius conscientiæ, prodigo, merces per hostium castra, aut vias latronibus obsitas deferenti, quique cùm pignus vel sponsorem dare possit quo tollatur periculum, neutrum dare vult; & cui tamen quia ferox est, & ad vindictam alacer, mutuum negare non audes.

Not. 2°. mutuantem posse vel suscipere in se periculum sortis, adeò ut hâc pereunte sinè mutuatarii culpâ, mutuans nihil repetere possit præter pretium sibi pro assecuratione suâ promissum; vel periculum illud mutuatario relinquere; ità ut mutuatarius rem restituere debeat, quocumque modo perierit. Sit jam

CONCLUSIO I. Non licet aliquid supra sortem accipere ratione periculi quod in omni mutuo secundùm se spectato reperitur.

Prob. 1°. Non licet aliquid accipere supra sortem pro eo quod est de ratione intrinsecâ mutui: Atqui periculum generale est de intrinsecâ ratione mutui, ut ex ipsâ periculi hujus definitione patet; Ergo.

* Prob. 2°. Mutuantis conditio melior esse non debet conditione mutuatarii: plena enim esse debet in omni contractu æqualitas: Atqui longè melior esset mutuantis quàm mutuatarii conditio, si posset mutuans aliquid supra sortem exigere ratione periculi intrinseci: quia & pretium mutui reciperet, & interim immunis esset à periculo cui obnoxius erat servando apud se rem suam, quæ inibi, sicut &

apud mutuatarium innumeris casibus fortuitis absorberi potest; Ergo.

† CONCLUSIO II. Non licet etiam aliquid ultra sortem accipere propter periculum quod reperitur in mutuo spectato secundùm finem ad quem fuit à Deo ordinatum.

Prob. 1°. quia præcepit Deus ut mutuum gratis pauperi daretur : Atqui mutuum nunquam gratis dabitur, si liceat aliquid recipere ultra sortem propter periculum paupertati, si ità loqui fas est, annexum; cùm tale periculum à tali mutuo moraliter inseparalis sit; Ergo prohibitum est jure non solùm divino, sed & naturali, aliquid accipere propter periculum tali mutuo annexum.

Nec dicas, periculum illud auferri posse per fidejussorem aut pignus, ac proinde illud reipsâ extrinsecum esse mutuo. Qui enim ob inopiam mutuum accipere coguntur, moraliter & ordinariè non possunt fidejussorem aut pignus mutuo æquivalens præbere; cùm igitur etiam erga hujusmodi homines servari illud debeat, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, sequitur nihil ab eis supra sortem recipi posse.

Prob. 2°. quia opinio quæ propter periculum paupertati annexum, permittit ut aliquid supra sortem accipiatur, manifestè cadit in oppressionem eorum qui pauperiores erunt. Si enim pro periculo quidpiam accipere licet, plus aliquid pro majori periculo licebit : Atqui majus esse solet periculum, prout pauperiores sunt ii quibus mutuo datur; Ergo magis oppri mpoterunt.

CONCLUSIO III. Si mutuans in se sortis periculum recipiat, potest eo titulo aliquid supra sortem recipere.

Prob. quia præter contractum mutui reperitur in hoc casu contractus assecurationis : Atqui pro istâ assecuratione potest mutuans aliquid accipere, sicut & quilibet alius qui sortem assecuraret : Ergo.

Dices ; Si mutuans constitueret se fidejussorem, nihil accipere posset; Ergo nihil etiam accipere potest, si assecuratorem se constituat.

R. Neg. conseq. Ratio disparitatis est, quòd mutuans, se fidejussorem constituendo, non aliud subiret periculum, quàm dando mutuum simpliciter; tam enim positâ suâ fidejussione actionem habet in mutuatarium, quàm si nulla intervenisset fidejussio: at vi contractûs assecurationis mutuans excidit à jure repetendi mutui, quia res assecurata assecuranti perit, ac proinde mutuans illud rei suæ, si fortuitò pereat, non repetendæ onus subiens, potest aliquid ultra sortem accipere, sicut & quivis alius assecurator.

Superest una eaque gravis difficultas, an propter periculum probabile & extrinsecum possit aliquid exigi supra sortem. Pro affirmativâ stant Theologi plures magni nominis, & è quibus alii de Ecclesiâ benè meriti sunt, ut Lugo, Fagnan, Cabassut; alii licèt in multis peccaverint, ut Ethica, nusquam tamen laxitatis accusari fuêre.

Probant autem 1°. ex decisione sacræ Congregationis de propagandâ fide, quam approbavit Innocentius X. quæque Typis Romæ edita est an. 1645. His autem verbis interrogata fuerat S. Congregatio. *In Sinarum Regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur, absque respectu lucri cessantis aut damni emergentis. Quæritur utrum Sinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licèt non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta Regni lege taxatam quantitatem accipere. Et causa dubitandi est, quia in recuperandâ pecuniâ est aliquod periculum, scilicet quòd qui accipit mutuatum fugiat, vel quòd tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi.* S. Congregatio usuras trigenta pro centum reprobavit; sed simul *sensuit* Sinenses, si aliquid *recipiant* non ratione *mutui immediatè & præcisè*, sed *ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodò habeatur ratio probabilitatis periculi & qualitatis ejusdem, ac servatâ proportione*

inter periculum & id quod accipitur! Et Innocentius X. præcipit omnibus Missionariis, sub excommunicatione latæ sententiæ, ut omnia responsa hujus Decreti observarent, & illis uterentur; donec sua Sanctitas, vel Sedes Apostolica aliud statuerit: Atqui mira esset & inaudita hæc agendi ratio, si* Congregationi & Pontifici Romano persuasum fuisset eos criminis usuræ reos esse, qui aliquid propter periculum sortis in casu proposito acciperent; Ergo.

Probant 2°. quia pro eâ exigi aliquid potest, quod potest haberi tanquam damnum quoddam emergens, sicut & jactura lucri probabiliter futuri: Atqui incursio periculi sortis haberi potest tanquam damnum emergens, cùm minoris valeat pecunia probabiliter non recipienda, vel non nisi difficulter recipienda, quàm pecunia absque periculo & difficultate præsens; ut ex eo constat quòd minoris ematur debitum periculosum quàm si periculo careret; quia qui illud emit, exponit se periculo debitum illud non recipiendi, vel non nisi difficulter recipiendi, tametsi aliquando contingat illud absque difficultate recipi: Ergo mutuator summæ in mutuatarii manu periculosæ licitè potest amplius exigere, quàm si eam committeret manui non periculosæ, pro eo quòd se exponit periculo eam non recipiendi, licèt posteà contingat eam facilè recipi.

* * Prob. 3°. Licitum est ex autore Opusc. 73. de usurâ cap. 7. cariùs vendere supra latitudinem pretii currentis, propter *periculum futuræ difficultatis* quam venditor probabiliter timet *in sorte recipiendâ*; Ergo à pari in proposito. Prob. conseq. Ideò in hypothesi allatâ cariùs justo vendere licet, quia plùs valet pecunia præsens, & ab omni periculo immunis, quàm pecunia non sinè magnis difficultatibus recipienda: Atqui pariter sors præsens & ab omni periculo immunis, pluris valet quàm sors non recipienda, vel non nisi difficulter recipienda; Ergo par utrobique ratio.

† Etsi

† Etsi momenta hæc non sunt contemnenda, opposita tamen opinio præferenda est in praxi. Sit itaque †

Conclusio IV. Non licet sub prætextu periculi cujuscumque aliquid supra sortem accipere.

* Prob. 1°. quia ipsi oppositæ sententiæ defensores, varias requirunt conditiones quas vix unquàm in praxi servari fatentur : 1°. enim, inquiunt, necesse est ut absit intentio lucrandi ex mutuo; quia aliàs, etiam secluso pacto, erit usura mentalis; 2°. periculum debet esse verum, probabilibusque fundatum conjecturis; non autem fictum, prout facilè fingitur ab iis qui lucrari amant; 3°. mutuatario liberum esse debet fidejussorem aut pignus pro assecuratione sortis mutuanti præstare; 4°. mutuans non plùs pro isto periculo exigere potest, quàm vel ipse, vel mutuatarius alteri dare vellent pro hujusce periculi assecuratione; 5°. ità servandæ sunt justitiæ leges, ut non violentur leges caritatis : Atqui conditiones illas pauci eorum norunt qui mutuo dant, pauciores ad praxim redigunt : ità enim plerique lucro inhiant, ut seclusâ ejus spe mutuum non darent; cùm probabile periculum sentiunt, mutuo non dant : inter periculi qualitatem non distingunt, sed ab omnibus æqualiter exigunt, fidejussores aut pignora recusant, ut quocumque tandem modo aliquid supra sortem recipiant, &c. Ergo rarum est ut in eorum agendi rationem non irrepat usuræ fuligo. *

† Prob. 2°. solvendo præcipuum contrariæ opinionis fundamentum. Si quid supra sortem accipere liceat pro periculo, utique pro periculo extrinseco : Atqui supponunt adversarii, non autem probant dari periculum mutuo extrinsecum. De ceteris enim idem fit judicium, ac de mutuo quod datur homini prodigo, litium amanti, aut qui in mari procelloso navigat : Atqui periculum huic mutuo annexum, est quidem extrinsecum mutuo ut sic, sed non minùs huic vel illi mutuo intrinsecum est, quàm intrinsecum sit †

periculum annexum mutuo quod datur pauperi.

Nec dicas periculum hoc dato pignore vel sponsore auferri posse. Nam 1°. vix contingit ut qui eget pecuniâ, & pignus dare potest, non det; 2°. minùs adhuc contingit ut mercator pecuniam suam, neglectâ justâ securitate, in manum decoctoris aut imprudentis projiciat; 3°. denique si res ità esset, periculum tali mutuo intrinsecum esset, utpotè quòd positis mutuatarii conditionibus non posset ab eo separari; sicque vel denegandum esset mutuum, vel sequenda mutui conditio.

* Nec dicas iterum, eum qui aliquid supra sortem exigit propter damnum emergens; nihilominùs sequi naturam mutui, quam proinde sequi etiam possit, qui propter periculum aliquid supra sortem postulat.

Ideo enim quis propter damnum emergens, aliquid licitè recipit, quia nisi recipiat, verè & de facto perdit: nihil autem verè & de facto perdit, qui quidpiam exigit ob periculum. Non nego fieri posse ut perdat; sed non ideo magìs aliquid supra sortem exigere potest, quàm qui mutuat pauperi, & qui etiam potest totum perdere: atque hinc corruunt quarta & quinta probatio, quæ si quid, certè contra pauperes probant.

Confirm. quia periculum circa sortem, non affert aliud damnum quàm ipsius sortis: atverò damnum emergens affert damnum à domino sortis planè diversum; Ergo ex eo quòd licitum sit aliquid exigere propter damnum emergens, non sequitur licitum esse aliquid propter sortis periculum exigere.

† Quod spectat ad S. Congregationis decisionem, dico 1°. judicium hoc saltem prout ab Innocentio X. confirmatum est, non esse definitivum, sed emissum *donec sua Sanctitas aliud statuerit*; Ergo aliud statuere potest, ac proinde opinionem hanc in eodem ac antea erat statu relinquit; 2°. non satis constat quomodò res se habeant in regno Sinensi, ut quidpiam inde generaliter colligi possit: certè una cir-

mstantia naturam rerum penitùs mutat. Sciendum
go esset id omne quo S. Congregatio determinari
›tuit : hoc autem vulgò ignoratur : unde prout à
omanis Theologis didici, ægrè fert eadem Con-
egatio ut decisiones suæ publici juris fiant, quia
li solet decisio, non editis motivis ; 3°. potuerunt
heologi Congregationis opinionem huic nostræ
›ppositam judicare probabiliorem, prout à cunctis
heologis judicatur ; 4°. demum exigebat forte Si-
enfis Ecclesiæ status, ut populi in bonâ fide relin-
uerentur, idque majoris mali vitandi gratiâ : sic
iquando Lugduni vetitum est nè cambium ibi
xerceri solitum impugnetur.

SECTIO SECUNDA.

An aliquid supra sortem accipi possit ratione lucri cessantis, damni emergentis, &c.

NOT. Tunc dicitur alicui lucrum cessare, quando
non acquirit lucrum aliquod temporale, quod
›robabiliter acquisiturus erat si mutuum non dedis-
et : ut si pecuniâ quam mutuo dedit usurus erat in
mptionem vineæ, vel ad negotiationem. Tunc
erò dicitur damnum emergere, cùm quis ob mu-
uum aliquid suis in rebus patitur detrimenti : ut si
ariùs debeat emere triticum ; si agrum colere ne-
queat, &c. Quæritur an iis de causis liceat aliquid
ultra sortem exigere. Sit

CONCLUSIO. Licet mutuanti aliquid supra sor-
tem exigere, tum propter damnum emergens, tum
propter lucrum cessans, modò serventur aliquæ
conditiones.

Prob. 1. pars; 1°. quia non teneor damnum pati
ut alteri benefaciam : Atqui paterer damnum ex
beneficio alteri collato, si jacturæ quam propter
mutuum feci, compensationem exigere non pos-
sem ; Ergo.

2°. Si quis exigat à mutuatario impensas in trans-
mittendo ad eum mutuo factas, non peccat, quia

hoc unum agit ut indemnem se præstet ; Ergo à pari in proposito.

Prob. 2. pars ; 1°. quia ut aliquid titulo lucri cessantis recipere liceat, satis est ut pecunia negotiationi, aut alii lucro certo aut probabili destinata, & per hoc fructifera, pluris valeat quàm ipsa eadem secundùm se præcisè spectata : Atqui pecunia sic destinata pluris valet. Valet enim præter se ipsam id quod valet spes lucri probabilis : Atqui spes lucri probabilis per se pretio æstimabilis est, cùm constet spem probabilem capturæ piscium justo pretio vendi posse, ut non semel diximus : Ergo.

2°. Licet ex communi sententiâ aliquid ultra sortem recipere, propter damnum emergens : Atqui lucrum cessans est damnum aliquod emergens, quia non solus ille damnum patitur qui perdit aureos centum quos habet de facto, sed & is etiam qui ab eorum quos habiturus erat consecutione impeditur, quique sicut jus suum & spem alii vendere poterat, sic & ei vendere potest cui mutuum donat ; Ergo.

Prob. 3. pars enumeratione conditionum quæ à sanioribus Theologis exigi solent, ut justè exigatur aliquid supra sortem in casibus propositis.

Prima conditio est, ut lucrum cesset, aut damnum emergat ex mutuo, verè, non fictitiè, vel ex culpâ mutuantis : porrò non censetur lucrum cessare ratione mutui, nisi cùm mutuans dat pecuniam verè & certò negotiationi destinatam. Unde si mutuans apud se pecunias otiosas habeat, aut si amicus ipsi mutuum offerat, non censetur ei lucrum cessare ob mutuum : quia etiam post mutuum idem potest percipere lucrum quod anteà. Idem dicendum si mutuans aleâ perdat : tunc enim si quid damni patitur, illud non mutuo, sed insanæ ejus agendi rationi tribuendum est.

Secunda conditio est, ut lucrum sit certò aut verisimiliter ; & quidem justo titulo percipiendum, si facta non fuisset mutuatio. Hinc 1°. qui per mutuum

impeditur à consecutione justi lucri, non ideò potest aliquid supra sortem recipere; 2°. qui pecuniam suam experiendi gratiâ commissurus erat commercio alicui planè dubio, nihil etiam supra sortem exigere posset: lucrum enim merè possibile non censetur cessare; sed requiritur probabilis ejus futuritio, quia possibilium ratio non habetur.

Tertia est, ut mutuator non exigat integrum quod sperat lucrum, sed quanti spes æstimatur. Ratio est 1°. quia *Id quod est in spe, non æquipollet ei quod est in re*; 2°. quia minùs æstimatur lucrum periculo & expensis subjectum, quàm si ab iis immune fuerit.

An verò deducenda sit æstimatio laboris in tali lucro comparando, controvertitur. Negant multi & nos cum ipsis; alioqui cùm labor lucro acquirendo plerumque æquivaleat, ut cernere est in agricolis & mercatoribus, vix unquam aliquid supra sortem ratione lucri cessantis posset accipi. Si tamen labore ad aliud converso mutuans lucrum futuro lucro par reportet, nihil est quod exigat; si mediam solùm partem, debet hanc deducere.

Quarta est, ut mutuans moneat mutuatarium de lucro cessante, quia fortè nollet mutuatarius cum hoc onere mutuari, sed meliorem alibi fortunam quæreret. Unde si mercator compensationem lucri cessantis in pactum non deduxerit, mutuatarius ad eam non tenetur. Non enim tenebitur ex contractu mutui, cùm vi mutui ad solam sortis restitutionem teneatur: non etiam ratione injustæ damnificationis, quia supponitur non fuisse causa damni per culpabilem restituendi moram: nec demùm ratione rei acceptæ, quia mutuum reddendo penitùs se liberat.

Quinta est, ut compensatio lucri cessantis non exigatur eo ipso tempore quo datur mutuum, neque ex mutuatis pecuniis extrahatur: si quis enim mutuo det centum nummos, & statim pro lucro cessante retrahat decem, jam reipsâ non mutuat

centum, sed nonaginta, adeoque injustè tantum exigit, ac si reipsâ centum mutuo dedisset. Existimant tamen aliqui nihil acturum mali, qui ab initio acciperet aliquid à mutuatario in alio genere quàm in quo mutuum dedisset; adeò ut si mutuet centum aureos, possit ab initio recipere triticum valens decem pro compensatione lucri cessantis; modò tamen nihil inde mutuatarius subeat incommodi, quia aliàs bis idem solveret.

Sexta est, ut mercator malit negotiari; si enim mallet mutuare, mutuum daret spe lucri, contra illud, *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

Quæres 1°. an si mercator ultrò subtrahat negotiationi pecuniam suam ut eam det mutuo, possit aliquid supra sortem accipere. R. negat. Ratio est, quia hæc pecunia, utpotè quæ negotiationi destinata non sit, non pluris valet quàm per se æstimetur: porrò plus accipere quàm per se valeat pecunia, usurarium est; secùs si pecunia negotiationi verè destinata esset, tunc enim esset semen lucri distincti ab eo quod ex mutuo præcisè nascitur.

Sed quid, si mercator intra se dicat, Vellem negotiari, nisi multi mutuum peterent? R. mercatorem hunc in eo etiam casu nihil posse supra sortem recipere. Ratio est, quia reipsâ tali homini lucrum non cessat; cùm, ut supponimus, reipsâ nolit negotiari. Nec refert quòd vellet negotiari: quia primariò intendit mutuum dare, si possit, non verò negotiari; nisi in hypothesi quòd nemo occurrat qui pecuniam ejus mutuo accipere velit, quod non facit ut ei reipsâ lucrum cesset.

Hinc sequitur mutuantibus seriò esse inculcandum, ut mutuent animo caritatis, non ut lucrum majus aut certius referant; aliàs convincuntur auctarium quærere, non tam ratione lucri cessantis, quàm ratione mutui; tale verò motivum efficit ut saltèm mentaliter usurarii sint.

Quæres 2°. an si mutuatarius auctarium promiserit pro damno probabiliter emersuro, quod tamen

de facto non evenerit, teneatur auctarium illud solvere. R. negativè. Quia mutuans auctarium exigere non potest nisi ad suam indemnitatem: porrò cùm damnum de facto non contingit, nullâ opus est indemnitate. Aliud est si mutuatarius pacisci velit cum mutuante de certâ pecuniæ summâ vi cujus quasi redimere velit periculum probabilem, non autem eventum expectare. Tunc enim mutuans, etsi nullum posteà damnum ferat, poterit tamen auctarium exigere, ratione periculi cui fuit subjectus; quod quidem periculum pretio est æstimabile. Et verò legitimi sunt contractus in quibus contrahentes commodo & damno se exponunt: Atqui mutuans de quo hîc major est difficultas, ut commodo sic & damno se exponit: ut enim lucrari, sic & perdere potest; quia si multum damni patiatur, nihil ultra pactam pecuniam exigere poterit; Ergo. Tunc autem pacta pecunia minor esse debet, quia damnum probabile non tanti est quanti reale.

Duo hîc supersunt expendenda; 1°. an donatio sufficiens sit titulus ad accipiendum supra sortem; 2°. an mutuans possit non computare in sortem, fructus rei sibi in pignus datæ.

Ad 1. ubique constat, licitum esse mutuanti id accipere quod sibi gratis & liberaliter à mutuatario donatur, tùm quia lex mutui legi gratitudinis contraria non est; tùm quia mutuans pejoris non est conditionis quia mutuum dedit, quàm si non dedisset; imò melioris, cùm beneficium gratificatione dignum sit. Tota igitur quæstionis hujus difficultas in eo est, ut dignoscatur an mutuatarii donatio gratuita sit, & omni carens vitio: quod examen etsi Confessarii prudentiæ committi solet, à nobis quoque faciendum est.

Et quidem 1°. in hâc sicut & aliâ quâlibet donatione, attendendum est ad circumstantias, putà ad quantitatem rei datæ, ac conditionem dantis, si sit amicus, dives, talia largiri solitus, iis saltèm qui de ipso bene merentur.

2°. Præsumi non debet donatio merè gratuita, si mutuans eam à se intendi signo quopiam insinuaverit; itèm si mutuatarius mutuum petat ut inopiæ suæ medeatur; ac demùm si munus ante sortis solutionem offeratur, quia præsumendum est illud dari ut terminus solutionis prorogetur. Ceterùm si quædam sint utrinque signa quæ dubiam faciant donationis libertatem, iis adhærendum est quæ aliis verè fortiora sunt; quia ex Jure, *præsumptio præsumptione retunditur.*

3°. Abesse debet scandalum: si enim hæc conditio etiam sola desit, peccabitur non quidem contra justitiam, sed contra caritatem, aliasve virtutes.

Quæres an usuraria sit intentio illius qui lucrum sperat ex mutuatarii liberalitate.

R. 1°. usuram esse si quis vi mutui aliquid supra sortem exigat, etiam solo titulo gratitudinis: 1°. quia damnata est ab Innoc. XI. propositio hæc, *Usura non est dùm ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentiâ & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquam ex justitiâ debitum*; 2°. quia quod ex gratitudine datur, spontaneè prorsùs & liberaliter rependi debet: quod autem exigitur, eo ipso coactè, datur enim vi pacti quod de se necessitatem inducit; 3°. quia aliàs insignes usurarii eâ subtilitate se purgarent; quid enim eorum interest an auctarium recipiant quasi ex justitiâ aut alio titulo debitum, modò ipsum verè recipiant?

op. 41.

R. 2°. Si mutuans speret tantummodo lucrum, ut ex gratitudine dandum, & plenam relinquat mutuatario libertatem, eum non ideò censeri debere usurarium. Non enim est usura id sperare quod non est usura accipere: Atqui ex dictis usura non est, si quis quid accipiat sibi gratuitò donatum. Porrò mutuans judicatur ex solâ gratitudine sperare auctarium, cùm ità affectus est ut nollet retinere quidquid sibi à mutuatario non libenter donaretur.

Jam de fructibus pignoris: porrò nomine pignoris, gallicè *gage*, intelligitur res mobilis tradita

creditori in assecurationem debiti ; Si enim res sit immobilis, dicitur gallicè *engagement*. Si ergo Petrus à Titio receperit equum vel domum in assecurationem summæ quam eidem Titio dedit mutuam ; quæritur an fructus è domûs locatione, aut equi conductione prodeuntes, possint à mutuante sine usurâ percipi donec mutuatarius solvat. Hujusmodi contractus alio nomine vocatur Antichresis, id est, usus contrarius, quia creditor loco pecuniæ suæ rebus alienis fruitur.

R. Contractum hunc esse prorsùs usurarium. Nam contractus in quo vi mutui aliquid accipitur supra sortem, usurarius est ; Atqui talis est contractus Antichresis ; in eo enim accipiuntur reditus qui verè alieni sunt, cùm res quælibet domino suo fructificet : Ergo ut contractus ille ab usurâ immunis reddatur, fructus percepti in sortis diminutionem computari debent, deductis tamen expensis tam necessariis quàm utilibus in rei conservatione & culturâ, à mutuante factis.

Porrò deduci in sortem debent, 1°. fructus percepti à mutuante, etiamsi à mutuatario percepti non fuissent ; 2°. ii etiam qui propter latam mutuantis culpam percepti non fuerunt, ut si ex ejus negligentiâ vitis remanserit inculta.

Excipiuntur à regula communi, 1°. feudum in pignus domino directo datum : quia ex Juris dispositione ea est feudi natura, ut si domino in pignus detur, possit is ejus fructus interim percipere, modò feudatarius eo tempore liber sit à servitio præstando ; modò etiam fructus non sint debito servitio longè majores, quia gravis excessus retineri non posset ; 2°. Fundus qui loco dotis in pignus datur, ex cap. 19. *de usuris* ; quia fructus ejus tenent locum dotis, & necessarii sunt ad sustinenda matrimonii onera. Quòd si gener onera matrimonii non sustineat, tenebitur fructus pignoris dotabilis in sortem dotis computare.

C. 1. D feudis.

O v

ARTICULUS TERTIUS.

De pactis quæ mutuo addita Usuram parere possunt.

NOtand. 1°. Generale est S. Thomæ principium; toties usuram committi, quoties pro mutuo, ex pacto tacito vel expresso, ac proinde ut strictè debitum accipitur quodcumque munus vel imponitur onus pretio æstimabile, quia illud omne pro pecuniâ habetur, cujus pretium pecuniâ potest mensurari.

Not. 2°. tria præsertim esse pacta quæ mutuo adjungi solent, & ut onera mutuatario imponi. Primum est amicitiæ, vel injuriæ condonandæ. Secundum est remutuandi. Tertium est pœnæ conventionalis.

Amicitiam in pactum deduci posse pro mutuo nemo ambigit, utpotè quæ ex iis non sit bonis quæ pecuniâ æstimantur. Idem est de iis amicitiæ urbanitatisque signis, quæ absque mutuatarii molestia & incommodo exhiberi possunt: tota igitur difficultas est de tribus aliis pactis, & ante omnia quidem de pacto condonationis; cujus occasione ut generalia, quæ variis difficultatibus occurrere possunt, stabiliantur principia.

Dico 1°. Quidquid aliàs ex justitiâ debitum erat, potest à mutuante ex pacto exigi ratione mutui.

Prob. Id quod tunc à mutuante exigitur, non est lucrum indebitum; sed propriæ vexationis redemptio quæ jam debita erat. Quapropter si mutuans solùm exigat ut mutuatarius privatam vindictam non exerceat, vel ut ab iniquâ exactione cesset, vel ut debita sibi summa refundatur, non est quod usuræ labem vereatur.

Dico 2°. Probabilius est mutuantem stipulari posse ut mutuatarius vel alteri, vel ipsi mutuanti reddat ea quæ iis solùm debita sunt ex caritate, religione, aut aliâ simili virtute distinctâ à justitiâ, v. g. ut

mutuatarius faciat aliquam eleemosynam ad quam ex voto tenetur; ut si dives sit, pauperi graviter egenti succurrat, quod ex caritate debebat; ut si Medicus sit, mutuanti ægro stipendium daturo ferat opem quam is ab alio habere non potest.

Prob. 1° quia obligatio civilis quæ obligationi alterius virtutis superadditur, non potest haberi ut onus verum, & pretio æstimabile; quia non tam cedit in utilitatem mutuantis quàm ipsius mutuatarii, quem obligat ut officio suo non desit; 2°. quia fatentur omnes mutuantem à mutuatario exigere posse ut desistat ab injuriâ quam mutuanti vel alteri inferre nitebatur: sed quando petit ut adimpleat ea ad quæ jam tenetur ex caritate vel voto, &c. exigit tantùm ut desistat ab injuriâ quam Deo vel ejus caritati inferret, ea non implendo; Ergo.

Quòd si quis à Medico aliàs non obligato exigeret ut mederetur, etiam accepto stipendio; ab Advocato ut defenderetur, usuram committeret.

Dico 3°. qui exigit ut mutuatarius condonet reparationem injuriæ ad quam mutuans vel alius jam à Judice condemnatus est vel condemnari debet, quamque mutuatarius nec ex justitiâ nec ex caritate remittere tenetur, usuram committit.

Prob. 1. pars; quia hoc nihil est aliud quàm debitum pecuniarium & quidem legitimum extinguere velle vi mutui, quod est velle pecuniam supra sortem ex mutuo.

Prob. 2. pars; quia impedire nè quis reparationem ad quam jus legitimum habet juridicè obtineat, est eidem imponere onus pretio æstimabile, seu efficere ut juri suo renuntiet, quod usurarium est. Si quis tamen vi mutui intendat alterius amicitiam, ut ex eâ perveniat ad injuriæ condonationem, non peccat; quia si tunc remittatur injuria, non ex pacto, sed liberè & libenter condonabitur. Ut solvantur aliæ difficultates.

Quæres 1°. an immunis sit ab usurâ, qui mutuum dando exigit ut mutuatarius ipse remutuet

quoties mutuans indiguerit; velut justo pretio emat apud mutuantem, in molendino ejus molat, domum ejus locet, &c.

R. negat. quia obligatio remutuandi, est pretio æstimabilis: unde qui acciperet pretium pro obligatione mutuum dandi quoties id alius exigeret, non committeret injustitiam; Ergo talem obligationem ex mutuo exigere, ut debitam, est lucrum ex mutuo reportare. Idem dicendum de obligatione molendi apud alium, aut emendæ apud eum mercis, quia licèt non sit gravamen ratione pretii quod justum esse supponitur, est tamen gravamen ratione libertatis, quæ etiam pretio æstimabilis est.

Dices 1°. Ex suprà concessis potest mutuans exigere à mutuatario id quod iste debebat ex caritate vel religione; Ergo cùm mutuatarius ex gratitudine remutuare teneatur, poterit mutuans remutuationem hanc exigere.

R. neg. conseq. Disparitas est, quòd obligatio pacti supra obligationem gravem ex caritate, aut aliâ simili virtute graviter urgente, pro nihilo reputetur in materiâ mutui, magisque vergat in commodum mutuatarii, qui sic à peccato contra caritatem aut religionem abstinere compellitur: Atverò obligatio supra debitum puræ gratitudinis addita, magni momenti esse censetur; quia gratitudo leviter obligat, vixque sub veniali, & aliunde ei innumeris modis satisfieri potest: secùs de pacto quod strictè & in certo quodam genere arctat, ut satis patet.

Dices 2°. Ubi est usura, ibi est injustitia; ubi autem est injustitia, ibi est restituendi obligatio: Atqui in prædicto casu nulla est obligatio restituendi; quid enim ei restitues cui non nisi justo pretio vendidisti?

R. restituendum esse dupliciter: 1°. relaxando obligationem injustè impositam; 2°. aliquam dando ex viri prudentis arbitrio compensationem pro tempore quo mutuans alium injustè ligatum tenuit; atque etiam refundendo quidquid is hâc de causâ damni passus esset.

Sed quid si Titio mutuam pecuniam postulanti dixero: Dabo quod vis, modò hîc & nunc mutues mihi vinum quo indigeo. R. cum Sylvio hîc non subesse usuram, quia ab eo qui à me officium amicitiæ postulat, possum vicissim idem officium petere; eumque si id præstare nolit, ut ingratum repellere. Id tamen usurarium aut saltèm injustum foret, si Titius vinum quod mutuum peto, non posset mihi præbere sine majori suo incommodo; secùs si utriusque par sit incommodum, quia tunc plena erit æqualitas.

Quæres 2°. an mutuans pacisci possit ut mutuatarius præfixo tempore suâ culpâ non restituens, aliquid ultra sortem solvat in pœnam, etiam secluso lucro cessante, aut damno emergente. (Quæ pœna dicitur *conventionalis*, quia ex consensu contrahentium constituitur: unde differt à pœnâ tùm *judiciali*, quæ à Judice contra mutuatarium decernitur, nisi tempore constituto satisfaciat: tùm *legali*, quæ lege vel statuto imposita est, qualis ea est quæ tutori imponitur ut solvat quinque pro centum, si pecunias pupilli suâ negligentiâ steriles & otiosas relinquat.)

R. pœnam conventionalem absque usurâ mutuo apponi posse, si adsint necessariæ conditiones.

Prob. quia pœna hæc apponitur ex contrahentium consensu, & ob finem legitimum, nempè ut contractuum firmitati consulatur, & puniatur negligentia vel iniquitas mutuatarii, qui mutuum invito benefactore suo retinet: Atqui in iis omnibus nihil est iniqui; Ergo.

Pœnam verò quæ sic imposita fuerit ante sententiam Judicis solvere tenebitur in conscientiâ is qui fuerit culpabiliter in morâ: quia justa conventio jure naturali independenter à sententiâ Judicis obligat, licèt pœnæ judiciales punitivæ & involuntariæ Judicis sententiam prærequirant.

Dixi, *si adsint conditiones requisitæ*, eæ verò sunt 1°. ut recta sit mutuantis intentio: ità ut sincerè intendat rem mutuatam, condicto sibi tempore restitui,

non verò ut magis cupiat mutuatarium esse in morâ ut auctarium solvere cogatur; nec stipuletur de pœnâ pro tempore quo prævidet mutuatarium solvendo imparem fore; nec tempus illud de industriâ breve præfigat, ut mutuatarius solvere non possit.

2°. ut pœnæ solutio non exigatur integra, si pars sortis reddita jam fuerit; quia æquum non est ut pro toto puniatur, qui nonnisi in parte deliquit.

3°. ut pœna non exigatur, nisi propter moram culpabilem; quia iniqua esset conventio, sicut & lex quæ pœnam etiam innocentibus decerneret.

4°. ut mora sit utcumque notabilis, & habitâ rei qualitate reputari non possit quasi nulla. Hinc mora diei unius, imò & hebdomadæ, non sufficit communiter loquendo, nisi indè damnum emergat mutuanti, aut eidem lucrum cesset.

5°. ut pœna non sit nimia, qualis esset si sors dupliciter assignaretur in pœnam, aut si conventum esset ut mutuans suum faceret pignus acceptum.

6°. ut absit scandalum.

Ergo, inquies, licitum erit in contractu mutui pactum *legis commissoriæ*, per quod pignus à mutuante retinetur in pœnam moræ mutuatarii.

R. pactum hoc saltèm ob usuræ præsumptionem prohibitum esse cap. 7. *de pignoribus*. Et verò cùm pignus regulariter superet debitum in cujus securitatem datur, non posset à mutuante retineri, saltèm absque eo quòd pœna eum inter & mutuatarium conventa, immoderata esset, quod pugnat contra quintam conditionem, quam omnes necessariam esse agnoscunt ad hoc ut pœna conventionalis legitima sit. Quòd si pignus non excedat notabiliter debitum, & ita censeri possit esse pœna moderata, neque mens creditoris sit quòd alter pœnam incurrat, nisi suâ culpâ non solverit ad præfixum diem, pactum erit validum. Monet tamen Pontas, pleraque Galliarum Parlamenta has conventionales pœnas non approbare, ut quæ vix alio fine quàm usuræ palliandæ apponi consueverint.

Usure, Cas 34.

Quæres an ob legum dispositionem creditor qui nullum reipsâ ex dilatâ solutione damnum sustinet possit usuras percipere.

R. cum Sambovio creditorem posse *interesse* sibi à Judice assignatum percipere, etiamsi nihil passus sit damni, modo tamen debitor sit in morâ culpabili. Ratio est 1°. quia pœna supponit quidem culpam, sed adversùs eam absque ullo alio titulo decerni potest; 2°. quia, ut statim dixi, potest mutuans pacisci de pœnâ pro morâ mutuatarii, secluso alio quocumque lucri cessantis aut damni emergentis titulo; 3°. quia leges quæ debitorem morosum ad usuras condemnant, non innituntur præsumptione damni creditoris, quæ sæpiùs falsa esset; sed existimatione quòd debitor culpabiliter morosus mulctari mereatur, quod semper verum est. Hic tamen valdè cavendum nè mutuans usurariam intentionem gerat, ut ii gerunt qui mutuo dantes peroptant ut mutuatarius præfixo tempore mutuum reddere nequeat; ac proinde ut ab eo usuras obtineant.

ARTICULUS QUARTUS.

De iis qui ratione lucri usurarii ad restituendum tenentur.

QUæstio esse potest, 1°. de usurario reali; 2°. de usurario mentali; 3°. de eo qui ex contractu quem usurarium nesciebat, percepit auctarium, quod hic & nunc alio titulo legitimo percepturus fuisset; 4°. de tutore qui pupilli pecuniam ad usuram dedit; 5°. de hæredibus usurarii; 6°. demùm de iis qui usuræ cooperati sunt: sit

CONCLUSIO I. Usurarius realis tenetur restituere. Ità passim habetur toto titulo *de Usuris.*

Prob. 1°. quia usurarius alienum habet domino rationabiliter invito: Atqui id ad inducendam restitutionis obligationem sufficit; 2°. quia mutuatarius vel non intendit quidpiam juris in usurarium trans-

ferre; vel si id intendat, nihil operatur ad rescis-tentiam juris, & nullitatem contractûs.

Hinc colliges 1°. quòd si res data usurario apud eumdem crescat, valor ille pertineat ad mutuatarium; quamvis si decrescat aut pereat, pereat ipsi usurario, ut potè qui malæ fidei possessor sit; 2°. creditorem quem usurarius pro summâ pecuniæ remittit ad mutuatarium, non posse hanc ab ipso exigere; quia cùm usurarius ad eam nullum jus habeat, nec ullum creditori suo tradere potest.

CONCLUSIO II. Usurarius mentalis, seu, ut hîc intelligimus, qui sine ullo pacto etiam implicito aliquid supra sortem recipit, tenetur ad restituendum.

Prob. tùm ex cap. 10. *de usuris*; tùm quia usurarius etiam mentalis injustâ viâ recipit id quod per usuram recipit; Ergo tam usurarius est quàm qui recipit ex pacto, adeoque sicut & ille restituere tenetur.

Quæres quid facto opus sit; 1°. si mutuatarius spontè aliquid & ex liberalitate offerat quod mutuans animo usurario recipiat; 2°. si mutuatarius aliquid animo usurario, nempè ut solutionem debiti tradat, & id mutuans sibi ex merâ liberalitate tradi putet.

R. In primo casu mutuans tenetur ad restituendum ratione conscientiæ erroneæ, nisi eam prudenter deponat compertâ rei veritate: sicut qui pallium rapit quod alienum putat, cùm tamen sit suum, tenetur illud restituere donec sibi constiterit illud suum esse. In secundo casu mutuans compertâ rei veritate, rem & extantes rei fructus, mutuatario reddere debet: quia talis donatio nulla est, & ne quidem dominium transiens confert. Quòd si mutuans rationabiliter dubitet quo animo mutuatarius rem aliquam sibi donet, an gratis, an ut lucrum ex mutuo, restituere tenetur, etiamsi alter in rei veritate, sed non compertâ gratìs donaverit. Ratio est, quia qui dubitat num res sit aliena, non potest possessionem inchoare; quia exponit se periculo alienum invadendi

Suprà, p. 77.

CONCLUSIO III. Qui bonâ fide contractum usurarium fecit, alium etiam magis lucrativum facturus si prioris injustitiam cognovisset, tenetur ad restitutionem auctarii percepti.

Prob. 1°. quia qui bonâ fide contractum usurarium fecit, auctarii dominium acquirere non potuit. Non enim potuit vel ratione contractûs, utpotè invalidi, vel ratione bonæ fidei : quia bonæ fidei possessor ad restituendum tenetur, ut alibi diximus ; Ergo.

Prob. 2°. Si quis ob bonam fidem auctarium in casu prædicto retinere posset, qui bonâ fide emit infra justum pretium, vel supra justum vendidit, posset etiam cognitâ veritate excessum retinere, dicendo se alium contractum cum eodem, vel cum alio facturum fuisse, si illius quem actu fecit injustitiam cognovisset : Atqui falsum consequens ex omnium sententiâ.

Prob. 3°. quia contrahens ille, etsi habitualem habeat animum modo alio contrahendi, si iste justus non sit ; reipsâ tamen non habet actualem animum alio modo contrahendi ; nec ipse, vel ille quicum contrahit alium de facto consensum actualem habet : Atqui tamen contractus, ab actuali non autem ab habituali tantùm intentione pendent ; Ergo.

Si tamen contractus quem facis, non sit necessariò usurarius, sed sub aliquo respectu justus, immunis eris ab usurâ, si *virtualiter* & *implicitè* justum aliquem titulum intendas, volendo v. g. eo contrahere modo quo viri pii & artis periti contrahunt, aut non aliud reportare lucrum quàm quod mercatores justè reportant : At hîc cave non esse confundenda hæc duo, *Volo sic contrahere*, & *voluissem sic contrahere, si cogitassem* : quamquam enim prius sufficere potest, non tamen posterius.

CONCLUSIO IV. Tutores restituere debent id quod ex pupillorum denariis usurariè compararunt.

Prob. quia ex dictis, usura per se mala est & illicita ; Ergo non magis in pupillorum quàm in

aliorum gratiam exerceri potest, præsertim in hoc Regno, in quo divinæ legi accedit Principis autoritas. Sic generaliter Henricus III. in Comitiis Blesensibus : *Défendons à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'exercer usure.* Unde Bouchel in Bibliothecâ suâ sic habet : *Cette prohibition d'usure portée par la loi de France est générale, & ne reçoit limitation pour la faveur des pupilles ou autres personnes.* Refert etiam Autor Collationum Diœcesis Lucionensis, decisionem à celebribus octo Parisiensis Curiæ Advocatis emissam, quæ sic habec : » Le Parlement de Paris n'autorise point » les prêts qui se font par les tuteurs des deniers » de leurs pupilles à intérêt.... d'autant que la maxime du Parlement est, que la stipulation d'intérêt est usuraire, lorsque c'est un pur prêt; & » cela n'est permis que quand il y a aliénation du » sort principal par un contrat de constitution, » ou contrat équipollent. *Et infrà :* » Si le tuteur » rapportoit des diligences, & des preuves com» me il n'a pu trouver à colloquer les deniers du » *pupille*, il pourroit en connoissance de cause » être déchargé des intérêts «.

Tom. 2. *Collat.* 35. *c.* 3.

Quæres cujus damno restitutio hæc fieri debeat; an tutoris, an pupilli? R. Si res usuraria extet in specie apud pupillum, tenetur eam mutuatario restituere : at semper recursum habet in tutorem, ac proinde quomodocumque se res habeat, totum quod hîc esse potest damnum, in tutorem cadit. Si tamen tutor pecunias pupilli sui bonâ fide mutuo dedisset, v. g. secundùm Provinciæ consuetudinem, cui neminem repugnare audiisset, non teneretur ad restituendas usuras quas eâdem bonâ fide in pupilli commodum convertisset; etiamsi posteà moneretur contractum hunc usurarium esse, prout docet Habert; sed non video cur pupillus ipse, si hinc ditior factus esset, à restituendo liberaretur.

CONCLUSIO V. Hæres usurarii restituere tenetur,

Prob. quia hæres repræsentat personam defuncti.

Quæres an hæredes usurarii vel cujuslibet alterius debitoris teneantur restituere in solidum.

Ut solvatur hæc quæstio, revocandum est in mentem, debita quibus teneri quis potuit mortis suæ tempore, alia esse *ex contractu*, aut *quasi contractu*; alia *ex delicto* aut *quasi delicto*, ut usuras & furta; quæ autem sunt ex contractu, vel hypothecaria esse, vel merè personalia. His præmissis quæ alibi exposuimus, sit

CONCLUSIO VI. Hæredes tenentur in solidum ad restitutionem debitorum quæ ex contractu proveniunt, si sint hypothecaria; non tenentur verò nisi pro parte, si sint personalia. Unde in hoc casu si Petrus aureos mille moriendo debebat, & ex quatuor filiis ejus tres sint qui nolint, vel non possint solvere; sufficit ut quartus partem suam solvat, secundùm mensuram hæreditatis quæ ad eum pervenit; non verò tenetur in aliorum defectum solvere.

Sup. pag. 104.

Prob. Debita hypothecaria debitis merè personalibus ut in foro exteriori, sic & in foro conscientiæ præferri debent: Atqui non præferrentur, si debita personalia deberent in solidum solvi ab hæredibus; Ergo. Major patet, tum ex dispositione Legum quibus obediendum est; tum quia alioqui si non prorsùs, at præcipuâ sui parte inutiles forent hypothecæ, quando quidem nullum præferentiæ jus tribuerent in foro conscientiæ, quo præsertim homines dirigi debent. Minor non minùs constat. Ideò enim præferuntur debita hypothecaria personalibus, quia hypotheca, utpotè quæ non dividatur & tota sit in qualibet boni parte, dat creditori facultatem jus suum totum insequendi ubicumque potest: Atqui pariter creditor personalis jus suum totum in quamlibet boni partem exerceret, si hæredes in solidum restituere deberent; tunc enim ceteris deficientibus ab uno solo exigere posset id omne quod sibi debitum est: Ergo.

Obj. 1°. Debitor fato functus personalem de-

bita suâ solvendi obligationem contraxerat: Atqui obligatio personalis ad omnia bona extenditur; Ergo omnia defuncti bona, etiam cùm ad hæredes transierunt, creditori obligata manent, unde & ii in solidum solvere tenentur.

R. dist. min. Obligatio personalis ad omnia bona extenditur, & iis divisis, simul dividitur, C. & tota in unoquoque manet, ità ut unus pro aliis solvere teneatur, N. Itaque tota obligatio in hæredum totalitate reperitur, sed divisim; quia divisâ defuncti personâ in hæredes, divisa quoque proportionaliter transire debet obligatio quæ realis non est, sed personalis.

Inst. Ergo creditor post debitoris mortem pejoris est conditionis quàm ante.

R. neg. antec. Imò creditoris jus augetur; quia transit in omnia singulorum hæredum bona, ea etiam quæ aliunde habuerunt: unde etiam in conscientiâ ultra vires hæreditatis restituere tenentur, nisi inventarium confecerint.

Obj. 2°. Hæreditas non pertinet ad hæredes nisi post solutionem debitorum; Ergo antequam quatuor hæredes quidquam hæreditatis capere possint, debitum totum expungere tenentur.

R. hinc sequi nullum in particulari hæredem jus habere ad portionem substantiæ quæ ipsum contingit, nisi partem debiti ei quam percepit hæreditatis parti adæquatam solverit; sed nihil inde contra nos.

CONCLUSIO VII. Cùm debita ex delicto prodeunt, ut usuræ, hæredes ad eorum solutionem in solidum non tenentur; nisi vel delicto cooperati sint, vel à parte læsâ facta sit contra defunctum litis contestatio ante mortem ejus.

Prob. 1°. ut hæredes hominis usurarii in solidum teneantur ad restitutionem, oportet ut creditor qui damnum passus est, expressam vel tacitam habeat hypothecam in bona illius: Atqui creditor usurarii nec expressam nec tacitam habet hypothecam in

bona illius. Non *expressam*, hæc enim nonnisi expresso contrahentium consensu comparatur; non *tacitam*, ea enim nonnisi legis beneficio conceditur: Atqui nulla est lex, nullum Regis edictum quo qui ab usurario mutuum accepêre, hanc in ejusdem usurarii bona hypothecam acquirant; Ergo.

Prob. 2°. quia opinio opposita, quam olim post Glossam secuti sunt Canonistæ, nullo satis firmo Juris Canonici textu nititur: nam cap. 9. *de usuris*, nullam obligationem solidariam indicat.

Duo hîc addenda: 1°. Si consuetudine alicubi receptum esset, prout in Normanniâ receptum esse dicunt, ut creditor usurarii hypothecam haberet in ejus bona, tunc hæredes in solidum restituere tenerentur; 2°. hæredem aut legatarium, &c. ad quem res ipsa per usuram parta devenisset, teneri ad eam restituendam, seu mutuatario qui dederat, seu quod in totâ hâc materiâ locum habet, ejusdem hæredi, seu in utriusque defectum, pauperibus aut Ecclesiæ.

CONCLUSIO VIII. Qui cooperantur ad usuras, ad restituendum tenentur, sicut & ii qui furto cooperantur. De hoc conveniunt omnes, sed dubium est quis proximè satis & efficaciter cooperetur. Quâ de re

Dico 1°. Qui consulit usuras, aut pecuniam præbet ut exerceantur, tenetur ad restituendum. Ratio est, quia uterque est causa satis efficax damni, & actioni formaliter injustæ cooperatur.

Dico 2°. Domini temporales, Judices, Advocati qui causa sunt ut vel solvantur usuræ, vel solutæ non restituantur, peccant contra justitiam, & tenentur in solidum restituere: quod extendi solet ad eos etiam qui cùm possint, usurarios suis è locis non eliminant. Ratio eadem est quæ superioris casûs. Damnari tamen non potest Princeps qui ob gravem Reipublicæ necessitatem usuras tolerat: at seclusâ eâ necessitate, excommunicatur ipso facto, Clement. unic. *de Usur.*

Dico 3°. Notarii etiam eidem obnoxii sunt restitutioni, si instrumenta conficiant vi quorum solvendæ sint usuræ: itèm ministri principales usurariorum, ut proxenetæ, factores, correspondentes. De Notariis hæc expressè sanxit Ludovicus XII. *Défendons à tous Notaires de recevoir aucun contrat usuraire, sur peine d'être privés de leur état & d'amende arbitraire.* De proxenetis & mediatoribus eodem imò acriori modo loquuntur Comitia Blesis habita. Proxenetæ verò ii sunt qui quærunt eos qui pecuniâ indigent, adducuntque ad usurarios, & eorum partes agunt: si enim mutuatarii partes agant, ei beneficium potiùs quàm injuriam præstant, nec causa sunt cur mutuum gratis non detur. Famulos etiam qui ad usurarum solutionem compellunt, ad restituendum teneri credimus, quia ad actionem injustam proximè concurrunt.

Qui non nisi remotè concurrunt, quales sunt ii qui recipiunt pignora, eaque custodiunt, qui pecuniam numerant, & omnia in rationum librum referunt, plerisque Theologis à restituendo immunes videntur; quia nimis remotè cooperantur, vixque aliud faciunt quàm manus suas denigrare.

Porrò restitutio iis facienda est qui usuras solverunt inviti: secùs aiunt plures, si de iis sermo sit qui lucri majoris avidi sinè necessitate pecuniam sub usurâ receperunt, ii enim pecuniâ quam spontè obtulerunt, privari merentur, sicut simoniaci. Quia tamen non est privatorum inducere pœnas, & res domino etiam injusto clamat; nec arguere ausim qui mutuatario restitueret, nec secluso locorum usu exigere ut alii restituat.

ARTICULUS QUINTUS.

De Pœnis Usurariorum.

USurarii alii *publici* sunt, seu *notorii*: alii *occulti.* Publici tales sunt vel *notorietate juris*, vel *notorietate facti*, de quibus suprà.

Publici usurarii sunt, 1°. infames, ac proinde irregulares & inhabiles ad Officia & Beneficia ; 2°. *Nullus publicos usurarios ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat ; nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum praestent idoneam cautionem*, cap. 2. *de usuris* in 6. 3°. *Testamenta manifestorum usurariorum* sinè satisfactione vel cautione *facta, non valent : sed sunt irrita ipso jure*, ibid. 4°. Sanxit Concilium Lateranense III. ut *nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in peccato suo decesserint, accipiant sepulturam*, cap. 3. *de Usur.*

Can. 111 3. 2. 7.

Circa hunc Canonem duo notanda : 1°. non excluduntur usurarii ab Officio divino, quia ex toto excommunicati non sunt jure communi, licèt particularibus locorum statutis sæpè excommunicentur, ut indicat hæc formula, *Pro excommunicatis denuntiamus sortiarios, publicos usurarios, &c.*

2°. Quia non omnis notorietas facti sufficit in Galliâ, Parochi, cùm de negandâ usurariis, aliisque peccatoribus publicis nondum juridicè condemnatis sepulturâ agitur, ad Episcopum recurrere debent. Nam malè agit, juxta Pontas, Parochus qui hominem in ebrietate notoriâ, & habituali blasphemiâ mortuum, inconsulto Episcopo christianâ privat sepulturâ, quam & ei solemniter dare debet, si Episcopi responsa recipere nequeat; cujus rationem hanc affert, quòd ad negandam alicui sepulturam, præcedere debeat in Galliis Ecclesiastici Judicis sententia.

V. Sepultur. Cas. 1.

Ceterùm hanc in conscientiæ foro erga usurarios agendi rationem servare debet Confessarius : 1°. publicam *pro modo culpæ* publico peccatori *pœnitentiam injungere debet*, ut scandalum reparetur ; 2°. usurariis impendi non debet absolutionis beneficium, antequam publica eorum appareat emendatio per condignam satisfactionem ; 3°. cautionem dare debent de satisfaciendo : quod si non possint, satis est ut jurent se non posse, & se omni opè

Trid. Sess. 24. c. 8.

Opusc. 78. c. 16. facturos ut restituant : 4°. ait S. Thomas, *Usurarii etiam occulti, sic compellendi sunt ad restitutionem, ut beneficium absolutionis eis denegetur, nisi restitutionem faciant plenam, quantùm potuerint, aut dilationem petierint ab iis quibus restituere tenentur*, si actu restituendo impares sint. Et hæc severitas tunc præsertim adhibenda est, cùm in præcedenti Confessione moniti, promissam restitutionem executioni non mandaverunt.

Quæres an peccet qui mutuum accipit sub usuris.

R. cum S. Thoma hìc q. 78. a. 4. *quòd nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris: licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum; quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius, sicut etiam licet ei qui incidit in latrones manifestare bona quæ habet, (quæ latrones peccant diripiendo) ad hoc quòd non occidatur.*

Hinc colligunt Theologi unanimiter, licitum esse ei qui pecuniâ indiget, hanc ab eo postulare *qui* ad usuram dare *paratus est* : quia nempe licet ab alio petere id quod licitè præstare potest; quamvis ex malitiâ suâ non sit licitè præstiturus : modò tamen adsit justa peccatum ejus non impediendi causa, qualis hìc intervenit, cùm mutuatarius non teneatur sub gravi suo damno mutuantis malitiam impedire.

Colligunt 2°. bene multi, peccare mutuatarium, etiam in extremâ necessitate positum, qui alium inducit ad sibi sub usuris mutuandum, dicendo absolutè : *da mihi mutuum, & tot solvam pro usuris.* Tum quia qui sic petit, alium inducit ad malum, quod sinè peccato fieri non potest; tum quia absolutè petere non licet id quod ab alio absolutè fieri non potest.

Hinc liquet quòd aliud sit accipere mutuum sub usuris, aliud petere sub usuris. In primo casu mutuatarius significat duntaxat animum patiendi, ex hypothesi quòd alter à pravâ dispositione non recedat; in secundo directè ad malum inducit, quod non

non licet. Quòd si matuatarii propositio, hæc aut alia æquivalens foret, Da mutuum saltèm sub usuris, si, ut debes, gratis dare nolis, docet Sylvius eam à peccato liberam fore.

Colligunt 3°. eum etiam mortaliter peccare, qui sine necessitate mutuum petit ab eo quem scit non daturum esse nisi sub usuris : quia tenetur unusquisque lege caritatis spirituale proximi damnum avertere, saltèm cùm id sine suo incommodo potest.

Quæres quænam hîc necessitas à peccato excuset. R. mutuum sub usurâ non posse recipi sine peccato, nisi ob urgentem aut notabilem necessitatem; id est in iis solùm casibus, in quibus homo notabiliter damnificaretur, vel notabilem penuriam pateretur, si non acciperet ad usuram. Unde *mercatores* mutuum sub usurâ accipientes *ut honorabiliùs vivant, & majores mercationes faciant*, & alii ejusdem aut similis propè generis, non sunt in eâ positi necessitate *quæ sufficiat ad excusandum prædictum* usuræ *peccatum*, ut docet S. Thomas Opusc. 67. *de emp. & vendit.* Quapropter hæc usurarii mutui exigentia non solùm continet aliquam salutis proximi nostri negligentiam, sed & veriùs judicatur esse peccatum mortale, quia mortaliter contra caritatem peccat, qui mortale proximi peccatum non impedit, cùm illud absque notabili incommodo impedire potest.

Collat. And. t. 1. p. 338.

---

* APPENDIX *

De Montibus Pietatis.

MOntes pietatis sunt notabilis cumulus pecuniæ, alteriusve rei mutuabilis, ut farinæ, &c. collectus, ut indigentium necessitati per mutuum subveniatur, nè opprimantur usuris.

Ea porrò quæ horumce Montium Ministri mutuo dant, sub certis dantur conditionibus : 1°. non debent dari nisi pauperibus; 2°. non nisi ad certum tempus, v. g. ad annum; 3°. debet iisdem Ministris

dari pignus, vendendum si sors præfixo tempore non restituatur, ità ut residuum pretii mutuatariis reddatur, distracto capitalis valore; 4°. sive vendatur pignus, sive reddatur capitale, tribuendum est Montium Ministris aliquid suprà sortem, tùm pro eorum sustentatione, domûs reparatione, &c. tùm pro solutione censuum, sicubi iis Montes gravantur. Ob hanc ultimam conditionem disputari solet, an Montes pietatis ab usurâ immunes sint; aliæ enim conditiones nihil habent quod in maximum pauperum juvamen non cedat. Sit

CONCLUSIO. Montes pietatis sub assignatis conditionibus facti, liciti sunt.

Prob. 1°. quia approbati sunt tùm à Concilio Lateran. ubi prohibetur sub pœnâ excommunicationis nè quis contra disputare ausit; tùm à Concilio Trid. quod Sess. 22. de reform. c. 8. Montes pietatis recenset inter *pia loca* quæ ab Episcopo visitari debent.

Prob. 2°. ab intrinseco. Ideò tantùm culpari possent Montes pietatis, quia in iis aliquid supra sortem recipitur: Atqui non ideò culpari possunt. Ad id enim satis est ut legitima suppetat ratio aliquid supra sortem recipiendi: Atqui res ità se habet. Certa enim debet assignari merces Montium Ministris, cùm eâ mercede digni sint: tùm quia pecunias servant, omnique curâ semper paratas habere satagunt; quæ cura, utpotè mutuum antecedens, pretio æstimabilis est: tùm quia non sinè magno labore pignora custodiunt, excutiunt, & alia ejusdem generis multa in gratiam mutuatariorum præstant: Atqui iis assignari nequit merces condigna, nisi aliquid supra sortem recipiant, aut aliquid pereat Montibus, quibus id periret quod in stipendium Ministris daretur: Ergo.

Confirm. Si amicus unius diei intervallo hinc distans mutuum à me petat, quod ad eum mittere cogar per hominem conductum, dubio procul & sortem, & hominis à me missi impensas exigere possum;

Ergo à pari Montium Custodes pro impensis quas necessariò faciunt, aliquid ultra sortem exigere possunt.

Tempus est ut loquamur de aliis contractibus qui ad mutuum magis accedunt, & sæpè ad usuram, quales sunt contractus societatis, cambii & census.

CAPUT QUARTUM.

De Contractu Societatis.

Contractus Societatis definitur, Duorum vel plurium conventio contribuendi ad commune lucrum & damnum, secundùm proportionem rerum contributarum.

Dicitur 1°. *conventio*; honesta nempe & quæ si facta non esset, non posset qui alium pecuniâ aut industriâ adjuvit, in lucri vel damni partem venire, sed ad summum stipendium labori suo debitum percipere; & tunc esset contractus locationis vel conductionis, non societatis.

Dicitur 2°. *contribuendi ad commune lucrum*; ut 1°. si alius pecuniam, animalia, naves conferat, alius industriam & laborem; 2°. si ambo partim pecuniam conferant, partim industriam.

Dicitur 3°. *secundùm proportionem*, *&c.* quia finitâ societate, qui in eam æqualiter contulerunt, æqualiter dividere debent; qui inæqualiter, non nisi inæqualem in lucro partem prætendere possunt; & idem est de damno, quod, vel æqualiter, vel proportionaliter est dividendum.

Sed quæritur 1°. an si finitâ societate nullum sit lucrum, tantùmque restet pecunia ab uno sociorum collata, ea dividi debeat ipsum inter & alium qui operas pecuniæ æquivalentes contulit.

R. negat. 1°. quia tantùm perdit qui negotiationi vulgò proficuæ subjecit pecuniam suam, eamque sterilem recipit, quàm qui nihil ex industriâ suâ percepit emolumenti; 2°. quia qui pecuniam confert in

societatem, majori semper obnoxius est periculo; quàm qui solam confert industriam; prior enim duplici semper subjacet periculo, amittendi nempe pecuniam & lucrum; posterior verò non nisi lucri amittendi periculo obnoxius est; 3°. quia, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. *qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum; sed remanet ejus, ità quòd periculo ipsius mercator de eâ negotiatur, vel artifex operatur.* Ergo si pecunia pereat, perire illi debet qui pecuniam contulit; & si supersit, eidem reddenda est, ut qui sentit onus, sentiat & commodum. Sic ubi tamen vigeret consuetudo, aut inter partes convenisset, ut capitale unà cum lucro vel sinè lucro divideretur inter socios, iis etiam in divisione comprehensis qui solam operam contulissent, illa divisio sortis licita esset. Atque hoc sæpissimè usu venit in societate de animalibus initâ, quâ finitâ, dividuntur plerumque animalia quæ societatis capitale constituebant.

Quæritur 2°. quis solvere debeat impensas quæ pro bono societatis fiunt ab eo qui operas ponit.

R. eas solvi debere ab omnibus sociis, nisi aliter constitutum sit, vel privatâ sociorum conventione, vel loci consuetudine: unde impensæ itinerum, solutionis vectigalium, morbi, expoliationis à furibus in quorum manus inciderit qui societatis causâ peregrinabatur, & alia id genus damna quæ quis proximè ob datam rebus societatis operam passus est, ab omnibus ferri debent, atque sumptus illi priùs deducendi sunt, quàm lucri rationes computentur; lucrum enim non æstimatur nisi deducto ære alieno.

At socii non tenentur de damnis quorum societas non nisi causa remota est, aut quæ qui operas ponit suâ solùm culpâ passus est. Hinc si socius iter conficit, & interim res ejus domesticæ dilabantur, aut propter ejus absentiam, *eum heredem quis instituere desiisset, aut legatum prætermisisset, aut patrimonium suum negligentiùs administrasset*, damnum illud solus

L. 60. ff. pro socio.

pati debet, *quia id non in ſocietatem, quamvis ejus occaſione impenſum eſt.* Ceterùm ex alibi dictis patet eum qui ſocietatis negotia curat, teneri de culpâ latâ & levi, non de leviſſimâ.

Quæritur 3°. an licitus ſit ſocietatis contractus in quo exigitur pignus pro ſecuritate capitalis, ſi fortè alterius culpâ pareat. R. affirmat. Ratio eſt, quia qui pecuniam ſuam in ſocietatem tradit, hanc eâ conditione tradere poteſt, ut alter ſocius ex eâ non negotietur, niſi tali loco, tali tempore, & talibus in circumſtantiis; adeò ut ſi hæc ab altero non ſerventur, pecunia ei pereat; Ergo pro pecuniæ hujus ſecuritate pignus accipere poteſt, illudque ſervare, ſi pecunia perierit ex culpâ ſocii alterius.

Hactenùs dicta Theologis omnibus probantur, ſed duo ſunt contractus de quibus feriò diſputant: alter ſpectat ſocietatem quæ fit in educandis animalium, ut ovium & vaccarum gregibus: alter ſpectat ſocietatem cui annectitur aſſecuratio pro capitali, & venditio lucri incerti pro certo, de quibus ſeorſim eſt dicendum. A poſteriori initium diſputationis ducemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De tribus Contractibus.

TRes contractus ſic fiunt. Petrus init contractum ſocietatis cum Paulo negotiatore, apud quem aureos centum deponit, ut uno induſtriam, altero pecuniam conferente, uterque lucretur. Petrus ſperat ſe ex hoc contractu circiter triginta aureos eſſe lucraturum ſupra capitale; ſed veritus nè capitale ſuum pereat, init cum eodem Paulo contractum alium aſſecurationis, eique ut ſuam ſibi pecuniam aſſecuret, aureos decem promittit. Rurſumque exiſtimans meliùs ſibi fore ſi lucrum habeat certum, cum Paulo tertium contractum init, eique lucrum majus quod ſperat, & quod incertum eſt,

vendit pro decem v. g. aut duodecim aureis sibi donandis; sive negotiatio benè aut malè succedat; & sic salvo & extra periculum constituto capitali, propter triplicem hunc contractum, *societatis* nempè, *assecurationis* pecuniæ & *venditionis* lucri majoris incerti pro lucro certo minore, contingit ut Petrus certò recipiat decem aut duodecim supra sortem. Quæritur an is contractuum circulus ab omni usuræ vitio immunis sit, sive fiat semel vel successivè inter eos qui societatem inierunt, sive fiat cum aliis personis extra societatem constitutis. Sit

CONCLUSIO I. Tres contractus inter socios facti, simul aut successivè, prorsus sunt illiciti.

Prob. 1°. ex Bullâ *Detestabilis*, quam an. 1586. emisit Sixtus V. ubi sic: » Damnamus & reprobamus » omnes & quoscumque contractus & conventiones » & pactiones post hæc ineundos aut ineundas, per » quos seu quas cavebitur personis pecunias, ani- » malia aut quaslibet alias res, societatis nomine » tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet » jacturam, damnum, aut amissionem sequi con- » tingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, » & integrum à socio recipiente restituatur; sive ut » de certâ quantitate, vel summâ in singulos annos, » aut menses durante societate respondeatur; sta- » tuimusque hujusmodi contractus, conventiones & » pactiones usurarios & illicitos post hæc censeri » debere; atque in posterum non licere iis qui pe- » cunias, vel animalia, aut alias res in societatem » tradent, de certo lucro, ut præfertur, perci- » piendo inter se pacisci, & concordare. »

His conformiter propositio hæc, *Si contractui societatis adjungatur contractus assecurationis capitalis, ac venditionis lucri incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum est exigere lucrum certum, cum assecuratione capitalis*, damnata est an. 1664, à Facultate Parisiensi, ut *falsa*, *scandalosa*, *inducens ad usuras committendas*, *variasque aperiens artes eas palliandi*, *justitiam & caritatem violandi*, &c.

* Reponunt adverſarii: 1°. tres contractus non reprobari per Sixtinam ut jure naturali illicitos, cùm Pontifex ſolùm dicat eos *poſthàc in futurum cenſeri debere illicitos* : 2°. addunt eam ſolùm à Sixto V. prohibitam fuiſſe ſocietatis ſpeciem, in quâ periculum ſummæ capitalis & lucri in alium ſocium rejicitur vi ſolius contractûs ſocietatis, non autem vi duorum qui ei ſuperadderentur contractuum, aſſecurationis nempè, & venditionis fructuum; prout teſtatur Comitolus, Lib. 3. q. 12. Caſuiſta non laxus.

Refellitur prima reſponſio. Contractus enim de cujus juſtitiâ vel injuſtitiâ à Navarro interrogatus fuerat Romanus Pontifex, reprobatur, quia per eum *irrepit verſutè & callidè humani generis hoſtis.... ut incautos homines.... in uſurarum voraginem... fœdè immergat.* Addit Sixtus, *ſe nuper cum magno dolore* audiviſſe *hoc malum in quaſdam Provincias* irrepſiſſe *contra æquitatem & ſocietatis juſtitiam.* Quæro an ii ſint caracteres contractûs in ſe liciti, & juſtitiæ legibus conſentanei.

Refellitur ſecunda reſponſio. Damnat enim Sixtina *contractus omnes per quos cavebitur perſonis pecunias ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu.... amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa ſeu capitale ſemper ſalvum ſit* ; prout Navarrum inter & Soto controvertebatur; Atqui hanc Navarri cum Soto controverſiam, de quâ tantùm conſultus fuerat Pontifex, nè quidem attigiſſet, nedum diremiſſet, ſi non loqueretur de aſſecuratione ſortis, prout fit in tribus contractibus; Ergo.

Quod refert Comitolus, dixiſſe Toletum eos ſolùm à Sixto prohibitos fuiſſe contractus, qui ante prohibitionem juſti non erant, nihil facit contra nos qui contendimus tres contractus in ſe malos eſſe & ſemper fuiſſe, licèt poſt Sixti definitionem magis adhuc *in futurum* illiciti cenſeri debeant.

Adde quòd ex dicendis evidens futurum ſit, capitale non niſi vi ipſius ſocietatis aſſecurari in tribus

contractibus, si propriè loqui velis; cùm reipsâ qui pecunias suas in prædictam societatem confert, nihil pro hâc assecuratione rependat assecuranti, nisi lucrum quod fortè non erit: unde facilè contingit ut qui assecurat, perdat simul & industriam suam & capitale quod assecurat, & hujus assecurationis pretium, quod nullum erit, si nullum sit lucrum.

† † Prob. 2°. Ibi est usura, ubi aliquid ultra sortem accipitur vi mutui: Atqui in *triplici*, seu ut alii dicunt, in *trium contractu*, aliquid supra sortem accipitur, ut patet, nec accipitur nisi vi mutui. Ad id enim sufficit ut ex tribus contractibus simul unitis, verum exurgat mutuum: Atqui res ità se habet. Ibi enim est mutuum, ubi verum rei dominium in alium socium transfertur: Atqui vi trium contractuum dominium rei in alium socium transfertur. In eum enim transfertur dominium rei, cui res perit, quique non magis à liberâ ejus dispositione potest impediri, quàm quilibet alius mutuatarius: Atqui per triplicem contractum fit ut res alteri socio pereat, & ut is non magis quàm quilibet alius mutuatarius à liberâ ejus dispositione impediri possit; quia quocumque tandem modo de ea disponat, nihil ad alium spectat; cui satis esse debet si capitale suum & aliquid ultra, prout conventum est, recipiat, ut statim dicemus in responsione ad secundam objectionem.

* *Prob. 3°. Ea contractuum conjunctio illegitima est, quæ societatem destruit, aut non efficit nisi societatem leoninam: Atqui talis est trium contractuum conjunctio. Ad essentiam enim societatis requiritur essentialiter damni lucrique communio & æqualitas: Atqui communio hæc planè tollitur per novam trium contractuum subtilitatem. Qui enim tradit mille sub spe lucrandi 150. & ex isto lucro cedit centum, tum pro assecuratione capitalis, tum pro venditione lucri incerti, quid aliud facit, nisi quòd per circulos & ambages tradit mille, ut quidquid contingat, recipiat mille & quinquaginta? Hoc autem non est tradere mille in societatem, sed in mutuum cum auctario restituendum.

Prob. 4°. Ideò potiùs licitum est lucrari ex societate, quàm ex mutuo, quia mutuans nec industriam ullam negotiationi mutuatarii impendit, nec ullum rei mutuo datæ periculum subit: Atqui idem contingit positis tribus contractibus; Ergo ex iis, (sive desinant in mutuum, sive non,) non magis quàm ex mutuo ullum potest lucrum percipi; videtur enim plena & adæquata esse paritas. Datur pecunia in tribus contractibus, datur & in mutuo; ex parte eam dantis nullus est labor, nulla opera in mutuo; idem est in tribus contractibus: assecuratur sors in mutuo à mutuatario, assecuratur & in istis à recipiente.

At datur, inquies, in tribus contractibus, ut ex eâ fiat negotiatio. Sed contra: ad negotiationem non sufficiunt verba hæc, *Negotiari volo;* sed requiritur realitas & sinceritas: an verò is sincerè negotiari vult, qui seu benè, seu malè succedat negotiatio, vult lucrum percipere?

† Obj. 1°. Non reprobantur tres contractus, nisi quia supponuntur degenerare in mutuum usurarium: Atqui falsum est quòd degenerent. In mutuo enim periculum rei pertinet ex naturâ rei ad mutuatarium: Atqui periculum in tribus contractibus non pertinet ad alterum socium ex naturâ rei. Assecuratio enim capitalis quam præstat tibi, non acquiritur à te nisi vi pecuniæ de quâ cum eo pacisceris ut rem tuam assecuret tibi; Ergo.

R. 1°. tres contractus adhuc injustos fore, etiamsi in mutuum non degenerarent, ut docet ultima nostra probatio.

R. 2°. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Periculum non pertinet ad alterum socium ex naturâ rei, id est vi contractûs societatis, C. vi contractûs assecurationis simul & venditionis fructuum qui superadduntur, N. Quòd autem ex utroque resultet mutuum implicitum, patet ex dictis, & ex modò dicendis patebit.

R. 3°. dist. Assecuratio quam alter socius præstat

comparatur per pecuniam quam alter reipsâ non solvit, sed ad summum solvere fingit, C. per pecuniam quam alter de facto solvat, N. Si enim in negotiatione exposueris libellas mille, quas tibi ut alter assecuret polliceris libellas quadraginta, ità ut pro ducentis incerti lucri libris quas speras, non nisi centum certi lucri percepturus sis; palàm est te mutuo dare mille libellas, ut quidquid tandem eveniat, percipias sexaginta; quas ergo dare videris libellas quadraginta, reipsâ non tradis; quia statim restituuntur tibi, cùm & de capitali tuo, & certâ supra sortem summâ percipiendâ paciscaris.

Hinc verè dici posset, in triplici contractu totum periculum in alium socium refundi ex naturâ contractûs, prout est talis, & sic ex naturâ rei; unde ulteriùs sequitur contractum hunc esse usurarium.

Si enim Petrus diceret rotundè Joanni: Do tibi libellas mille hâc duplici conditione; 1°. ut si pereant etiam fortuitò, tibi pereant; 2°. ut post annum reddas mihi mille & quinquaginta, vera esset usura, ut fatentur omnes, secluso, ut supponimus, titulo lucri cessantis: Atqui idem dicitur in tribus contractibus, hoc uno discrimine, quòd in primo casu dicatur nitidè & formaliter; in secundo verò casu per circuitus & ambages.

* Obj. 2°. De essentiâ mutui est translatio dominii à mutuante in mutuatarium: sed pecunia socio uni per alterum assecurata non transit in dominium assecurantis. Si enim in ejus dominium transiret, utique quia ipsi periret, eamque quidquid eveniat restituere teneretur: Atqui hæc ratio nulla est. Quandoquidem res perit cuilibet assecuranti, tametsi quilibet assecurans rei dominus non sit; unde universaliter verum non est illud, *res domino suo perit:* cùm depositum sæpè pereat depositario, qui tamen ejusdem dominus non est.

R. 1°. Sive triplex contractus desinat in mutuum, sive non; non major est titulus lucrandi ex societate sic initâ, quàm ex mutuo; quia ex S. Thomâ,

ut socius sit lucri particeps, requiritur ut tale habeat dominium vi cujus ipse rei periculum subeat; quod non contingit in triplici contractu.

q. 78. 1. ad. 1

R. 2°. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Non dico pecuniam transire in dominium alterius socii præcisè quia ipsi perit, sed quia reipsâ ei ut domino perit: perit autem ei ut domino, quia non nisi per injustitiam à libero ejus usu impediri potest; porrò non nisi injustè à libero rei usu impediri potest, quia jam nihil alterius socii interest; quos in usus hæc impendatur pecunia, modò & sortem & supra sortem aliquid recipiat. Malè igitur exigitur à socio ut pecuniam hanc in tali negotiatione insumat, quia cùm mercator ille non teneatur rem illam individualiter restituere, sed valorem ejus, non potest impediri quominùs eâ pro nutu utatur, nisi fortè cùm esset solvendo impar, interdiceretur ei, certo commercii genere admodum periculoso, quod & in alio quovis mutuo fieri posset, absque eo quòd hæc mutuantis lex probaret eum vel rei mutuo datæ dominum manere, vel aliquid supra sortem posse stipulari. Longè aliter se res habent in vectoribus qui v. g. vinum assecurant, ipsi enim tenentur rem eandem in individuo restituere, negotiator verò solùm in specie: ipsi re illâ uti non possunt, nisi salvâ ejus substantiâ, nec proinde ad placitum; secùs mercator ille.

At, inquies, homo ille non vult pecuniam suam mutuo dare. Dist. non vult verbo tenùs & in speciem, C. reipsâ, N. Vult enim mutuo dare qui vult lucrum referre, non vi præcisè societatis & negotiationis: Atqui sic se habet homo ille; alioqui sublatâ vel non succedente negotiatione nihil exigere deberet.

Obj. 3°. Tam contractus assecurationis contractui societatis addi potest, quàm deposito, locato, &c. atqui his sæpè adjicitur; Ergo.

R. neg. maj. Assecuratio enim est quidem præter, sed non contra naturam depositi, quæ in eo sita est, ut res alicujus alteri custodienda committatur; quod

optimè subsistit, etiamsi res illa assecuretur: at verò assecuratio prout fit in tribus contractibus, ipsam evertit societatis naturam, quæ æquam lucri damnique communionem importat, & subsistere nequit si rei in societatem adductæ dominium in alium transferatur; ut in triplici contractu transferri probavimus.

† Obj. 4°. Tres contractus justè fieri possunt cum diversis personis, modò servetur æqualitas; Ergo & justè cum eâdem personâ fieri possunt, modò eadem servetur æqualitas; justitia enim in hâc æqualitate consistit, non in habitudine ad personas.

R. neg. conseq. Ratio disparitatis multiplex est, eaque evidens. Nam 1°. Societas requirit quidem lucri & damni communionem, sed inter socios: an enim desinet societas mea cum Titio, si pater meus ut mihi animos addat, capitale meum assecurare velit? 2°. assecuratio per alium facta societati planè extrinseca est, nec de eâ queri potest vel socius meus, quem hæc assecuratio nullatenùs respicit; vel ille qui rem meam assecurat, cùm ei planè indifferens sit an res quam assecurat sit in societate posita, vel non, modò ea non plus in societate periclitetur quàm extrà, aut si periclitetur magis, majus etiam pro assecuratione pretium impendam; 3°. vi trium contractuum societas in mutuum degenerat, quatenùs socius sinè injustitiâ à liberâ rei dispositione impediri non potest: Atqui si capitale meum per tertium assecuretur, jam hæc mutui ratio non subsistit, quia socius non plus circa rem meam libertatis habet, quàm si hæc assecurata non fuisset; Ergo.

CONCLUSIO II. Licitus est contractus societatis cum assecuratione capitalis, si lucrum non vendatur; vel cum venditione lucri, si non assecuretur capitale.

Prob. 1°. Ille contractus jure saltèm naturali licitus est (eum enim ob usuræ periculum jure positivo reprobari posse non diffitemur) qui nihil eorum habet vitiorum quæ in tribus contractibus redarg-

guuntur : Atqui *duplex contractus* quem mox descripsi, nihil eorum habet vitiorum quæ in tribus contractibus redarguuntur. Hoc enim in iis præcipuè redarguitur, quòd degenerent in mutuum : Atqui duplex contractus in mutuum non vertitur. Ibi enim nè mutui quidem umbra esse potest, ubi socius alter pecuniæ in societatem adductæ dominus non efficitur : Atqui socius pecuniam assecurans, ejus dominus non efficitur; cùm verè teneatur hanc impendere in negotiationem de quâ inter ambos conventum est; ut nempè qui pecuniam dedit ex eâ recipiat fructus, si qui proveniant; Ergo.

Quòd si lucrum vendatur, multò minùs alter pecuniæ dominus erit, cùm si pereat, ei sit peritura qui eam in societatem contulit; Ergo.

* Prob. 2°. Ideò contractus de quo agitur licitus non esset, quia is cui res sua assecuraretur nullum subiret periculum : Atqui falsum consequens. Ut enim æquale sit utrinque periculum, satis est 1°. ut summa quam unus tradit ad obtinendam rei suæ assecurationem, planè æquivaleat periculo quod alter subit; 2°. ut summa hæc verè solvatur assecuranti, non fictè, prout in triplici contractu fieri diximus : Atqui ità res est; 1°. enim, ut supponimus, qui rem suam sibi assecurari curat, justum pro hac assecuratione pretium solvit; 2°. pretium illud non fictè sed verè solvitur, etiamsi nihil ex societate percipiatur lucri, adeòque eo sensu perditur; 3°. si nullum ex societate percipiatur lucrum, unusquisque sociorum suam damni hujus partem sentit. Porrò nihil horum in tribus contractibus reperitur; Ergo.

Obj. 1°. Concilium Burdigalense anni 1583. ab Apostolicâ Sede in omnibus approbatum, & Conventus Melodunensis anni 1578. sic loquuntur : *In societate animalium quæ inæstimata alicui dantur custodienda, sive ut operas præstet, omnes casus etiam fortuiti semper sint periculo ejus qui dederit, nisi accipientis & custodientis dolo aut magnâ negligentiâ*

damnum accidisse contigerit. Non fiat pactio ut fors semper sit salva, etiam ex primis fœtibus. Addunt eadem Concilia, quòd *si animalia dentur æstimata, ità ut sors danti salva sit, nihil omninò percipi possit;* Ergo contractui societatis nè addi quidem potest contractus solus de assecuratione sortis.

R. 1°. Ex allatis textibus ad summum sequi, contractum duplicem positivo jure reprobari, ut qui periculo non careat, & palliandis usuris inservire possit.

R. 2°. dist. antec. Non debet fieri pactio ut sors salva sit gratis, & vi societatis solius, C. non debet fieri pactio, etiamsi justum pro assecuratione pretium solvatur, subdist. non debet, id est, qui pecuniam in societatem confert, exigere non potest ut alter socius suum sibi capitale assecuret, etiam pro certâ mercede, si ejus periculum in se sumere nolit, quia circa hoc omninò liber esse debet, C. non debet, etiamsi socius alter spontè assecurare velit, aut ad id etiam socium alterum invitet, N. Hanc enim assecurationem si spontè fiat, & legitimo pretio, nihil per se habere mali, probant ea quæ statim adduximus argumenta.

† Obj. 2°. Assecuratio capitalis societatem evertit funditùs. Præcipua enim societatis conditio est ex S. Thomâ, ut pecunia collata subjaceat periculo conferentis, vel saltèm alterius socii periculo non subsit: Atqui res ità non erit, si socius alter sortem assecuret; Ergo.

R. ad 1. dist. ant. Assecuratio capitalis vi ipsius societatis facta, societatem evertit, C. assecuratio legitimè facta, prout eam explicuimus & supponimus, N. Hæc enim assecuratio à socio facta non magis societati nocet, quàm si fieret à tertio; hæc autem ex dictis non nocet societati.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Societate Animalium.

COntractus societatis animalium, qui gallicè dicitur *Redbestie*, id est, redditio bestiæ; vel *Chatel*, seu *Capitale*, quia animalia in hoc contractu locum tenent fundi, seu capitalis, definiri potest, *Conventio duorum vel plurium, quorum alii certum quemdam animalium numerum in societatem conferunt; alii verò hæc animalia servant & pascunt, ut ex fructibus lucrum percipiant.* Qui dat animalia, ut oves, vaccas, &c. apud nos dicitur *le bailleur*; qui eadem custodienda, & pascenda recipit, dicitur *le preneur*.

Quæres 1°. an ille contractus licitus sit.

R. affirmat. quia tam licet animalia in societatem committere villico, quàm pecuniam mercatori.

Ad id autem tres requiruntur conditiones. Prima est, ut si animalia sine *accipientis* dolo vel culpâ pereunt, non sibi pereant, sed *tradenti*. Ratio est, quia res unaquæque domino suo perit: Atqui tradens remanet dominus, nec alio quàm dominii hujus titulo lucri particeps esse potest; Ergo. Et certè sublatâ communione in damno, nulla esse potest communio seu societas in lucro.

Secunda conditio est, ut accipiens, villicus, v. g. animalia pascat, & accuratam lucri totius rationem reddat; hoc enim solo accuratæ custodiæ titulo suam sibi in lucro partem vindicare potest.

Tertia conditio est, ut in proventuum seu lucri divisione servetur æqualitas, ità ut *tradens* commensuratam capitali suo seu bestiis, *accipiens* verò adæquatam labori & industriæ partem recipiat.

Ex hisce principiis aliquot solvam conscientiæ casus in hâc materiâ proponi solitos, ut aliorum qui hîc proponi non possunt, haberi solutio faciliùs possit.

I. Titius dat Petro oves ducentas & vaccas viginti post factam earum æstimationem, iis conditionibus: 1°. ut singulis mensibus certa lactis, casei,

aut lanæ quantitas à Petro reddatur; 2°. ut exacto contractûs tempore, vel pretium quo animalia hæc æstimata fuerunt reddatur à Petro, vel alia ejusdem valoris animalia; 3°. ut interim à Petro pascantur, custodiantur, &c. Valetne is contractus?

R. negat. quia nulla est hìc societas, cùm Petrus totum subeat rei sibi datæ periculum, utpotè qui eam secundùm factam illius æstimationem reddere teneatur; Ergo Titius nullam in lucro partem prætendere potest. Et certè talis contractus vel est mutuum, vel venditio; si mutuum, usura est manifesta ex eo lucrum percipere; si venditio, quam æstimatione fieri dicunt Leges, venditor nihil ultra æstimationem percipere debet.

II. Sed quid, si Petrus assecuret quidem capitale Titio, sed vicissim Titius majorem lucri futuri partem concedat Petro, ut eum ab hujusce assecurationis pretio indemnem faciat?

R. hoc nihil esse aliud quàm tres contractus. Nam 1°. Petrus subit periculum gregis pro parte lucri quam fortè non percipiet, quia fortè nullum erit lucrum; 2°. Petrus de hoc grege pro nutu disponere potest, absque eo quòd legitimè conqueri possit Titius, cui satis est si tempore præfixo & sortem & lucrum ultra sortem recipiat. Porrò tres hosce contractus planè iniquos esse patet ex dictis. Aliud esset juxta nos, si Titius certum & reale pretium pro assecuratione Petro consentienti solveret; tunc enim si quid esset lucri, partem ejus exigere posset; si nihil, nihil exigeret.

III. Lucius vaccas 40. Paulo dedit ad sex annos, sub iis conditionibus: 1°. ut Paulus eas pascere ac servare teneatur, & tres aut quatuor frumenti modios Lucio singulis annis retribuere debeat; 2°. ut Paulus unoquoque anno duodecimam capitalis partem acquirat; 3°. ut exacto sex annorum circulo, Lucium inter & Paulum ex æquo dividantur capitale & fructus, *le fonds & le croît.* Peccatne hic contractus?

R. in hoc contractu, qui alicubi vocatur *Gazaille*, nihil esse mali; modò, 1°. id quod perit, & necdum acquisitum est ab *accipiente*, pereat danti seu *socio*; 2°. modo etiam id quod Paulus recipit singulis annis, aut in fine contractûs recipiet, sit industriæ ejus commensuratum, &c. Ratio est, quia in tali contractu qui præter societatem continet & venditionem, plena est æqualitas.

Ceterùm hi societatis contractus multiplici modo iniri possunt. Fieri enim potest ut *accipiens* mediam capitalis partem solvat, sive ex novis fœtibus, sive ex pecuniâ suâ, & tunc dicitur *Chetel affranchi*; vel ut hæc non solvat, tuncque dicitur *Chetel non affranchi*. In secundo casu periculum pertinet ad dantem; in primo pertinet ad utrumque, sed in secundo casu *dans* totum capitale recipit, nisi casu fortuito perierit; in primo, & capitale, utpotè quòd commune factum sit, & lucrum ex æquo dividuntur.

Quæres an villico dicenti oves fortuito casu periisse, habenda sit fides, an verò in conscientiâ cogi possit ad earum solutionem, si probare non possit eas sinè culpâ suâ periisse.

Respondet Coquille eximius Consuetudinis Nivernensis Interpres, his verbis : *Pour ce que le preneur par exprès est chargé de la garde du bestial, je crois qu'en cas de perte ou de mort, il est tenu de prouver qu'il n'y a rien de sa faute.* Idem tenet Mauduit in Consuet. Bituric. *Qui enim excipit, probare debet id quod excipitur.* L. 2. ff. *de probat.*

CAPUT QUINTUM.

De Cambio.

CAmbium, quod gereratim idem est ac permutatio unius cum alio, quodcumque illud sit, strictiùs hìc sumitur pro permutatione pecuniæ cum

pecuniâ : qui recipit pecuniam, dicitur *campsarius*; qui dat, dicitur *campsor*, *colibista*, *bancarius*, *nummularius*.

Cambium definitur, *Contractus quo pecunia pro pecuniâ commutatur cum lucro campsoris.* Differt à venditione in quâ pecunia commutatur cum merce; à deposito, in quo eadem numero res reddi debet; à mutuo, quod ex lucri intentione fieri nequit, cùm è contra campsor possit lucrum intendere, de quo statim.

Cambiùm dividitur in fictum & reale. *Fictum*, quod & *siccum* appellatur, illud est quo pecunia non permutatur reipsâ, sed permutari fingitur; ut cùm datur pecunia recipienda non eo loco quo fingitur; sed eo loco quo datur, quamvis alio tempore. *Reale* est illud quod non fingitur, sed verè fit, & triplex est: *Manuale* seu minutum quo præsens pecunia de manu ad manum pro aliâ diversæ speciei mutatur, ut aurea pro argenteâ, gallica pro hispanicâ. *Locale*, seu cambium per litteras, quod est permutatio pecuniæ præsentis cum distanti; ut si hìc des pecuniam campsori, ut eam per litteras cambii amico tuo Romæ restituendam curet. *Temporale*, quo hodie v. g. datur pecunia putà centum nummi, ut post tres aut quatuor menses reddatur eadem pecunia cum duobus nummis supra centum : Atque illud est celebre cambium quod alii Lugdunense vocant, quasi Lugduni in usu positum; alii Nannetense & Francofurtense, eâdem de causâ. Quæritur an varia hæc cambia licita sint? Sit

CONCLUSIO I. Cambium per se licitum est, servatis servandis.

Prob. quia cambium & Reipublicæ utile est, & nihil habet mali : 1°. quidem Reipublicæ utile est, imò & necessarium, cùm cambii ope multorum damna & incommoda vitentur : multi enim indigent pecuniâ minutâ; multi pecuniis quæ in aliis quò peregrinaturi sunt Regnis currunt : multi suas sine magno latronum metu deportare non possunt : his

verò incommodis per cambium ſubvenitur ; 2°. Cambium nihil habet mali. Si quid enim in eo redargui poſſet, hoc utique quòd vi cambii aliquid ſupra ſummam à campſore datam recipiatur : Atqui hoc culpari non poteſt ; quia juſto fit titulo, impenſarum ſcilicet, ſinè quibus non poteſt campſor omnis generis monetas colligere, ut ſatisfaciat cuilibet indigenti ; correſpondentes habere, miniſtros, domum, aliaque id genus huic commercio neceſſaria conducere ; Ergo.

Obj. 1°. Non plus valent centum nummi in auro quàm in argento ; Ergo qui pro eorum commutatione aliquid recipit, non ſervat æqualitatem.

R. diſt. ant. Non plus valent ratione ſuî & ſimpliciter, C. ratione impenſarum quas campſor facere tenetur, N. Cùm autem impenſæ illæ ſinè quibus cambium ſubſiſtere nequit, pretio ſunt æſtimabiles, nihil mirum ſi pro ipſis poſſint campſores aliquid accipere ; alioqui fruſtrà ponerent *operam & ſudorem ſuum in re licitâ ad utilitatem aliorum*, Opuſc. 73.

Obj. 2°. Ex dictis alibi, res non eſt carior, quia utilior eſt emptori ; Ergo.

R. non vendi à campſore utilitatem quæ ſe teneat ex parte ipſius emptoris, ſed eam quæ ſe tenet ex parte rei venditæ, quam campſor ſinè multis impenſis procurare non poteſt emptori ; has verò impenſas campſor pati non debet.

Inſt. Ergo campſor nihil recipere poterit, cùm cambium in ipſius utilitatem cedit, ut cùm ei utilius eſt habere pecuniam Pariſiis quàm Lugduni.

R. neg. ant. 1°. quia cùm etiam longè utilius eſſet campſori pecuniam hìc quàm alibi habere, nihil ultra conſtitutum Legibus pretium recipere poteſt ; 2°. quia utilitas quam tunc percipit campſor, bonæ ejus fortunæ, & arti imputari debet ; quam artem ſinè multis ſumptibus exercere non poteſt.

Conclusio II. Cambium ſiccum illicitum eſt.

Prob. quia cambium illud verum eſt mutuum ex

quo lucrum sinè ullo titulo percipitur; quod usurarium est, ut per se patet. Tale cambium est, si quis mercatorem adeat Lutetiæ à quo mille nummos mutuos accipiat, quos quidem mercator mutuos dare nolit, sed ad cambium duntaxat cum obligatione eosdem restituendi Lugduni, quamvis sciat campsarium iis non indigere Lugduni, sed Parisiis, neque eos alibi quàm Parisiis esse restituturum; unde hoc cambii genus reprobavit S. Pius V. Bullâ *In eam.* an. 1571.

CONCLUSIO III. Cambium temporale, sive Lugduni, sive alibi exerceatur, est usurarium.

Prob. quia in hoc cambio datur hodie pecunia cum obligatione eandem reddendi cum auctario, post aliquot, tres v. g. menses; & hoc auctarium Lugduni majus aut minus exigitur, prout pecunia plus aut minùs valuit per tres elapsos proximè menses qui singulas inter nundinas currunt: quòd si post illud tempus non solvatur promissionis valor, renovatur promissio, & auctarium quod jam debitum esse supponitur, capitali additur, ità ut solvi debeat usura usuræ, quod quidem tunc, & malè vocatur *recambium*: Atqui contractus ille videtur plenus iniquitatis; 1°. auctarium non exigitur nisi pro carentiâ pecuniæ, ad certum tempus, & pro solutionis dilatione; unde quo major est dilatio, majus exigitur auctarium: Atqui pro carentiâ pecuniæ, aut dilatione solutionis, aliquid supra sortem exigere, mera est usura, ut alibi dictum est; 3°. quia nequidem negotiatoribus licitum est usuras usurarum exigere: Atqui eas vi cambii hujus exigi dicunt: Ergo duplex hîc intervenit iniquitas.

Frustrà respondent cambium illud Principis autoritate firmatum esse. Nam 1°. id disertè negant qui de cambiis licitis & illicitis pleniùs & doctiùs scripsêre. Ità inter alios vir eruditus Marechal, *L'espece du change entre Marchands trafiquants ès foires de Lyon, est seulement tolerée.* 2°. Si cambium Lugdunense approbatum fuisse dicatur, dicendum

ıul suppositum fuisse mercatores qui pecuniam
ıt, aliquid supra sortem recipere titulo lucri ces-
.tis; si enim res ita sit, haud dubium est, quin
usurâ excusentur: verùm præterquam nullam
ɔere debent intentionem lucrandi vi mutui, quia
docet S. Antoninus, *intentio lucri ex mutuo*, 3. p. tit. 6.
it usurarium; necessum est ut auctarium recep-
i pecuniam suam verè subtrahant negotiationi,
nque campsariis nonnisi rogati, & quasi inviti
ıcedant. Quæro autem an ea sit conditio eorum
i in Plateâ Lugdunensi pecuniam præparatam
ɔent, & de alio ineundo commercio nè inter
:miendum quidem somniant.

Ceterùm illud solùm impugno cambii genus quod
cripsi: si enim aliter exerceatur cambium Lug-
nense, ut aliqui loci hujus incolæ, me præsente,
:erunt, de eo penes alios esto judicium.

CAPUT SEXTUM.

De Censibus.

Ensus gallicè *rente*, prout præsentis est insti-
tuti, definitur, Jus percipiendi annuam pensio-
n ex re vel personâ alterius utili vel fructiferâ.

Dicitur 1°. *jus*, seu facultas exigendi pensionem,
ım qui debet, dicitur *censuarius & venditor*, quia
certâ quam mutuo recipit pecuniæ summâ, aut
l re æquivalenti, vendit alteri jus certam certo
ıpore pensionem recipiendi: is verò cui ea de-
ur, dicitur *creditor*, *censualista* & *emptor*, quia
illud pecuniâ suâ emit.

Dicitur 2°. *ex re vel personâ alterius;* quia jus
us pensionis non tantùm potest fundari in re,
g. domo, vel agris; sed etiam in personâ, modò
[uid sive ex officio, sive labore & industriâ lu-
ri possit.

Census dividitur in reservativum, & consignati-

vum. *Reservativus* est jus percipiendi certam pensionem quam quis sibi reservat in re fructiferâ, cujus plenum alteri dominium tradit. Ad hanc speciem pertinent census dominicales, *cens ou redevances seigneuriales*, qui dominis competunt, eò quòd translatâ in aliquos particulares fundorum quorumdam proprietate, aliquam sibi ex iis pensionem reservaverint, quasi in recognitionem. Census verò *consignativus*, de quo hìc sermo, est jus quod quis dato & constituto alteri personæ pretio, ab eâdem emit ut certam quotannis pensionem recipiat, juxtà taxam Principis & leges locorum.

Rente *constituée* ou volante.

Census consignativus subviditur, 1°. ex parte rei super quâ constituitur, in realem, personalem & mixtum; 2°. ex parte pensionis, in pecuniarium, & fructuarium; 3°. ex parte temporis quo durat, in temporalem, vitalitium, & perpetuum; 4°. ex parte modi quo creatur, in redimibilem, & irredimibilem.

Census *realis* ille est, qui constituitur super re fructiferâ, ut domo, eamque perpetuò comitatur, adeò ut ad quemcumque res illa transit, simul & transeat annexum ei pensionis onus, donec legitimè redimatur.

Census *personalis* ille est, qui immediatè constitutus est super ipsâ personâ, quæ sibi, vel suis etiam hæredibus obligationem imponit solvendi ex labore suo, vel etiam ex bonis si quæ habeat, certam pensionem. Hìc census non transit in realem, quamvis pro ejus assecuratione detur hypotheca: quia res hypothecata primo loco non obligatur, sed duntaxat in defectum personæ.

Mixtus est ille, qui tàm super re quàm personâ constitutus est, & tales esse solent census hodierni.

Pecuniarius est ille, qui solvendus est in pecuniâ; *fructuarius*, qui in fructibus, ut vino.

Temporalis est qui ad certum tempus, ut ad annos viginti constituitur: *vitalitius*, qui ad vitam hominis; *perpetuus*, qui in perpetuum constitutus est, ità ut per se nunquam expiret,

Redimibilis ille est qui redimi potest ad nutum, vel censuarii, vel censualistæ, vel utriusque: *irredimibilis*, qui non potest redimi. His præmissis, quæritur an, & quâ conditione prædicti census liciti esse possint.

Extra controversiam est, census reservativos omnino licitos esse: tùm quia eos adhibuit Joseph, cùm Ægyptiorum bona pro tritico in Pharaonis dominium asserta, postmodum Ægyptiis restituit, annuâ super his pensione Pharaoni reservatâ; tùm quia æquum est ut qui rei suæ alteri vassallo vel non, proprietatem confert, aliquam in eâ pensionem reservare possit. Hìc tamen multiplici modò peccari potest, ut dixi in Tract. de statuum oblinationib. Jam quæritur an licita sit emptio reditûs pecuniarii, saltèm novi, sive perpetui, sive temporalis. Quâ de re sit

CONCLUSIO I. Census realis est licitus: licitus quoque est census personalis in locis in quibus non viget S. Pii V. Constitutio.

Prob. 1. pars, 1°. ex unanimi hodie Ecclesiarum, Monasteriorum, Fidelium, imò Nationum omnium consuetudine, à quibus census prædicti approbantur & exercentur. Adde SS. Pontifices Martin V. Calixtum III. Nicolaum V. & alios, re ponderatâ, prædictos census ab omni malo immunes judicasse.

Prob. 2°. quia tota quæ in his censibus redargui potest inæqualitas, hinc petitur quòd emptor census certam singulis annis pensionem recipiendo, post temporis lapsum plus recipiat quàm dedit: Atqui hæc ratio non probat ullam hìc esse inæqualitatem. Qui enim fundum fructiferum emit, pretium suum post aliquot annos recuperat, & temporum lapsu summam eâ quam venditori dederat majorem consequitur, nec tamen ullius injustitiæ accusatur. Ratio utriusque hæc est, quòd ex communi hominum sensu, summa per multas partes divisa, nec recipienda nisi successivè, & sic variis incommodis &

periculis exposita non tanti valet quanti istarum partium collectio simul possessa, quæ & nullis penè obnoxia est incommodis, & ad quodlibet lucri negotiationisque genus longè utilior est & commodior.

Prob. 2. pars de censu personali; 1°. quia potest quis alteri gratis concedere jus annuæ pensionis super personâ suâ; Ergo & vendere, quia pretio æstimabile est, adeòque & vendibile; 2°. quia persona non minùs per artem suam potest esse fructifera, quàm ager & domus; Ergo sicut vendi potest pensio super agris aut prædiis, sic & vendi potest pensio percipienda ex lucro quod persona suo sibi labore acquiret; 3°. idem probat usus totius Galliarum Regni, in quo census personales vigent, & nunquam à supremis Curiis, Præsulibusve nostris reprobati fuêre; haud dubio reprobandi, si vel usuram, vel ullam injustitiæ labem continerent.

Dixi *in locis in quibus non viget Pii V. Constitutio*: nam S. ille Pontifex ut usuris censûs nomine palliatis occurreret, Bullam *Cùm onus* anno 1569. emisit, quâ statuitur, *censum constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de suî naturâ fructiferâ*, adeò ut *re in totum vel pro parte peremptâ, aut infructuosâ in totum, vel pro parte affectâ, census ad ratam perire debeat.* Sed illæ conditiones nec in Galliâ, nec in Hispaniâ aut Belgio, imò nec Romæ observantur, cùm ibi census personales in usu sint, & vix ullibi ità creentur ut sequi debeant conditionem rei super quâ constituti sunt; unde eâ ex toto pereunte, illi nequidem ex parte pereunt.

Obj. Census minoris emitur quàm valeant omnes pensiones separatæ; Ergo emptio illius est illicita, quia centum aurei, v. g. per partes solvendi, idem valent ac simultanea eorum collectio, alioqui mutuans cum pacto non repetendi sortem, nisi per partes, posset aliquid ultra sortem exigere, pro hujusmodi mutuo, quod tamen usurarium foret; Ergo.

R. ad 1. neg. conseq. & iterùm dico, ex communi

hominum æstimatione, id quod solvitur per partes longo intervallo à se dissitas, multò minoris valere quàm simultaneam istarum partium collectionem; alioqui nunquam satis solvi possent prædia ex quibus reditus successivi quidem, sed perpetui colliguntur.

Nec nocet, quòd ex pecuniâ mutuo datâ, & per partes restituendâ, nihil ultra sortem recipi possit; magna enim est censum inter & mutuum disparitas: 1°. quia pecunia mutuo data communiter loquendo post tempus satis breve repeti potest, secùs pecunia ad censum data; 2°. quia mutuans pacisci potest, ut si pecuniâ suâ gravissimè indigeat, eandem & citiùs & totaliter repetat; non sic censualista, qui nec pensionum collectionem, nec pecuniam mutuo datam repetere potest, quibuscumque sit in angustiis; 3°. quia in mutuo nihil emitur, ut hinc patet quòd pecunia non transeat in dominium mutuatarii, nisi cum onere eandem restituendi priori domino; at in censu emitur jus ad pensionem; & pecunia pro pretio data tam plenè & absolutè transfertur in dominium censuari seu venditoris, ut possit eam nunquam restituere.

Quæres 1°. quænam sint in Galliis census constituendi conditiones.

R. tres esse præcipuas. Prima est, ut emptor seu censualista sortem in perpetuum alienet, nec unquam cogere possit debitorem à quo solvitur census, ut eam restituat emptori. Secunda, ut venditor possit se liberare cùm volet, seu censum redimere, refundendo emptori pecuniam suam. Passim tamen in usu est, ut venditor qui redditione pretii censum extinguere volet, id *per bimestre ante* denuntiare debeat emptori; quia quisque libertate suâ rationabiliter uti debet; nec æquitati consonum satis videtur, ut pridie ante monetæ diminutionem sua emptori pecunia refundatur. Tertia demùm conditio est, ut reditus seu pensio solvatur secundùm taxam Principis, *au denier, au taux de l'Ordonnance.*

Quæres 2°. an non igitur constitui possit census irredimibilis; an non census redimibilis aliquid includat mali. Ut solvantur eæ quæstiones, revocandum in memoriam pactum de redimendo fieri posse, vel in gratiam solius venditoris, vel in gratiam solius emptoris, vel demum in favorem utriusque.

CONCLUSIO II. Census perpetuus sive irredimibilis licitus est jure naturali. Ità vulgò Theologi.

Prob. quia idem sentiendum est de emptione census, ac de aliâ quâvis emptione : sed emptio quælibet ità fieri potest, & solet, ut venditor nullum habeat jus rem semel venditam ab emptore retrahendi; Ergo & censûs emptio ità fieri potest, ut venditor jus redimendi nullum habeat.

Obj. In censu qui ex parte censuari irredimibilis est, plus gravatur debitor, quàm si ab usurario mutuum accepisset; in hoc enim liberare se posset sorte redditâ, in illo verò non potest; Ergo.

R. neg. ant. Gravamen enim usuræ prorsùs iniquum est; gravamen verò in censu impositum justum est, cùm fundetur in venditione, quæ solet esse perpetua. Et certè si valeret objectio, iniqua foret & injusto gravamini conjuncta venditio, vi cujus emptor fructus perpetuò recipit, adeò ut venditor iis nunquam frui possit, etiamsi sortem reddere velit; hoc autem est contra communem omnium sensum.

Ceterùm, census irredimibilis positivo hujus Regni jure non approbatur, ut patet ex secundâ conditione quam in Galliâ requisitam esse diximus ad censûs constitutionem. Idem in Belgio locum habet ex Lege Caroli V. an. 1728. Bruxellis editâ.

CONCLUSIO III. Census redimibilis ad nutum venditoris, prout in Galliâ constituitur, est licitus.

Prob. quia venditio censûs redimibilis, nihil est aliud quàm venditio rei cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris : Atqui talis venditio licita est, ut dixi sup. p. 265.

De censu ad nutum emptoris redimibili quid sentiendum sit, colliges ex iis quæ ibidem diximus.

CAPUT SEPTIMUM.

De Locatione, Conductione, Deposito, &c.

LOcatio & conductio sunt unus idemque contractus, qui ex parte locantis *locatio*, & ex parte locatarii *conductio*, appellatur.

Locatio est contractus quo usus vel fructus rei aut personæ ad certum tempus pro pretio traditur : conductio est contractus quo accipitur ille usus vel fructus. Suæ sunt locatori & conductori obligationes.

1°. Locator efficere debet ut conductor re uti vel frui liberè possit. Non tenetur tamen de vi majori, ut si princeps domum locatam usurpet, si ea pereat incendio.

2°. Locator occultum rei locatæ vitium aperire debet, ut si domus ruinosa sit ; si spiritibus vexata, aut vexari dicta ; si equus onera abjicere & excutere consueverit : unde tenetur de damno, si scienter vitium celaverit. Si res inutilis sit, locator nihil accipere potest ; si utilis quidem, sed minùs quàm pactus est locatarius, minuenda est pensio. Et hæc in foro conscientiæ vera sunt, sive defectus evidens sit, sive non ; modò cum sciverit, aut scire potuerit locator.

3°. Debet & locator impensas in re factas, necessarias nempe & utiles solvere, nisi aliter conventum sit.

4°. Rem ante tempus constitutum repetere non potest, nisi id exigant necessitas reficiendæ domûs, mali conductoris mores, solutionis defectus, &c. itèm si locator domo suâ vere indigeat, &c.

Conductoris seu locatarii varia sunt onera : 1°. re conductâ uti non debet, nisi in usum pro quo conduxit ; sic equo ad vehendum onus uti non potest, qui eum ad ferendum hominem conduxit ; nec majus onus imponere, qui de minori pactus est ; 2°. tenetur

de dolo, culpâ latâ aut levi, non suâ tantùm, sed & sublocatariorum aut famulorum; 3°. *culpæ* locatarii *& illud adnumeratur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores succiderit.* Propter inimicitias, inquam, ex conductoris culpâ procreatas: si quis enim alterius odium incurrerit, quia contra eum testimonium dixit, haud æquum est ut id sibi in damnum imputetur.

25. ff. ...ati.

Aliæ conditiones, ut quòd pensio conventa solvi debeat, res locata constituto tempore restitui, ut ante id temporis res sine causâ non deseratur, parùm difficultatis habent. Pensio solvanda est, etiamsi ex parte conductoris, licèt absque ejus culpâ, contingat ut re locatâ, ut v. g. equo uti non possit: secùs si equus morbo afficiatur, aut domus corruat, vel ob bellum inhabitari non possit. Idem dicendum de eo *qui operas suas locavit; is enim totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit quominùs operas præstaret.* Qui malè aut segniter laborant ad restituendum tenentur, prout majoris aut minoris damni causa fuêre.

.. 28. ff. cat.

Superest una difficultas, cui nempè res locari possit.

R. rem ei locari non posse qui prævidetur eâ abusurus; unde peccas 1°. si arma cuipiam locaveris quem iis usurum putas ad occisionem; 2°. si meretrici loces domum, etsi eam nemini locare possis; imò etsi locationis pretium tibi ut subsistas necessarium sit. Ratio est, 1°. quia non licet alteri procurare occasionem & commoditatem peccandi; 2°. quia ex S. Carolo Borom. absolvi non possunt, qui aleæ *& ejusmodi lusibus indulgent, vel qui domum in hunc finem præparatam aperiunt:* Atqui minus est illius peccatum qui academiam tenet, quàm qui meretrici domum locat; Ergo, ut verbis S. Hieronymi utar, *melius est ut emolumentis carnalibus careas, quàm dum vis lucrifacere, causam habeas ruinarum.*

Limitat hanc responsionem Sylvius, si & mulieres

illæ ſunt ad meretricandum reſolutæ, & à Republicâ tolerentur in eâ civitatis parte in quâ ipſis elocatur domus, & peccatum diſpliceat elocatoribus... tunc enim elocatores illud peccatum impedire non tenentur. Ità & Pontas.

Ut autem domum meretrici locare non licet, ſic nec eam pati quis poteſt in domo ſuâ, quam ſceleris puram crediderat, & poſtmodùm meretricem eſſe comperit.

Nec dicas domûs locationem ad peccatum non inducere, nam neque etiam locatio gladii ad occiſionem inducit, & tamen occidere volenti, gladium locare non licet. Domus ergo per ſe non inducit, ſed peccandi commoditatem præbet, quam præbere illicitum eſt.

Depoſitum, commodatum, &c. hîc ſumuntur pro contractu, tametſi ſæpe ſumuntur pro re depoſitâ, commodatâ, &c.

Depoſitum eſt contractus quo res cuſtodienda traditur alteri, ab eoque ſuſcipitur, ut reddatur eadem; non ſolùm ſpecie, ſed etiam numero, ſaltèm ut plurimum. Ad depoſitum requiritur ſuſceptio ex parte depoſitarii qui alioqui non tenetur de depoſito.

Depoſitum duplex: aliud judiciale, aliud privatum. Judiciale, quod etiam dicitur *ſequeſtrum*, eſt contractus quo res de quâ eſt controverſia, alteri tertio cuſtodienda traditur, ut ei reſtituatur cui adjudicata fuerit. Privatum, quod ſcilicet fit privatâ partium autoritate, aliud eſt voluntarium, quando quis nullo cogente rem ſuam committit alteri; aliud neceſſarium, cùm cogente incendio, ruinâ, ſeditione aut alio ſimili, ſua quis alienæ fidei concredit.

Quæres 1°. qui poſſint eſſe depoſitarii. R. quemlibet ratione utentem, ſeu pupillus ſit, femina, vel etiam religioſus, niſi privata Ordinis aut locorum lex reſiſtat: Monaſterium tamen rei hujus, etiamſi Religioſi dolo pereat, periculum in ſe ſuſcipere non cenſetûr, niſi Conventus ſuam in fidem

atque custodiam recepisset depositum; nisi itèm res depositarii dolo in Conventûs utilitatem fuisset impensa: tunc enim Monasterium teneretur id restituere quo ditius evasisset, nè locupletaretur cum alterius injuriâ; quæ quidem regula ex iis limitanda est quæ dicta sunt ubi de Possessore bonæ fidei, & ex naturâ impensarum quas fecisset depositarius.

Quæres 2°. quæ sint depositarii obligationes.

R. Debet 1°. depositum eâ curâ & fide servare, quâ res proprias; unde si suas viliores salvet cum jacturâ depositi, tenetur de ejus damno; 2°. non potest uti re depositâ sinè domini consensu expresso aut tacito, vel saltèm prudenter præsumpto; quia usus rei concessus ei non fuit, sed tantùm custodia. Hinc tenetur ad restituendum, si usus sit re, ut equo, veste, cujus usus pretio æstimabilis sit. Quòd si depositarius utatur vino aut tritico apud se depositis, certò sciens se res ejusdem pretii & valoris habiturum quo tempore depositum repeti debet, tunc deponentis negotia utiliter gerit, quia si res istæ casu fortuito perirent, damnum pertineret ad deponentem.

Censent etiam multi, depositarium uti posse pecuniâ quæ sibi traditur sacculo nec clauso, nec obsignato, modò certus sit se eam soluturum cùm exigetur, modò etiam non consistat in veteri monetâ, quæ curiositatis magis quàm usûs gratiâ conservetur: verùm & hîc opus est legitimè præsumptâ deponentis voluntate, ut colligitur ex leg. 29. ff. *Depositi.*

Quæres 3°. an possit quis depositum retinere titulo compensationis. R. negat. est enim depositum res adeò sacra, ut leges cùm canonicæ tùm civiles in eo noluerint esse locum compensationi, prout ex cap. 2. *De Deposito*, & leg. 11. *Cod. Depositi.* Sunt tamen qui rem depositam pro expensis in ea factis retineri posse doceant, nisi lex aliqua locorum obstet.

Quæres 4°. an depositum semper reddendum sit ei qui dedit, aut ad beneplacitum ejus. R. negat. *Sic* reddi non debent ensis furioso, pecunia ei quem

designaverit alienigena in hoc Regno decedens, ut quæ ad Regem pertineat jure albinatûs, ac demùm peculium Religioso, nisi sit spes futurum ut hoc ipse Monasterio restituat.

Duo hìc annotanda; 1°. depositum si fortè in mutuum transeat, putà quia deponens illud cum plenâ utendi facultate suscipit, perire depositario; 2°. deponentem in recuperandâ re suâ præferri ceteris creditoribus, quoties eadem res subsistit in specie, secus si vel mutuata fuerit, vel apud alium existat.

Commodatum est contractus quo res alteri gratuitò conceditur ad certum usum pro tempore determinato, ante quod repeti non potest.

Differt 1°. à locatione, in quâ pro rei usu pretium exigitur; 2°. à mutuo in quo non usus tantùm, sed & proprietas transfertur; 3°. à deposito, in quo nè usus quidem ordinariè conceditur; 4°. à precario, quod ad nutum revocari potest, cùm commodatum repeti non possit, nisi elapso tempore ad quòd datum est : quia ex cap. unic. *de commodat. non oportet nos beneficio decipi, sed juvari.* Unde si quis ante præfixum tempus rem commodatam retrahat, tenetur de damno quod inde patitur commodatarius. Si tamen aliquod commodanti damnum ex rei suæ carentiâ inopinatò immineret, posset illam repetere; etsi commodatario idem incumberet damnum, quia nemo intendit contractum merè gratuitum cum tanto suî incommodo subsistere.

Tenetur commodans aperire vitium rei commodatæ, si sit periculosum; alioqui tenebitur de damno cujus causa erit: debet etiam extraordinarias impensas facere. Commodatarius verò non tenetur ad modicas & ordinarias, v. g. ad nutriendum equum, non tamen ad impensas morbi gravis quo equus absque culpâ illius laboraverit. Non potest etiam commodatarius uti re in alium usum quàm cujus gratiâ sibi data est.

L. 17 ff. Commod.

Precarium non differt à commodato, nisi quia usus rei *precario datæ ad nutum concedentis revocari potest.*

Mandatum non activè ut nomen sonat, sed passivè sumitur, estque obligatio aliquid agendi in alterius commodum gratis suscepta, si enim pretio suscipiatur, est *locatio operæ*, potiùs quàm mandatum.

Mandatarius negotium susceptum conficere tenetur: voluntatis est enim suscipere mandatum, necessitatis consummare. Non potest mandati fines excedere, putà pluris emere quàm sibi præceptum sit; non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, aut ex circumstantiis judicari possit executionem rei non gerendam esse gratis & stricto mandati titulo, sed potiùs titulo locati & conducti: prout de iis præsumi debet, qui non gratis, sed pro mercede obsequium præstare solent. Et id à Confessariis maximè est ponderandum, ut aditum præcludant occultis compensationibus, quæ in hâc præsertim materiâ plenæ sunt periculi. Ceterùm spes remunerationis, quæ mandatarium aliquando accendit, jus eidem strictum non largitur, solùmque ex gratitudine mandantem obligat.

Quâ ex culpâ teneantur depositarius, commodatarius & mandatarius, dictum est pag. 65.

CAPUT OCTAVUM.

De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, Hypothecâ, Transactione.

FIdejussio, gallicè *caution*, est contractus quo quis in se suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor ipse non solverit.

Fidejussio vel est judiciaria, quæ decernitur à Judice; vel est conventionalis, quæ fit ex libero partium consensu, & de istâ loquimur.

Variæ sunt conventionalis fidejussionis conditiones: 1°. enim non obligatur fidejussor, si invalida sit ob dolum, v. g. aut jam extinctâ condonatione,

compensatione, &c. debitoris principalis obligatio; quia non intendit se obligare pro eo qui reipsâ non debet. Hinc si equus pro cujus commodato te sponsorem fecisti casu fortuito pereat, ad nihil teneris; nisi commodatarius fuerit in morâ reddendi, tunc enim in ejus defectum poteris conveniri. Quòd si forsitan te præstitisses fidejussorem pupilli, vel minoris, qui se in integrum restitui fecisset; tunc de debito ejus non desineres teneri, ut qui hoc prævidere potueris.

2°. quia *plus in accessione esse non debet, quàm in principali*, fidejussor non potest ad plus obligari quàm principalis debitor: *ad plus*, inquam, ratione quantitatis, loci & temporis; nam major esse potest ejus obligatio ratione vinculi, ut si jam juramento confirmet, si hypothecam præbeat, &c.

Institut. 3. tit. 21 parag. 1

3°. Fidejussor tunc solùm conveniri potest à creditore, cùm creditor jam petiit debitum à principali debitore qui solvere non possit; nisi tamen vel debitor procul absit, vel fidejussor renuntiaverit juri quod habet nè ante debitorem conveniatur, &c.

4°. Fidejussoris obligatio transit ad hæredem, eumque *obligatum relinquit, cùm rei locum obtineat*, L. 4. ff. & 23. Cod. *De Fidejussoribus*.

5°. Tenetur solvere ante sententiam Judicis; sicut & ipse debitor cujus in locum succedit.

6°. Si multi sint fidejussores, quorum unus solvendo non sit, ceteri in solidum tenentur: omnes tamen à creditore conveniri oportet: nisi huic *divisionis* beneficio renuntiaverint. Quòd si unus aliis inconsultis solverit, non in alios, sed in solum debitorem jus & actionem habet, nisi se creditoris juri subrogari curaverit.

Præcipua fidejussoris jura hæc sunt: 1°. agere potest contra debitorem, ut restituat sibi tum illud omne quod solvit, tum damna quæ passus est: debitor enim vi contractûs fidejussorem debet indemnem servare, modò is non solverit ante terminum debitori concessum à creditore; 2°. cogere potest

creditorem ut ſibi cedat omnem actionem, cùm perſonalem, tùm hypothecariam quam in debitorem habet: imò apud nos jura hæc habet ex naturâ rei, 3°. non manet obligatus ſi creditor vel novum cum debitore ineat contractum circa rem fidejuſſam, v. g. domum denuò ſeu expreſsâ ſeu tacitâ reconductione locando, quod quidem *novatio* dicitur, vel debiti petitionem ſuo tempore ſpecificè expreſſo neglexerit.

Quæres 1°. an liceat pro fidejuſſione pretium à debitores exigere. R. Cenſent multi id non eſſe illicitum, niſi pro fidejuſſione quæ à periculo & moleſtiâ immunis ſit. Ratio eorum eſt, quòd nemo teneatur gratìs aſſumere onus pretio æſtimabile: Atqui onus fidejuſſoris eſt pretio æſtimabile. Onus enim illud eſt obligatio ſolvendi in futurum, ſeu quaſi mutuo dandi poſt certum tempus; itèm ſatagendi ut debitor non fiat ſolvendo impar, &c. Atqui onus illud adeò pretio æſtimabile eſt, ut mutuans illud ſinè uſurâ à mutuatariis exigere non poſſit, ſicut nec exigere poteſt ut mutuatarius ſe ſuî vel alterius fidejuſſorem facere teneatur.

Si dicas illud onus ſatis compenſatum iri, cùm ſua fidejuſſori pecunia reſtituetur ab eo cujus in locum ſolverit; reponunt id falſum eſſe: nam ei quidem reddetur fortè quidquid in defectum debitoris coactus eſt ſolvere creditori; at nihil reddetur quo compenſetur grave quod ſubiit onus, paratam aliquando per quatuor annos habendi pecuniam ex quâ creditori ſatisfaciat, ſi eidem debitor præſtituto tempore ſatisfacere non poſſit. Quidni ergo, inquiunt, fidejuſſor pro onere illo quod mutuum præcedit, & ab eo diſtinctum eſt, aliquid exigere poſſit; ſicut exigere poſſet ſi eum alter rogaret ut certo tempore paratus ſit pecuniam mutuo dare? Etverò quid aliud agit fidejuſſor, quàm quòd ſpondet ſe pecuniam, ſi opus erit, certo tempore mutuam daturum eſſe?

Confirm. Si illicitum ſit de pretio pro fidejuſſione paciſci, utique quia pactio hæc degeneraret in

mutuum virtuale, quatenùs fidejussor quasi dare censetur alicui pecuniam, quam ei procuret dum ejus fidejussorem se constituit: Atqui hæc ratio nulla est, tùm quia in mutuo etiam virtuali reperitur vera traditio, quæ non occurrit in fidejussione; tùm quia fidejussor nihil exigit pro solvendâ in locum debitoris pecuniâ, quod usuram involveret; sed pro eo quod obligationem hujus debiti solvendi suscipiat. Id tamen, ait Habert, quod pro fidejussione exigetur, moderatum esse debet. Imò ob periculum usuræ quæ facilè irrepit, tutius est, & proborum praxi magìs accommodatum, ut fidejussor nihil unquam exigat, nisi de aliquo propter periculum damni emersuri, pretio convenerit. Ceterùm potest mutuans pretium alicui dare, ut se in ipsius mutuantis gratiam fidejussorem constituat: posset quoque idem mutuans aliquid accipere à fidejussore quo eum liberaret ab obligatione suâ, si debitor solvendo impar futurus esse judicaretur.

Quæres 2°. qui fidejussores esse possint. R. possunt omnes & soli qui liberam rerum suarum administrationem habentes, se suaque obligare possunt, nec à naturâ vel jure prohibentur. Prohibentur à naturâ, furiosi, infantes, aliique rationis usu destituti. Prohibentur à Jure; 1°. milites saltem tempore expeditionis, nisi in rem suam fidejubeant; 2°. pupilli aut minores curatorem habentes, si sinè ejus autoritate fidejubeant; 3°. filii-familias, nisi castrensi aut quasi castrensi peculio fruantur; &c. Verùm hæc quæ pro locorum varietate varia sunt, & ad Jurisperitos se ipsis pertinent, fusiùs prosequi superfluum fuerit.

Assecuratio est contractus quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratìs, vel pacto pretio, ad eam si perierit compensandam. Negant aliqui contractum hunc esse licitum, si assecurans nullam ad rei assecuratæ conservationem, sit operam adhibiturus. Sed malè; 1°. quia in hoc contractu *utraque pars æqualiter* exponitur lucro &

damno. Dominus enim rei rem quidem suam recipiet, etsi perierit; sed simul exponitur damno pretium pro assecuratione datum perdendi : pariter assecurans potest lucrari pretium sinè labore; sed obnoxius est periculo solvendi valorem rei si perierit.

2°. Si contractus ille illicitus esset, vel ratione periculi quod suscipitur, vel ratione pretii quod etiam sinè labore exigitur. Neutrum dici potest. Non 1. aliàs illicita foret fidejussio, quæ simili periculo obnoxia est: non 2. quia susceptio talis periculi ex omnium judicio pretio est æstimabilis, cùm nemo sit qui libens aliquid non conferat ut sibi assecuretur sua res variis periculis objecta.

Requiruntur autem conditiones aliquæ. Prima, ut pretium respondeat quantitati periculi; secunda, ut periculum subsit probabiliter, vel saltèm subesse ab utroque judicetur : hinc peccaret contra justitiam, qui assecuraret navim quam cognovisset jam ad portum pervenisse : aut qui sciens rem suam jam periisse, de ejus assecuratione cum aliquo paciscеretur; tertia, ut ille cui merces assecurantur, servet conditiones de quibus justè conveniri potuit, v. g. ut navis talem viam teneat, si fieri possit, aliis oneribus non gravetur, &c. quarta, ut assecurans habeat vel habere possit unde solvat : aliàs insignis est nebulo, qui perdere non valens, agit ut lucretur, & restituere debet si quid receperit, etiamsi res incolumis ad metam deveniat.

Pignus est contractus quo res *mobilis* à debitore *traditur* creditori ad debiti securitatem, ut ex eà possit peti solutio si debitor non solverit.

Hypotheca est contractus de quo res *immobilis obligatur* creditori, ut ex eâ pariter peti possit solutio. Pignus & hypotheca in jure non raro confunduntur.

Pignus dividitur in *prætorium*, quod Judicis statuto; *conventionale*, quod ex partium consensu; & *legitimum*, quod ipsâ Legis dispositione constitutum est : sic bona tutoris sunt hypothecata pupillo. Hypotheca, alia est universalis, per quam bona omnia

cùm præsentia, tùm futura obligantur: alia particularis, id est unius, vel plurium rerum in specie; & hæc rem afficit & sequitur quocumque transeat, donec expungatur debitum.

Obligationes illius qui aliquid in hypothecam assignat, eæ sunt: 1°. ut rem quæ pro multis debitoribus non sufficit, pro iis omnibus in hypothecam non det; quia alioqui debitores omnes ex eâ solutionem capere non possunt. Quòd si posteriores creditores priorem aliorum hypothecam cognoverint, iis utpotè volentibus non fit injuria; 2°. debet refundere creditori impensas quas iste in pignoris conservatione fecerit, quia alioqui creditoris conditio deterior fieret ex pignore; 3°. non potest rem hypothecatam vendere, nisi priùs emptorem monuerit, quia cùm hypotheca sit onus rem afficiens, deciperetur emptor si rem emeret onere gravatam quam liberam putat.

Obligationes verò illius qui pignus accipit, aut hypothecam, sunt 1°. ut ea diligenter servet & curet ne pereant; tenetur enim de culpâ latâ & levi. Potest autem creditor ipsum pignus oppignerare ex Leg. 1. Cod. *Si pignus pignori datum sit*; 2°. ut statim restituat pignus, debito integrè soluto; 3°. ut ipsum non vendat, nisi debitor sit in mora solvendi, & eo priùs monito; quòd si pluris vendat quàm debitum sit, excessum debet restituere debitori.

Transactio definiri solet, Pactio inter plures utrinque onerosa de re dubiâ & lite incertâ.

Dicitur *pactio onerosa*: si enim gratuita foret, non tam esset transactio quàm condonatio; 1°. *de re dubiâ*: si enim jus alterutrius clarum esset, ei si ad transigendum cogeretur, fieret injuria, quia juri suo renuntiare compelleretur. Ubi facta est transactio, vix datur locus restitutioni in integrum; quia ut in ludo, aliisque sortis contractibus, ità & in transactione paciscentes incerto eventui se spontè & reciprocè committunt; adeòque queri de læsione non possunt, *nisi ea tam enormis sit, ut dolus præsumi queat.*

CAPUT NONUM.

De Ludo, Sponsione, & Loteriâ.

Ludus, jocus, & lusus differunt, quia *ludus* propriè dicitur in factis; *jocus* in verbis, & *lusus* magìs fit voluptatis causâ quàm spe lucri.

Ludus generatim est jucundum aliquod dictum vel factum ad animi relaxationem. Ut licitus sit ludus, hæc requiri solent: 1°. ut sit in materiâ quæ nihil habeat illiciti, & obscœni; 2°. ut nec sæpiùs, nec diutiùs ludatur quàm exigit necessitas reficiendi vires animi. *Parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo*, aït Aristoteles apud S. Thomam; 3°. ut serventur circumstantiæ omnes ratione loci, temporis, & personæ; *nam in talibus aliquid decet unum quod non decet alium*, aït idem S. Doctor. Hinc vetat Concilium Senonense, nè Clerici in publico pilâ aliisque ludis ludant, maximè cum Laïcis.

Ludus sumptus pro contractu, est certamen ad animi relaxationem institutum, quo ludentes inter se paciscuntur ut victori res aliqua quasi præmii loco cedat.

Triplex est ludorum genus: alii merè pendent ab industriâ, nihil aut ferè nihil à fortunâ, ut ludus pilæ; alii merè pendent à fortunâ, & nihil aut ferè nihil ab industriâ, ut ludi taxillorum, multi chartarum ludi, aliique quotquot dicuntur * alea: alii dèmum mixti sunt, & partim à fortunâ, partim ab industriâ pendent, ut plures etiam chartarum ludi.

* Jeux de hasard.

Dicimus porrò ex hisce ludis nullum esse qui *ex naturâ rei* prohibitus sit, modò serventur *conditiones requisitæ*, quas sæpiùs violari contingit.

Prob. 1. pars: 1°. quia sicut potest quisque rem suam alteri simpliciter & absolutè donare, sic & eam potest in alium transferre sub aliquâ condi-

tione, sive à fortunâ solùm, sive etiam ab industriâ pendeat.

2°. Quia si quis ludus ex naturâ rei prohibitus esset, maximè alea: Atqui fieri potest ut omni prorsùs peccato careat, præsertim in Laïcis, si temperatè fiat, absque pravâ circumstantiâ, & ut expedit ad officia sua alacriùs prosequenda. Leges enim quæ contra hujusmodi ludos citantur, damnant duntaxat aleatores, seu aleæ deservientes; aleator autem dici non potest, qui rarò, moderatè, & recreationis causâ aleâ ludit. Adde quod permittant modicam exponi pecuniam, qualis in convivio vescendi causâ ponitur.

ff. L. 11 tit. 5.

Dixi *ex natura rei*, quia aleæ ludus saltèm frequens, Jure civili & ecclesiastico, etiam Laïcis interdictus est. De Lege civili patet ex toto titulo *De aleatorib.* ff. & Cod. De Jure ecclesiastico patet tùm ex Concilio Illiberit. can. 79. *Si quis fidelis*, inquit, *aleâ luserit, post annum poterit communione reconciliari :* tùm ex Synodo Quini-sextâ can. 50. *Qui aleâ luserit excommunicetur.*

Suas etiam circà ludum leges tulêre Reges Christianissimi; & inter alios Carolus Magnus, S. Ludovicus, & Ludovicus XIII. Constitutione an. 1611. cujus hæc sunt verba: « Nous défendons & » interdisons à tous nos sujets, de recevoir en leurs » maisons les Assemblées pour le jeu, qu'on ap- » pelle Académies ou Brelans. Déclarons dès à » présent tous ceux qui y contreviendront, ou qui » se prostitueront à un si pernicieux exercice, in- » fames, intestables, & incapables de tenir jamais » Offices Royaux. Déclarons toutes dettes contrac- » tées pour le jeu, & toutes obligations & promes- » ses faites pour jeu, quelque déguisées qu'elles » soient, nulles & de nul effet, & déchargées de » toutes obligations civiles & naturelles.

Hinc colliges cum S. Raymundo de Pennafort l. 2. Sum. tit. 2. *quòd peccatum eorum qui aleæ deserviunt sit mortale, cùm tales pœnæ* quas decernunt

citatæ leges, *non sint imponendæ pro levi crimine.* Idem docet S. Antoninus, 2. p. tit. 1. juxta quem tamen *ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem & moderatè, non videtur esse mortale*, quæ exceptio regulam graviter confirmat. Etverò, aït S. Bonaventura, in ludo *multa committuntur peccata, scilicet fraus, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, & ira frequenter;* unde *ludus satis videtur habere rationem peccati mortalis.*

Nec dicas Leges superiùs adductas contrariâ consuetudine abrogatas fuisse. Nam 1°. consuetudo contraria non præscribit contra legem, cùm lex eà à saniori multitudinis parte servari pergit: Atqui sapientiores, præsertim è Clero, ab aleis prorsùs abstinent; 2°. consuetudo contra legem non præscribit, cùm Legislator reclamat: Atqui ab ipsis Ecclesiæ incunabulis nova semper contra aleatores, præsertim Clericos, prodierunt statuta: quin & Trid. Sess. 22. cap. 1. *de reform.* confirmat antiquos Canones quibus alea prohibetur: huic autem Decreto hactenùs paruisse Gallicanos Præsules, testantur Rituales libri singularum Diœceseon, & Statuta Synodalia; Ergo.

Prob. 2. pars, quæ spectat conditiones servari debitas. Præter eas verò quas jam retulimus, eæ in contractu ludi necessariæ sunt: 1°. ut ludentes liberam habeant dispositionem boni quod exponunt, & id perdere possint absque eo quòd suis desint officiis, ut eleemosynæ in pauperes, debitorum solutioni, &c. Hinc qui lucratur à filio-familias non habente castrensia, &c. ab uxore non habente paraphernalia, à Religioso, &c. peccat, & tenentur ad restituendum, nisi hi quibuscum lusit, eorum à quibus pendent sufficientem consensum obtinuerint, aut nisi id quod ab iis perditum est, *sit quid modicum de quo præsumi possit quod patres, tutores & hujusmodi non curarent.* Ita S. Antonin.

2°. Ut summa quæ ludo exponitur sit modica,

secundùm uniuscujusque facultatem, & non major quàm opus sit ad animi delectationem, & nè ludus langueat; qui enim majores summas exponunt, præter multa quibus se exponunt peccandi pericula, lucrum avidè & principaliter intendunt, quod aliqui mortale peccatum censent, ut Vega; alii verò plures nonnisi peccatum veniale esse volunt, ut Navarrus.

3°. Ut absit omnis fraus: unde qui decipiunt in numero calculorum, qui cartas abscondunt, easve speciali quo distingui possint signo notant, peccant graviter, & ad restituendum tenentur, tùm lucrum hâc arte acquisitum, quia iniquè acquisitum est; tùm id quod alter certò aut probabiliter acquisiturus erat. Quòd si dubium sit an alter lucraturus fuisset, censeo restituendum esse quanti valebat spes victoriæ in eo qui deceptus est.

4°. Ut inter lusores sufficiens sit æqualitas: cujus conditionis defectu, tenetur ad restituendum, tùm qui certò sciens se alium peritiâ notabiliter excedere, excessum illum silet; tùm qui nihil amittere potest æquale ei quod alter exponit.

5°. Ut absit coactio, & alter alterum ad ludum vel incipiendum, vel continuandum non pertrahat per injurias, fraudes, convitia, imò per preces itâ importunas, ut malles rem tuam periclitari, quàm tantis affici molestiis. Porrò qui sic alium pertrahit, aut qui minatur se id quod jàm perdidit non soluturum, nisi alter in ludo persistat, ad restituendum tenetur; quia qui me invitum aut quasi invitum ad ludum traxit, est iniqua damni mei causa: si verò ipse perdiderit, non teneor restituere, quia verè & absque cujuspiam injuriâ lucratus sum. Sic restituere debet qui decipit in punctorum numeratione, non qui decipitur.

Quæres an lucrum ex aleâ, servatis ludi conditionibus, percipi possit.

R. cum Haberto & aliis quibusdam, in hoc Galliæ Regno distingui debere inter lucrum actu perceptum, & *fidem solvendi* datam. Lucrum perceptum

2. 2. q. 32. a. 7.

ex ludo etiam prohibito, tutâ conscientiâ retineri posse videtur: 1°. quia, ut docet S. Thomas, non ideò semper acquisitio est invalida, quia id ex quo acquiritur est illicitum; 2°. quia nullum prodiit à Regibus nostris edictum, quo aleatores ante Judicis sententiam restituere teneantur.

Lucrum verò quod necdum solutum est, sed promissum duntaxat, non debet in conscientiâ solvi; quia citatâ Ludovici XIII. Constitutione, hæc solvendi promissio nullam prorsùs obligationem parit. *Déclarons toutes dettes contractées pour le jeu, & toutes obligations & promesses faites pour jeu, quelque déguisées qu'elles soient, nulles, de nul effet, & déchargées de toutes obligations civiles & naturelles.* Idem Princeps aliud an. 1629. emisit edictum quo patribus, matribus, avis & tutoribus sit facultas repetendi id quod filii aut minores perdiderint; eas verò Leges etiamnum vigere ex variis Senatûs Parisiensis Declarationibus probat Pontas, v. *Jeu*, cas. 3.

Si tamen summa quam quis aleâ amisit, levi momenti foret, eandem solvendam esse crederem, quia id exigit usus apud viros frugi receptus. Ceterùm ea est Parlamentorum consuetudo, ut in litibus occasione ludi commotis, majorem summæ partem nozocomiis, nihil verò ludenti adjudicent.

Sponsio, gallicè *Gageure*, est contractus quo plures de veritate vel eventu rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit qui verum dixerit.

Hinc contractus, si adsint conditiones requisitæ, licitus est; tùm quia nullo jure prohibetur; tùm quia quidam est fortunæ contractus, quo uterque contendens, pari jacturæ & lucri periculo expositus est.

Conditiones eæ sunt; 1°. ut res de quâ agitur eodem intelligatur sensu à contendentibus; alioqui enim non consentirent in idem, nec proinde contraherent; 2°. ut res de quâ contenditur sit utrique incerta; quia jam non esset æqualitas in spe & periculo, quæ ad sponsionis justitiam requiritur.

Sed quid si de eventu certus, alii notitiam meam

manifeſtem, & is nihilominus velit contendere?

R. 1°. Conſentiunt omnes eum qui à principio certus erat de veritate rei quam ſuſtinet, ſed altero pertinaciter contradicente, incipit dubitare, putà quia advertit aliàs contigiſſe non ſemel, ut in iis etiam quæ certa ſibi videbantur, deceptus fuerit, conſentiunt, inquam, eum poſſe licitè lucrari, ob periculum quod tunc imaginatur.

R. 2°. Si certus ſis ab initio, & certus eſſe pergas, non potes è ſponſione lucrari: quia in contractibus oneroſis, qualis eſt ſponſio, attendi debet juſtitia & æqualitas cum proportione ad contractum venditionis & emptionis quem alii contractus imitantur: ſicut ergo venditio vitri pro gemmâ invalida eſt, etiamſi emens monitus rem quæ venditur gemmam non eſſe, ſed vitrum, credere noluerit; ità à pari venditio juris ad lucrum, & ſpei ejuſdem lucri, in quâ conſiſtit tota ſponſionis natura, reipsâ nulla eſt, ſi jus illud ſeu ſpes, etſi ab alio magni fiat, propter ejus errorem in ſe tamen non ſubſiſtit.

Loteria, vel, ut alii dicunt, *ludus ollæ*, eſt pactum multorum aliquid in commune ponentium, unde jus habent ſortiendi, quis pro pecuniâ quam intulit multum accipiat, quis parùm, quis nihil. Non convenit inter Theologos an loteriæ vacent à peccato. Negant alii, ut Sambovius; affirmant alii ut Sylvius, Nat. Alexander, Beſombes, & hæc opinio verior apparet: 1°. quia nunc penè unanimi etiam timoratorum conſenſu confirmata videtur.

2°. Quia loteria ſpectari poteſt ut ludus quo ludentes exponunt aliquid iis ceſſurum quibus aliquæ ſchedulæ ſorte obvenerint; porrò talis ludus nihil ex naturâ ſuâ habet mali. Sors enim diviſoria quam hîc occurrere conqueritur Sambovius, *non videtur habere niſi fortè vitium vanitatis*, cùm à fortunâ expectatur, prout docet S. Thomas; unde ſi ſubſit rationabilis cauſa per quam vitium illud vanitatis tollatur, nihil ſupererit mali.

3°. *Loteria ſpectari poteſt* ut contractus emptio-

nis, quo plures certâ pecuniâ emunt jus sortiendi & acquirendi illud quod sorte contigerit : Porrò emptio rei incertæ non est illicita.

4°. demùm spectari potest ut donatio conditionalis, quam omnes qui ad loteriam pecuniâ suâ concurrerunt, faciunt in gratiam eorum qui felicem schedulam obtinuerint ; & hæc quoque donatio nihil habet vitiosi.

Sed & hîc variæ requiruntur conditiones : 1°. ut qui loteriam suum in commodum instituit, non plus notabiliter eâ viâ lucretur, quàm lucraretur, si alioquovis contractu licito merces suas distraheret : in iis autem magni momenti loteriis quæ Principis autoritate creantur, potest excedi in lucro ad arbitrium prudentium ; 2°. debent undequaque abesse fraus & dolus ; 3°. cavendum est, quod multi non cavent nè solo avaritiæ & cupiditatis impulsu pecunia in loteriam conferatur. Itaque hoc intendi debet ut promoveatur bonum opus, in cujus gratiam loteria instituta est, placidè expectando an hâc occasione velit Deus nos aliquid acquirere.

CAPUT DECIMUM.

De Promissione.

DIcendum nunc de Contractibus gratuitis seu lucrativis quo nomine intelliguntur promissiones, donationes & ultimæ voluntates.

Est autem promissio, libera & spontanea fidei datio de re licitâ & possibili, quæ si fiat sub certâ verborum formulâ quâ unus rogat & alter promittit, dicitur stipulatio ; v. g. *Spondes te hoc facturum ? spondeo.*

Dicitur 1°. *datio fidei ;* & sic distinguitur *à donatione*, in quâ non est fidei datio, sed rei. Est autem hîc fides, non simplex voluntas faciendi, sed obligatio ad faciendum : unde qui dicit, *promitto*, si

nerum propositum significare velit, non censetur strictè promittens, nec ut talis obligatur, & sic intelligendi sunt pœnitentes cùm promittunt Deo se nunquam esse peccaturos.

Dicitur 2°. *libera*: si enim fraude vel metu extorta sit, nihil aut parum valet, nisi juramentum accesserit, de quo vide quæ dixi cap. 3. & 4.

Dicitur 3°. *spontanea*; id est gratuita vel liberalis, quia nullum imponit onus promissario; & sic differt à promissionibus utrinque onerosis, in quibus tam promittens quàm promissarius ad aliquid se obligant.

Dicitur 4°. *de re possibili & licitâ*; quia nulla contrahi potest obligatio de re vel malâ vel impossibili. Quòd si res promissa partim licita sit, partim illicita, quod licitum est fieri debet, quod illicitum omitti; quia *utile non debet per inutile vitiari.* Si promissio majoris boni impeditiva sit, non desinit obligare, modò sit de re bonâ; quia minus bonum plus aliquando homini placet quàm majus; & sic differt promissio à voto, quod non obligat nisi fuerit de bono meliori. Ut solvantur quæ ad promissionem pertinent,

Reg. 37 in 6.

Quæres 1°. an promissio etiam gratuita in materiâ gravi obliget, & quâ ex virtute.

R. promissionem hanc, si acceptata sit, obligare sub mortali, idque ex justitiâ; si verò acceptata non sit, obligare solùm ex veracitate.

Prob. 1. pars, quam tenent multi contra multos. Omnis contractus parit obligationem ex justitiâ: Atqui promissio acceptata est contractus quidam jure gentium institutus; Ergo ejus obligatio in gravi materiâ gravis esse debet.

Prob. 2°. obligatio justitiæ ea est quæ parit jus exigendi aliquid: Atqui promissio etiam gratuita illud parit. Promittere enim non est solùm affirmare se aliquid facturum, sed insuper se ad id faciendum alteri obligare, ideòque jus ei dare exigendi quod ipsi promissum est: hinc queri solent

hominibus illatam esse sibi injuriam, quoties quis datam & acceptatam fidem frangit. Etverò qui nudè affirmat se aliquid facturum, ad id tenetur ex veracitate; Ergo qui promittit, magis obligatur.

Prob. 3°. Fatentur ipsi adversarii, promissionem parere obligationem strictam, si fiat coram Notario, testibus aut in scriptis; & reipsâ hujusmodi promissio dat actionem in foro exteriori: Atqui extrinsecæ illæ formalitates novam promissioni obligationem non addunt, sed supponunt. Vis enim promissionis à mente tota pendet, non à verborum sono, signisve exterioribus; Ergo meritò dixit Augustinus: *Omnis fidei violator iniquus est.*

L. 1. De Doctrinâ christian. c. 36.

Fatendum tamen 1°. gravitatem obligationis quæ ex promissione nascitur, pendere ab intentione promittentis quia promissio est quasi lex privata quam sibi quisque prout vult imponit; 2°. quantitatem quæ in furto sufficit ad mortale, hîc non sufficere, sed majorem requiri, quam aliqui statuunt quadruplo ampliorem.

Prob. 2. pars, scilicet quòd promissio non acceptata, quæ potiùs vocatur *pollicitatio*, non obliget ex justitiâ: 1°. quia obligatio justitiæ ex parte promittentis, importat jus strictum ex parte promissarii: porrò jus illud non habetur nisi à consentiente. Etverò qui jus illud acquirit, tenetur ad gratitudinem, *cùm beneficium acceptare sit libertatem vendere*, ex communi adagio: Atqui nemo ad gratitudinem se obligat nisi volens: 2°. quia qui promittit non videtur habere animum se obligandi saltèm strictè donec alter acceptet; Ergo quandiu conditio hæc impleta non est, non obligatur strictè, sed ex veracitate solùm; quatenùs quilibet dictum suum verificare tenetur, nisi adsit rationabilis mutandi causa. Hæc autem obligatio levis est, & non obligat sub gravi, ut communiter docent Theologi, nisi inde oriretur grave proximi damnum, ut si Medicus promiserit se subventurum ægro graviter periclitanti, qui spe frustratus notabiliter læsus sit.

Ex hâc promissionis obligatione colliguntur aliæ ejus conditiones quæ in ipsius definitione minùs expressè continentur. Debet enim esse deliberata; & eâ quidem deliberatione quæ ad peccatum mortale sufficit; hoc enim tanti obligationis onus sine pleno consensu & advertentiâ impositum non censetur. Debet esse immunis à dolo & errore circa substantiam, vel causam finalem, nè desit consensus substantialis, &c.

Quæres 2°. an omnis promissio ut obliget debeat acceptari; & quomodo.

R. 1°. multos esse qui certas quasdam pollicitationes independenter ab acceptatione obligare putant, quales eæ sunt quæ fiunt Universitati, Ecclesiæ, Hospitali, vel Civitati ad instaurandas ejus ruinas. At id de jure Gallico falsum videtur; cùm juxta illud nè quidem valeat donatio pari in casu, nisi acceptetur.

Vid. cap. sequens.

R. 2°. acceptationem sic fieri debere ut promissori vel donatori innotescat; unde si promissarius vel donatarius promissioni aut donationi præsens sit, verbis aut signis exprimere debet eam sibi acceptam esse, ut sic duorum voluntates in unam concurrant: porrò ut promissio non onerosa censeatur acceptari, regulariter sufficit taciturnitas illius cui fit, juxta hanc Juris regulam: *Qui tacet, consentire videtur*; quæ cùm ex leg. 8. ff. *de procurat.* locum non habeat ubi de præjudicio tacentis agitur, locum habere debet, cùm agitur de tacentis beneficio. Ità illi; sed in Galliis quoad donationes non sufficit silentium, de quo infrà.

Reg. 43 in 6.

Quòd si absit promittens aut donator, debet per litteras aut nuntium, promissarium de promissione certiorem facere; nec sufficeret quòd alius tertius promissionis conscius eam proprio motu referret promissario, sicut nec satis esset si promissarius acceptationem faceret coram aliis qui promittentem non repræsentarent. Hinc facilè colliges, mortuo donatario aut promissario nullam esse promissionem. At

verò ab hæredibus acceptari possit, disputatur. Negant multi, quia hæredes succedunt solùm in juribus defuncti quæsitis & realibus: & verò quæ amico gratis promittuntur, plerumque hæredi nec pro pretio darentur.

Quæres 3°. quandonam promissio vel donatio valida & acceptata revocari possit.

Certum est quasdam esse promissiones pleno jure irritas: sic promissio Beneficii Ecclesiastici nondum vacantis, quovis modo facta, est illicita & nulla ex Concilio Lateran. III. etiamsi nullum in particulari promittatur, quia sic *mortis alienæ votum ingeritur*. Sed hîc loquimur de promissione validâ.

Cap. 2. De concess. præb. *in* 6.

R. Desinit obligatio promissionis humanæ, 1°. cùm res promissa sit inutilis aut noxia promissario, impossibilisve aut illicita promittenti; quia tunc cessat materia promissionis; 2°. cùm promissarius obligationem remittit, quia tunc cedit jure suo; 3°. cùm promissio facta est ob causam quæ non fuit, aut non est: ut si promiseris tabellam ei quem errore facti credideras de te bene meritum esse; aut dotem egenæ virgini, cui ampla contigit hæreditas; 4°. cùm duo sibi vicissim promisserunt, & prior promissis stare non vult; tum quia frangenti fidem non est servanda fides; tùm quia cùm paria sint utriusque partis jura, locum hîc habet compensatio; 5°. cùm res ità mutatæ sunt, ut prudenter judicetur promittentem noluisse hunc casum comprehendere; tum quia vir prudens non censetur voluisse se in omnem eventum obligare; unde hæc fuit promissionis ejus conditio tacita, *nisi quid eveniat, aut detegatur quod virum prudentem à promissione retrahet*: tùm etiam quia sicut ex Reg. 81. Juris in 6. *in generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, si in specie peterentur; ità nec ii in promissione comprehensi sunt eventus, qui si menti occurrerent, deterrerent à promittendo: Ergo in hisce casibus desinit, aut potiùs nulla est promissionis obligatio.

Hinc

Hinc non tenetur ſtare promiſſis, 1°. qui rem promiſſam quam vilioris eſſe pretii crediderat, multò majoris eſſe deprehendit, præſertim ſi tanta promiſſio vires ejus ſuperet; 2°. qui promiſit ſe tali die culturum eſſe proximi ſui vineam, & uxoris quæ gravi torquetur morbo curam gerere debet; 3°. qui puellæ quam virginem exiſtimabat, nuptias promiſſit, haud promiſſurus ſi noſſet eſſe corruptam; 4°. qui pollicitus erat ſe pecuniam mutuo daturum, & eâ ob improviſſam neceſſitatem indiget, &c. Atque hoc extendunt, etiamſi promiſſio fuerit jurata; quia juramentum promiſſionem non firmat, niſi eo ſenſu quo facta eſt; unde ſi promiſſio tacitam habeat conditionem, ſive ex mente promittentis, ſive ex naturâ rei, aut diſpoſitione Juris; juramentum eam non tollit, ſed ſolùm ſecundùm eam, promiſſionem confirmat.

CAPUT UNDECIMUM.

De Donatione.

DOnatio eſt liberalis rei alicujus collatio, id eſt traditio realis, pariens dominium & jus in re.

Donatio dividitur 1°. in abſolutam, & conditionatam. Hæc conditionem annexam habet, illa non.

Dividitur 2°. in donationem *inter vivos*, & donationem *causâ mortis*. Prima ea eſt quâ quis ſic donat, ut velit rei donatæ dominium, ſe vivente, in donatarium transferri. Secunda eſt, quâ quis actualiter quidem donat; ſed tantùm vult, ſe mortuo, dominium transferri: ut cùm quis dicit: Do tibi centum nummos poſt mortem, vel cùm moriar.

Inter utramque donationem hæc ſunt diſcrimina: 1°. donatio causâ mortis, licèt ab homine ſano fieri poſſit, mortis tamen intuitu fieri debet, cum ejuſdem mortis mentione; ſecùs donatio inter vivos: 2°. donatio inter vivos de ſe irrevocabilis eſt, niſi

certis in casibus, de quibus infrà; donatio verò causâ mortis essentialiter revocabilis est. Hinc tritum illud à Jurisconsultis nostris : *Les donations entre-vifs saisissent & sont irrévocables ; les donations à cause de mort sont révocables, & ne saisissent point.* Hinc etiam donator inter vivos juridicè cogi potest ad traditionem rei, non donator causâ mortis. Quod si donatur sibi reservare voluerit facultatem de re inter vivos donatâ pro nutu disponendi, aut si donationis instrumentum penes se servaverit, invalida est donatio, juxta hanc sententiam apud nos celebrem : *Donner & retenir ne vaut.*

An donationes causâ mortis differant à dispositionibus testamentariis, graviter & diu controverterunt Jurisperiti nostri. Verùm litem hanc diremit Ludovicus XV. Constitutione an 1731. postquam enim dixit art. 1. » Tous actes portant donation en-» tre-vifs seront passés pardevant Notaires, & il en » restera minute, à peine de nullité *; sic pergit art.* 3. » Toutes donations à cause de mort, à l'exception » de celles qui se feront par contrat de mariage, ne » pourront dorénavant avoir aucun effet, dans les » pays même où elles sont expressément autorisées » par les Loix ou par les Coutumes, que lorsqu'el-» les auront été faites dans la même forme que les » testamens ou les codiciles ; en sorte qu'il n'y ait » à l'avenir dans nos Etats que deux formes de dis-» poser de ses biens à titre gratuit, dont l'une sera » celle des donations entre-vifs, & l'autre celle des » testamens ou des codiciles. *Ibid. art.* 4. *alia quæs-» tio hactenùs ambigua, his solvitur verbis* : Toute » donation entre-vifs qui ne seroit valable en cette » qualité, ne pourra valoir comme donation ou » disposition à cause de mort, ou testamentaire, » de quelque formalité qu'elle soit revêtue ».

Hac occasione quæritur an donatio manualis, & actuali traditione consummata, si fiat in ultimo unde quis decedit morbo, sit valida. Ratio dubitandi est, quia ex Articulo 277. Consuetudinis

Parisiensis, donationes omnes, etiam inter vivos conceptæ seu expressæ, si fiant in ultimo morbo, reputantur causâ mortis factæ, & testamentariæ: Ergo ex citato Regis Edicto, non valent, nisi factæ sint cum solemnitatibus ad testamenta requisitis; porrò donatio brevi manu, hisce solemnitatibus vestita non est.

R. donationem hanc de se esse validam, si fiat bonâ fide, & non cedat in injuriam alterius: 1°. quia citatus Consuetudinis articulus, eas solùm respicit donationes quæ scriptis exprimuntur, seu de quibus instrumenta fiunt, *dont on dresse des actes.* Patet hoc ex iis ejus verbis, *toutes donations encore qu'elles soint conçues entre vifs:* in his verò materiis quæ licèt ex unâ parte favorabiles sint, ex aliâ tamen sunt plurimùm odiosæ, quatenùs justæ voluntatis executionem sæpè sæpiùs impediunt, verba strictè sunt intelligenda, aut saltèm ultra tenorem non extendenda; 2°. quia donatio, causâ mortis, irrevocabilis est, & inter vivos facta reputatur, cùm eam actualis traditio subsequitur: unde donatio Bibliothecæ à Religioso ægrotante, & inde mortuo facta, confirmata est per sententiam Curiæ Parif. an. 1587. 3°. quia ità responderunt periti Magistratus & Jurisconsulti, quorum sententiam per amicos interrogavi. Quia tamen decisionem hanc ab uno eximiæ notæ viro, nunc dignissimo Præsule, acriter impugnatam vidi, eam non nisi ut opinionem probabilem propono, iisque qui in hoc versabuntur casu autor sum, ut peritiores locorum Magistratus aut Jurisperitos consulant, quia quod alicubi permittitur, alibi expresè rejici potest.

Quæres 1°. quænam ad donationis validitatem requirantur conditiones.

R. quatuor requiri: prima est ut donator sit ad donandum habilis: unde generaliter loquendo ii soli inter vivos donare possunt, qui liberam habent de re suâ disponendi facultatem. Ad id autem quædam adhuc requiruntur conditiones, quarum defectu

donatio nulla est: ex iis verò aliæ se tenent ex parte corporis, aliæ ex parte animi; aliæ demùm necessariæ sunt ab extrinseco, quia Legibus præscribuntur.

Hinc validè donare non possunt, 1°. qui à naturâ muti sunt & surdi simul, ità ut nec scripturâ, nec voce voluntatem suam certò exprimere possint.

2°. *Furiosi, quia mente carent. Itèm prodigus cui bonorum suorum administratio à Judice interdicta est.* Imo ligatur prodigus statim ac parentes ejus contra eum agere cœperunt.

[margin: ...it. lib. ...it. 12.]

3°. Filii-familias jure Romano non possunt, quandiu sunt sub patris potestate, disponere inter vivos, nisi de bonis quæ ità ad eos pertinent, ut pater nequidem eorum usumfructum habeat.

4°. Pleræque Galliarum Consuetudines ad hoc ut quis inter vivos de bonis immobilibus disponere possit, requirunt annos 25. Major est diversitas circa ætatem quâ quis validè testari possit: quædam enim Consuetudines annos 25. requirunt, aliæ 15. duntaxat. His Consuetudinibus obsequi debent etiam Novitii in Religione, qui nisi ætatem Consuetudinibus locorum in quibus degunt requisitam adepti sint, validè non testantur, ut sæpiùs judicatum est.

5°. Qui civiliter mortui sunt, sive morte *infami*; ut qui triremibus & exilio in perpetuum condemnati sunt; sive morte *heroicâ*, ut Religiosi Professi, nec donare, nec quidquam sibi in particulari accipere possunt. Alia est ratio Patrum Oratorii, & Presbyterorum Missionis, qui omnes è Clero sunt seculari, succeduntque parentibus, & iis parentes.

6°. Filii illegitimi in universo penè Galliæ Regno disponere possunt de bonis suis, tam inter vivos, quàm causâ mortis. Iidem etiam donationis accipiendæ capaces sunt, modò ea universalis non sit. Quòd si ex adulterio aut incestu nati sunt, nihil ultra alimenta recipere possunt.

7°. Multæ sunt Consuetudines quibus prohibetur nè durante matrimonio maritus quidquam directè

aut indirectè, sive donatione inter vivos, sive alio quovis modo uxori donet; aut uxor marito, exceptâ eâ specie doni, quod mutuum dicitur *, & quo ambo paciscuntur ut qui alteri superstes vivet, usumfructum mediæ partis bonorum Communitatis percipiat, iisdem bonis quoad dominium directum penes hæredes defuncti qui prolem non reliquit, remanentibus. Aliæ permittunt ut maritus donet uxori, non uxor marito: eæ consuetudines à Confessariis necessariò consulendæ sunt, nè præ imperitiâ eas approbent donationes quæ reprobantur locorum legibus, quibus unusquisque in conscientiâ obsequi tenetur.

Hâc occasione quæres, an sponsus de futuro, possit quidpiam futuræ suæ conjugi dare brevi manu; an itèm possit in instrumento matrimoniali agnoscere sibi allatam esse dotem majorem eâ quæ reverâ allata est.

Respondet ad 1. Pontasius, ante contractum licere partium uni id alteri dare de quo secundùm leges disponere valet; inito autem jam contractu coram Notario, neutram partem quidquam alteri dare posse sinè consensu parentum, qui contractui interfuerint; idque verum est, etiamsi necdum matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum sit. Primum caput non ab omnibus omninò admitti, sed à *pluribus* docet Livoniere, p. 307. & id quidem cum grano salis intelligendum est, ut statim patebit.

R. ad 2. hanc dandi rationem illicitam esse, &

* Il ne faut pas confondre le don mutuel qui se fait entre conjoints après leur mariage, & la donation mutuelle qui se fait entre futeurs conjoints par le contrat de mariage. Le don mutuel ne peut être fait que des acquêts & autres biens qui tombent en communauté, & ne peut être stipulé sans retour, c'est à-dire, en propriété pour le donataire, mais seulement pour la jouissance; auquel cas, le donataire est obligé de donner bonne & suffisante caution. Au contraire la donation mutuelle, faite par contrat de mariage, peut être faite des acquêts & des propres, & peut être stipulée sans retour, & en propriété pour le donataire. *Ferriere*, v. Don.

sæpè injustam ; 1°. quia Notarius sinè mendacio ; quod apud eum perjurium est, testari nequit sponsum id attulisse in dotem quod reipsâ non attulit, & quod nequidem cum auxilio futuri conjugis, qui sæpè plura pollicetur quàm præstare queat, afferre posset ; 2°. quia sponsi his plerumque circuitibus utuntur, ut plus amasiæ donent, quàm lege permissum sit ; 3°. & præcipuè, quia secundus articulus Editi à Francisco II. emissi mense Jun. an. 1560. de secundis nuptiis, sic habet : » Au regard des biens » à icelles veuves acquis par dons & libéralités de » leurs défunts maris, elles n'en peuvent faire au- » cune part à leurs nouveaux maris, ains elles se- » ront tenues de les réserver aux enfans communs » d'entre elles & leurs maris, de la liberalité des- » quels iceux biens leur seront avenus ». Jam verò definitio hæc facilè eluditur, quoties maritus agnovit se in dotalem fundum recepisse, quod reipsâ non recepit : ejus enim uxor, quæ ut suam repetet dotem totam, quam à se receptam fuisse agnoscit maritus, de eâ in præjudicium prolis à priori marito susceptæ disponet, quoties sibi libuerit ; 4°. quia in Parlamentis quibusdam, quæ Jure scripto utuntur, potest uxor dotem suam repetere antequam debitum suum repetant creditores etiam matrimonio anteriores, quod quidem eadem uxor non potest quoad pura dona ; Ergo maritus dotem allatam majorem recognoscens, relativè ad tempus mortis suæ, creditoribus suis injustè nocet. Unde colliges quidquid pars parti relativè ad futurum matrimonium donat, publicè donandum esse ut injustitiis occurratur ; & sic temperanda videtur præcedens Pontasii decisio. Ipse tamen nuper de secundo casu consultus, censui uxorem dotem falsò recognitam à conjuge retinere sibi posse ; quia deerant & filii & creditores qui fraudari possint, & aliunde non plus datum erat quàm lege permissum esset.

Secunda conditio est, ut donatarius recipere non prohibeatur. Hinc donatarii esse non possunt, qui

certam in alios autoritatem habent; sicque nullæ sunt donationes in vivis, vel testamento factæ, 1°. à pupillis, &c. in gratiam tutorum, curatorum eorumque uxorum, nisi jam tutores rationes suas reddiderint; 2°. à Novitiis tam erga domum, quàm erga ceteras domos Ordinis in quo profiteri debent. Itèm à pœnitentibus in gratiam seu Confessarii seu Ordinis cujus ille membrum est. Si tamen donatio justæ gratitudinis limites non excederet, censent aliqui eam à Judicibus reprobandam non esse; 3°. ex eâdem suspicione nimii in donatoris animum imperii cautum est, nè Medici, Chirurgi, & alii id genus; Advocati quoque & Procuratores quidquam ab iis recipiant quorum negotia gerunt: nisi tamen Medici, & similes aliquid à testatore recipiant titulo vel consanguinitatis, vel necessitudinis antiquæ, &c. 4°. neque etiam donatarii esse possunt incestuosi, adulteri, & quibusdam in locis concubinarii. An autem idem dicendum, si crimina hæc remanserint occulta, dubitatur. Negârunt Sorbonici quidam Doctores eâ de re consulti; idque vix improbare ausim; tum quia lex civilis pœnalis strictè interpretanda est, tum quia dubium est an occulta crimina punire intendat. Ut ut est, potest adulter publicus adulteræ suæ, incestuosus incestuosæ, &c. providere de alimentis.

Tertia conditio est, ut res quæ datur, dari permittatur, eo saltèm modo quo datur. Hinc non valet 1°. donatio in fraudem creditorum facta, sed plano jure nulla est ex Edicto Henrici IV. an 1609. 2°. Donatio omnium bonorum inter vivos Jure Romano licita, in quibusdam Consuetudinibus illicita est, in aliis verò licita, nisi donator prolem habeat, cui legitima debeatur. Etsi autem inter vivos licita sit hæc omnium donatio, non tamen valet si fiat causâ mortis; donatio inter vivos quæ futura perinde ac præsentia bona comprehendit, nè quidem quoad præsentia valet; eâ solum exceptâ donatione quæ in conjugum, aut futuræ eorum prolis favorem fieret in contractu matrimoniali. Ità fert Constitutio Regia an. 1731. art. 15. & 17. R iv

Quarta conditio necessaria ad validitatem donationis, est ut hæc certis vestiatur formalitatibus. Eæ verò tres jure nostro numerantur, acceptatio scilicet, traditio & insinuatio.

1°. Necessaria est *acceptatio*, quia ut habet reg. 69. ff. *invito beneficium non datur*. Acceptatio in Galliis debet esse expressa, etiamsi agatur de donationibus quæ fiunt Ecclesiæ & minoribus. Minores viginti quinque annis validè non acceptant sinè curatorum consensu, sicut nec uxores absque mariti autoritate : valet tamen donatio utrique conjugi facta, etsi à marito solo acceptetur.

2°. Necessaria est *traditio*. Traditio autem duplex, realis, & ficta. *Realis*, cùm donator rei dominium directum & utile in donatarium actu & absolutè transfert : *ficta* verò, cùm donator ità rei proprietatem transfert in donatarium, ut ejus usumfructum sibi retineat, &c. Traditio ficta plerisque in Consuetudinibus sufficit, sed non sufficit in iis Consuetudinibus quæ expresse requirunt ut donator re suâ penitùs se exuat ut donatarium eâ quasi induat. *Coutumes de vest & dévest, saisine & désaisine.*

3°. demum requiritur absolutè *insinuatio*, quâ nempe donationes in Acta publica referuntur ; quia donationes ignotas non esse, omnium interest, præsertim creditorum quibus ex donationibus præjudicium creari posset. Circa insinuationem hæc notanda.

1°. insinuari debent, tum donatio, tum acceptatio : insinuatio solius donationis irritam eam faceret ; 2°. insinuationi obnoxiæ sunt donationes, tum inter vivos, tum causâ mortis ; 3°. ea insinuatio minoribus necessaria est, etiamsi curatores eorum qui eam incuriâ suâ omisêre solvendo pares non sint. Necessaria est quoque in donationibus quæ fiunt Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Communitatibus : legatum tamen summæ mobilis semel solvendæ Ecclesiis, Communitati, &c. si trecentas libellas non excedat, insinuationem non

exigit. Ità sanxit Ludovicus Magnus an. 1707. & 1708. 4°. donatio summæ pecuniariæ de manu ad manum facta non indiget insinuatione. Ratio est quod nulla lex generatim prohibeat eam donationem quæ ab homine vivente fit brevi manu; sed certis duntaxat personis, putâ marito, uxori, &c.

Quæres 2°. an & quibus de causis donatio inter vivos possit revocari.

R. posse quatuor de causis. Prima est ingratitudo donatarii: nè verò causam hanc leviùs & faciliùs quisquam obtrudat, jura varios enumerant casus in quibus locum habere censetur. Itaque si donatarius in donatorem *injurias atroces effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non levem sensum substantiæ donatoris imponat: vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel quasdam conventiones, sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spopondit, minimè implere voluerit. Ex his tantummodo causis, si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, donationes everti concedimus.* Ad injuriam revocari potest, si donatarius donanti alimenta deneget. Si donans antequam ingratitudinis actionem intenderit, moriatur, eadem actio ab hæredibus ejus intendi non poterit.

L. 10. Cod. De revoc. donat.

Secunda revocandæ donationis causa est, cùm filii absque parentum consensu, obtento, aut saltèm requisito, ad nuptias convolant. Atque hæc causa ad præcedentem revocari potest, cùm gravior parentibus injuria inferri nequeat, quam si ipsis inconsultis eligatur status tanti momenti.

3°. Revocatur donatio quævis, etiam mutua, aut remuneratoria, per nativitatem prolis etiam posthumæ, aut per legitimationem ejus, modò hæc legitimatio fiat ope matrimonii subsequentis. Constit. an. 1731. art. 39. Si tamen donator rei donatæ fructibus post ortum pueri, ejusve legitimationem frui perrexerit, non tenebitur ad fructuum restitutionem, nisi à die notificatæ sibi hujus nativitatis, vel legi-

timationis. Ibid. art. 51. Mortuâ prole non reviviscit donatio; unde si donator idem quod priùs dare volet, novâ opus erit dispositione. Ibid. art. 43. Legatur & pluries eadem Constitutio.

4°. Revocatur etiam donatio, cùm facta est contra officium pietatis parentibus aut liberis debitæ; ut cùm per eam filii *legitimâ* suâ privantur.

CAPUT ULTIMUM.

De ultimis Voluntatibus.

NOmine ultimæ voluntatis intelligitur, Actus quo quis legitimè statuit quid de rebus suis post mortem suam fieri velit. Hujus species, aut quasi species sunt testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum, & donatio mortis causâ. De hac egimus; de aliis restat paucis dicendum.

Testamentum, est ultimæ voluntatis dispositio solemniter facta cum institutione hæredis.

Dicitur 1°. *ultimæ voluntatis dispositio*, per quod convenit cum aliis ultimis voluntatibus.

Dicitur 2°. *solemniter facta*; quia cùm Reipublicæ multi intersit, ut qui de rebus suis disponunt, id liberè faciant, & non ex alienâ suggestione, certæ quædam Jure civili & municipali institutæ sunt formalitates quarum defectu testamenta non valent

Dicitur 3°. *cum hæredis institutione*: est autem hæredis institutio, nominatio successoris in universum jus testatoris; eaque institutio, tam necessaria est in locis quæ Jure Romano reguntur, ut sinè eâ stare non possint testamenta.

Testamentum jure communi dividitur in *solemne*; in quo servantur omnes solemnitates à Jure præscriptæ; & *privilegiatum*, quòd valet etsi non omnes eæ formalitates serventur: tale est testamentum ve à milite, vel ab alio, tempore pestis, confectum. Formalitates ad hæc testamenta hodie requisitas

præscribit Regia Constitutio an. 1731. ab art. 27. ad art. 37. qui omnino sunt consulendi.

Dividitur 2°. in *scriptum* seu *clausum* & *nuncupativum.* Clausum est illud in quo testator *scripto* disponit de bonis suis coram testibus, quibus tamen non indicat quomodo de iisdem bonis disposuerit; sed solùm declarat, tali scripto, ultimam suam voluntatem contineri, curatque ut Notarius & septem testes à se invitati involucrum ipsius subscriptione quisque suâ, suoque sigillo confirment. Septem porrò testes in testamentis illis necessarii, debent juxta Ferriere, v. *Testament*, esse mares, puberes, & * capaces donationis testamentariæ. *Nuncupativum*, est illud quod vivâ voce, & sinè ullâ scripturâ fit coram septem etiam testibus, ejusdemque conditionis. Hoc testamenti genus per art. 1. Regiæ Constitutionis anni 1735. etiamsi de minimâ agatur summâ, in toto Regno abolitum est; unde nunc testamentum quodcumque, seu à testatore, seu ab alio scriptum esse debet.

* *Capable de recevoir par testament*

Dividitur 3°. in *olographum*, quod propriâ testatoris manu scribitur; & *non olographum* seu *solemne*, quod à testatore dictatum est, & à publicâ personâ acceptum. Testamentum olographum non viget in locis quæ Jus scriptum sequuntur, iis exceptis quæ à Curiâ Parisiensi jus petunt: viget verò in Provinciis consuetudinariis, & meritò, cùm ea testamenti species extra suspicionem maximè posita sit. Ad hocce testamentum nulla requiritur solemnitas, nisi ut totum à testatore scriptum sit, sinè additionibus aut interlineis ab extraneâ manu appositis: debent etiam exprimi locus & tempus mensis & diei; juxta a. 38. Constit. an 1735. idque sub pœnâ nullitatis necessarium videtur. Subscriptio à testatore indubiè apposita testamento alienâ manu exarato non sufficeret.

Formalitates ad testamentum solemne in Galliâ consuetudinaria requisitas recensere non possumus, quia pro locorum varietate variæ sunt, tam circa eorum qui testamenta recipiunt, quàm circa testium

qualitatem. Varias illas formalitates suis singuli in locis nosse debent & tenentur Parochi, aut qui eorum loco deserviunt Parochiæ: cùm enim infirmorum voluntates ex proprio officio exscribere soleant, & in foro exteriori irrita declarentur testamenta quæ debitâ solemnitate carent, eorum ignorantia grave populis præjudicium & damnum procrearet. Forma testamenti in Ritualibus haberi debet. Per a. 25. Constitutionis an. 1735. nec Vicarii, nec alii quicumque Presbyteri præter Parochum aut deservientem testamenta exscribere possunt, præterquam tempore pestis, de quo vide art. 33. citatæ Regiæ Constitutionis.

Quæres an testamentum ad piam causam sine requisitis solemnitatibus confectum, in foro interiori nullum sit, ita ut hæredes etsi cognitam habeant testatoris voluntatem, non teneantur illud exequi.

R. his verbis art. 78. Regiæ Constitutionis an. 1735. *Toutes les dispositions de la présente Ordonnance, soit sur la forme ou sur le fond des testamens, codiciles & autres actes de derniere volonté, seront exécutées, encore que lesdites dispositions de quelque espece qu'elles soient, eussent la cause pie pour objet.* Quod spectat ad loca in quibus, utpotè Regi minimè subjectis prædicta sanctio locum non habet, facilè crediderim cum Van-Roi, ad legati pii validitatem satis esse ut de voluntate defuncti indubiè constet.

Quæres an si Ecclesia rem sibi cum onere legatam acceptare nollit, possint hæredes eam sibi retinere.

R. posse, si testator expresserit suæ esse intentionis, ut legatum ad hæredes suos redeat, si non acceptetur. Si verò nihil tale expressum sit, legatum ad aliam Ecclesiam deferundum est, si hæc illud cum onere suo acceptare velit: alioqui minuenda sunt onera legati, idque fiet secundùm mentem legatis qui præsumitur voluisse de Ecclesiâ bene mereri, & ex errore solùm vel inadvertentiâ nimium onus ipsi imposuisse.

Hìc duo notanda, 1°. si Ecclesia rem legatam prorsus acceptare noluerit, eam alios in usus pios

impedendam esse; 2°. si testator quidpiam alicui recipere prohibito legaverit, eâ conditione ut nisi legatarius re fruatur, hæc ad Ecclesiam aut Hospitale deferenda sit, legatum etiam ex parte Hospitalis caducum esse, ut cui non directè, sed quasi in pœnam hæredis favere intenderit testator: & ità judicatum fuit à Curiâ Parif. an. 1676.

Ex dictis sequitur, à fortiori irritum esse in aliis quibuscumque casibus pro utroque foro testamentum cui desunt formalitates à Legibus sub pœnâ nullitatis requisitæ. Etverò ut tale testamentum irritum censeri debeat, duo sufficiunt: 1° ut qui Reipublicæ præsunt, illud irritare possint; 2°. ut illud de facto irritaverint: Atqui utrumque certum est; 1°. enim qui autoritatem habent, possunt hominem reddere ad testandum inhabilem, nisi cum tali solemnitate testetur; tùm quia id necessarium esse potest ut vitentur doli & lites; tùm quia si contractus matrimoniales ex quarumdam formalitatum defectu irritari potuêre, multò magis & testamenta; 2°. testamenta absque debitis formalitatibus facta, à Principibus, iisve qui Reipublicæ administrationem habent, de facto irrita fuisse, patet ex omnium locorum Legibus, quæ testamenta contra loci consuetudinem facta nullius esse roboris decernunt: Quòd autem eæ Leges non fundentur in præsumptione fraudis actualis, inde patet quòd testamenta rescindantur à Magistratibus, etiam cùm certò iisdem constat nullam de facto fraudem intervenisse.

At, inquies, iniquum est ut quis absque culpâ suâ privetur facultate de re suâ disponendi: *Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati*, ait Justinianus, *quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.*

R. Id iniquum non esse, cùm hoc postulat publica utilitas: sic valet præscriptio, etsi homo per eam rebus suis absque culpâ privetur. Quod dicit Justinianus, intelligi debet de voluntate cui Jura non resistunt: sic impediunt Leges nè homo clandestinè corporis sui dominium transferat.

ARTICULUS UNICUS.

De Codicillis, Legatis, & Fideicommissis.

Codicillus est ultimæ voluntatis dispositio circa ea quæ quis vult post mortem suam fieri, absque hæredis institutione. In Galliâ consuetudinariâ, ubi locum non habet hæredis institutio, eo solùm differunt codicilli à testamentis, quod codicilli habeantur ut supplementa quibus aliquid testamentis additur aut detrahitur: unde formalitates quæ ad testamenti valorem requiruntur à Consuetudinibus, ab iisdem requiruntur ad validitatem codicillorm.

Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, quâ testator aliquid alteri donat, eidem ab hærede præstandum. Aliquando sumitur pro re ipsâ dono relictâ.

Fideicommissum non differt à legato, nisi quòd in fideicommisso verba diriguntur ad hæredem, ut aliquid donet tertio, v. g. *Volo hæredem meum solvere centum nummos Titio*; at in Legato verba ad ipsum legatarium diriguntur, ut: *Lego centum nummos Titio.*

Legatum sicut & fideicommissum, duplex, *particulare*, & *universale. Particulare*, cùm alicui designatum aliquod bonum legatur, ut summa pecuniæ, villa; *universale*, cùm aliquis bona omnia sua legat, aut omnium bonorum partem, ut mediam & quartam, &c. aut hæc hæredis fidei committit alteri tradenda. Quia porrò contingebat ut hæredes legatis aut fideicommissis gravati, nihil ex hæreditate perciperent, sanxerunt Romanæ leges ut ad eos pars quarta bonorum testatoris semper deveniret, & hæc quarta pars cùm è legatis detrahitur, *Falcidia*, cùm verò è fideicommissis, *Trebelliana* nuncupatur. Etsi verò Falcidia & Trebelliana locum non habent in Galliâ consuetudinariâ, in eâ tamen non possunt universa bona legari aut fidei committi, sed ut plurimùm, bona mobilia, bona

soli parta, *acquêts & conquêts*, & certa pars patrimonii seu *propriorum* quæ varia est pro varietate Consuetudinum.

Quæres quid sentiendum in foro conscientiæ de fideicommisso in favorem illius qui per leges legatarius aut hæres institui nequit.

R. 1°. Testator & qui talis dispositionis executionem promittit, mortaliter peccant, quia justæ legis ordinationi resistunt; 2°. Legatum illud sive à fideicommissario, sive ab iis in quorum favorem relictum est, legitimis hæredibus restitui debet: quia nec pertinet ad fideicommissarium, cui donatum non fuit; nec ad uxorem defuncti, v. g. aut filium spurium, in iis Consuetudinibus quæ hujusmodi personas ad hæc legata inhabiles esse decernunt.

Sed quid si testator certam pecuniæ summam legaverit Titio, absolutè & simpliciter, cum intentione quam tamen non expressit, sed de quâ ex circumstantiis moraliter certus est Titius, ut eamdem summam uxori vel filio defuncti redderet?

Respondet Habert, re cum gravibus Theologis, & primariis Parisiensis Curiæ Magistratibus diligenter expensâ, legatum hoc posse acceptari à Titio, qui de eo pro nutu disponet, sive in proprium commodum, sive in gratiam eorum quibus defunctus legasset, nisi leges restitissent. Ratio est, quia si tale legatum non valeret, utique ob spem & intentionem legantis, qui intendit illud in uxorem suam v. g. transferri à Titio: Atqui hæc intentio & fiducia non irritant tale legatum: donatio enim absoluta, neque rescinditur ob intentionem dònantis, neque ob donatarii infidelitatem. Unde si quid absolutè dederis Petro, intendens ut in pauperes beneficus foret, subsistit donatio, etiamsi is spem tuam fallat: alioqui, ut suprà dictum est, vix ulli subsisterent contractus; cùm innumera quotidie eveniant, quæ si prævisa fuissent, deterruissent à contrahendo.

Nec dicas legatum hoc esse in fraudem legis, & *contra legislatoris mentem*.

Nulla enim lex vetat nè homò certam boni sui partem leget extraneo, qui de eâ pro nutu suo disponat, etiam in favorem illius cui testator legare prohibebatur. Neque sic fallitur mens legislatoris: tum quia legislator non prohibuit donationem extraneo factam absolutè: tum quia supponimus legatarium id quod accepit, donaturum non esse uxori, v. g. vel filiis defuncti, si nulla suppetat legitima ratio id faciendi; sed iis solùm in casibus, in quibus uxor non haberet unde commodè sustentaretur, aut marito diù & graviter ægrotanti, multa præstitit obsequia, &c. Hactenùs, & iisdem fermè verbis citatus Theologus. Huic decisioni ut subscribam, necesse est ut indicia ex quibus legatarius intentionem legantis cognovit, non includant virtuale pactum quo legatarius tacitè se obligaverit ad reddendum testatoris uxori legatum.

Hîc operæ pretium fuerit annotare legatum non vivâ voce, sed solùm in scriptis revocari; neque hîc valeret probatio per testes.





TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

TRactatûs hujuſce, quo vix quiſquam practicè utilior, tres erunt partes. Prima erit de Religione ſecundùm ſé; ſecunda, de præcipuis ejuſdem actibus; tertia, de vitiis Religioni oppoſitis.

PARS PRIMA.

De Religione ſecundùm ſe ſpectatâ.

PRimam hanc partem dividemus in duo capita. Primum erit de nomine, eſſentiâ, & objecto Religionis. Secundum ejuſdem affectiones & actus explicabit.

CAPUT PRIMUM.

De eſſentiâ, & objecto Religionis.

REligionis nomen alii ducunt à *relegendo*, quòd ea quæ ad Dei cultum pertinent, ſæpiùs ſint animo volvenda, ac veluti relegenda. Alii, à *religando*, eò quòd nos religio Deo aſtringat & alliget.

Religio definitur, Virtus moralis inclinans mentem ad exhibendum cultum & honorem Deo debitum, tanquam ſupremo rerum omnium domino.

Dicitur 1°. *virtus*: Actus enim honeſtus & laudabilis ad aliquam virtutem pertinet, ex S. Thoma

hîc a. 2. Atqui religionis actus, honestus est & laudabilis, cùm ad Dei cultum ordinetur; Ergo.

Dicitur 2°. virtus *moralis* : quia creaturæ mores juxta rationis præscriptum componit & aliundè non attingit immediatè Deum, ut infrà dicemus.

Dicitur 3°. *ad exhibendum cultum*, *&c.* Quæ ut intelligantur, hæc tria distingui debent, honor, cultus, & gloria. Cultus est honor cum submissione; sive est testimonium excellentiæ alienæ, & propriæ submissionis. Honor propriè est signum nostræ de excellentiâ alienâ æstimationis, sed abstrahens à submissione. Hinc Deus amicos suos honorat, quos tamen, si strictè loqui velis, non colit. Gloria, juxta Augustinum, est frequens de aliquo fama cum laude; seu, ut vulgò aïunt, est clara cum laude notitia: unde gloria differt tum à cultu, à quo præscindit; tum ab honore, quatenùs honor formaliter consistit in quâcumque testificatione de alienâ excellentiâ, sive fiat per laudem, sive per alia quæcumque signa, ut genuflexionem, &c. In definitione nostrâ, honoris nomine, honos intelligitur & gloria, quæ Deo maximè competunt, juxta id I. Timot. 1. *Soli Deo honor & gloria.*

Dicitur 4°. cultum *Deo debitum.* Hìc porrò Deo debitum esse dicitur, tum illud quod Deus strictè exigit, ut cultum latriæ, tum illud quod soli Deo fieri potest, ut vota.

Dicitur 5°. *tanquam supremo omnium rerum domino*, ac proinde numeris omnibus absoluto. Supremi enim hujusce domini contemplatio efficit ut creatura, agnitâ vilitate suâ, se se coram Deo profundè submittat, & internam hanc submissionem exteriùs profiteatur, sive verbis, corporis gestu, aut similibus, si de hominibus agitur; sive spirituali locutione, aut aliâ quam non capimus viâ, si de Angelis sit sermo: Atque is est cultus, & majestati divinæ, & substantiæ nostræ nihilo tam conveniens, quem prosequitur religio. Unde submissio, quæ pertinet ad humilitatem, si fiat quia utile nobis est, ut intra miseriæ nostræ limites contineamus nos;

ertinet ad religionem, si eo animo fiat, ut divinæ najestatis excellentiam profiteamur, & eam submissione nostrâ honoremus.

Etsi ex allatâ definitione utcumque intelligitur objectum religionis, sit tamen majoris claritatis gratiâ,

CONCLUSIO I. Deus est *objectum cui* religionis.

Prob. Ille est objectum *cui* religionis, cujus gloiam & honorem intendit religio: Atqui religio Dei loriam & honorem intendit; Ergo sicut homo est bjectum *cui* justitiæ, quia justitia mediante restituone hominem attingit, sic & Deus religionis objectum est, quia religio Deum attingit mediantibus ctibus suis.

CONCLUSIO II. Objectum materiale religionis unt actus omnes honesti quibus debitus Deo honos xhiberi potest.

Prob. Illud est objectum materiale alicujus virtuis, circa quod ea ità versatur ut aliæ virtutes circa psum etiam occupentur: Atqui 1°. religio versatur irca actus quibus debitus Deo honos exhiberi poest, cùm tota velit adorationem, sacrificium, devotionem, & alia quibus & supremi Numinis maestas, & hominis vilitas agnoscitur: 2°. Aliæ quoue virtutes circa hos eosdem actus versantur, cùm Missa quæ ex religione audire potest, possit etiam udiri ex obedientiâ; cùm itèm qui se submittit, ctum præstet, qui ad Religionem vel humilitatem ertinere potest, ut statim dictum fuit; Ergo.

CONCLUSIO III. Objectum formale religionis est pecialis illa honestas, quæ est in cultu divino; seu st ipse Dei cultus, prout excellentiæ divinæ & ostræ submissionis signum est.

Prob. Objectum formale virtutis, est specialis ea atio sub quâ virtus in objectum materiale tendit: Atqui ratio specialis sub quâ religio in cultum Dei endit, hæc est quòd honestum sit & conveniens t talis honor & cultus supremo Numini exhibeaur: neque ulla assignari potest virtus ex iis etiam uæ ad Dei honorem aliquo modo ordinantur, quæ ultum ejus eâdem ratione attingat; Ergo.

Obj. formale objectum religionis est ipsa Dei excellentia ; Ergo non illud quod adstruimus.

R. neg. ant. nam se habet religio ad Deum, sicut justitia ad hominem ; sicut ergo quamvis jus in justitiâ respiciat hominem cui jus illud reddi debet, non ipse tamen homo, sed jus reddendum, est objectum justitiæ ; sic & licèt in religione cultus respiciat Deum cui defertur, non ipse tamen Deus, sed Dei cultus, est religionis objectum.

CONCLUSIO IV. Religio non est virtus theologica.

Prob. 1°. Actus elicitus virtutis theologicæ immediatè versatur circa Deum : Atqui actus elicitus religionis non versatur immediatè circa Deum, sed tantùm circa cultum Dei, quomodò justitia non versatur immediatè circa hominem cui jus reddendum est; sed circa jus ipsum quod homini reddi debet; Ergo, ait S. Thom. hic art. 5. *Religio non est virtus theologica, cujus objectum est ultimus finis, sed est virtus moralis, cujus est esse circa ea quæ sunt ad finem.*

* Prob. 2°. Virtus Theologica Deum proximè & immediatè attingere debet ut *objectum quod*, ut patet in spe, quæ ità aliquid à Deo sperat, ut ipsum præcipuè Deum speret : Atqui religio licèt excellentiâ divinâ nitatur, eam tamen non attingit immediatè ut objectum *quod.* Ad hoc enim necesse foret ut religio suam Deo excellentiam vellet : Atqui Deo excellentiam suam velle non est religionis, sed caritatis, quæ Deo bonum omne tùm intrinsecum tùm externum vult. Religio igitur tota hæret circa testimonia interna vel externa, excellentiæ divinæ reverenter exhibenda : hæc verò testimonia non sunt Deus ipse, sed sunt aliqui actus nostri, in quos ut in objectum suum fertur religio, quosque respicit per proprios actus internos, qui non alii sunt quàm affectus colendi Deum ; Ergo.

Prob. 3°. Si religio sit virtus theologica, vel est quid idem cum fide, spe aut caritate ; vel aliquid ab iis diversum : Atqui neutrum dici potest. Non 1.

Religio enim nec assentitur revelatis, ut fides; nec æternæ vitæ bona spectat, ut spes; nec circa Dei propter se, aut proximi propter Deum, amorem occupatur, ut caritas. Non 2. quia tres tantùm theologicas virtutes agnoscunt omnes Theologi, quas his expressit verbis S. Paulus, 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, & caritas; tria hæc.*

† Obj. 1°. Ea virtus à Theologicis non distinguitur, quæ idem habet officium quod ceteræ virtutes theologicæ, præsertim verò caritas; adeoque & eandem habet cum ipsis essentiam: Atqui religio... Nam illud est religionis officium, ut Deum colat: Atqui cultum Dei præstant virtutes theologicæ, ex S. Augustino, qui Enchir. cap. 2. & 3. dicit Deum coli à nobis *fide*, *spe*, & *caritate*; & Lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. *Hic est Dei cultus, hæc vera religio*, nempè Dei amor; Ergo.

R. ad 1. nego min. Virtus enim Theologica Deum primario & directè internis suis actibus attingit: Atqui religio non attingit directè Deum; sed aliquid Deo exhibendum ob recognitionem excellentiæ ipsius; Ergo.

R. ad 2. dist. Virtutes Theologicæ cultum Dei præstant causaliter, quatenùs mens prævio fidei lumine, Dei excellentiam cognoscens, movetur ad ejus cultum volendum, C. colunt formaliter, N. Actus enim fidei v. g. tendit præcisè ad credendum Deo, non ad ipsi volendum cultum: nisi cultûs nomen latiùs sumatur, nempè pro omni actu, qui sacrificii instar Deo acceptus sit, quo sensu sumitur nomen Religionis, Epist. S. Jacobi c. 1. *Religio munda & immaculata hæc est, visitare pupillos & viduas, &c.* Hæc solutio textibus Augustini applicari potest. Nihilominus

R. dist. Colitur Deus fide & spe, tanquam actibus quos religio imperat, C. tanquam actibus quos ipsa religio per se eliciat, N. Ut solutio constet, duo sufficiunt: 1°. ut religio imperare possit actus virtutis theologicæ; 2°. ut iidem actus proportionem

habeant & aptitudinem ad finem religionis: Atqui 1°. potest religio imperare actus virtutis theologicæ. Tum quia id potest & facit pœnitentiæ virtus, quæ doloris ex caritate orti actus dirigit ad satisfaciendum Deo: tùm quia religio est, juxta S. Thomam, *virtus universalis in imperando*; 2°. actus virtutum Theologicarum proportionem habent ad religionis finem, qui est cultus Dei, & hominis submissio. Nam fides v. g. per quam intellectus captivatur in obsequium, aptissima est quæ submissionem testificetur; spes quoque, quæ quidquid expectat boni, à Deo expectat, tùm in divinæ excellentiæ, tùm in dependentiæ nostræ signum assumi potest: idem servatâ proportione de caritate dicendum.

* Obj. 2°. Illa virtus est theologica, quæ exhibet cultum Deo & excellentiæ divinæ immediatè propter se: Atqui talis est religio; Ergo.

R. neg. maj. Sicut enim justitia licèt immediatè reddat homini jus suum, non tamen immediatè versatur circa hominem ut *objectum quod*, sed circa jus ipsum homini reddendum: sic à pari religio, licèt reddat cultum Deo, Deum tamen proximè non vult, sed cultum creatum Deo increato tanquam *objecto cui* reddendum. Unde cùm virtus theologica primariò versetur circa Deum ut objectum *quod*, evidens est religionem non esse virtutem theologicam.

Inst. Actus proprii & eliciti religionis Deum proximè & immediatè attingunt. Nam oratio & laus, sunt actus proprii & eliciti religionis: Atqui laus & oratio Deum immediatè attingunt ut objectum *quod*; Ergo.

R. ad 1. nego ant. ad 2. nego maj. Oratio enim & laus sunt actus imperati religionis, quatenùs hæc iisdem utitur tanquam mediis quibus divinam excellentiam testetur, quomodò & eundem in finem ipsos theologicarum virtutum actus imperat. Actus ergo eliciti religionis alii non sunt quàm 1°. simplex complacentia circa cultum divinum; 2°. efficax ejus intentio; 3°. spes ejus futuri; 4°. gaudium de eo

præsenti. Atqui nullus est ex hisce actibus qui circa Deum immediatè occupetur, ut per se evidens est; unde religio non ineptè definiri posset; Virtus *volitiva* seu studiosa cultûs divini. Si autem religio sit per se & essentialiter virtus volitiva cultûs divini; Ergo cultum divinum pro objecto immediato habet. Si verò cultum Dei pro objecto immediato habet; Ergo non magis Deum pro objecto habet, quàm justitia hominem ipsum habeat pro objecto.

CAPUT SECUNDUM.

† *De affectionibus & actibus Religionis.* †

AFfectiones Religionis duæ sunt: prima est ejus ad ceteras virtutes comparatas ordo, & dignitas; secunda est ejusdem unitas: sit

CONCLUSIO I. Religio virtutibus theologicis est dignitate inferior.

Prob. Virtus eò dignior est, quò Deum propiùs attingit: Atqui virtutes theologicæ Deum propiùs attingunt quàm religio, cùm illæ Deum pro immediato habeant objecto, religio non item; Ergò.

CONCLUSIO II. Religio primum morales inter virtutes locum tenet, estque ceteris præstantior.

Prob. quia nobilior est ea virtus quæ propiùs attingit Deum: Atqui, ut docet S. Thomas, q. 81. a. 6. *religio magis de propinquo accedit ad Deum quàm aliæ virtutes morales;* cùm pro objecto formali mediato & indirecto divinam habeat excellentiam, & pro fine *cui* ipsum Deum; Ergo.

Objicies 1°. Obedientia & pœnitentia Deum tam propè attingunt quàm Religio; Ergo non est cur hæc illis anteponatur. Etverò sacrificium est præstantior religionis actus: Atqui tamen Scriptura obedientiam sacrificio præfert, cùm ait I. Reg. 15. *Melior est obedientia quàm victimæ.*

R. Neg. conseq. Quemadmodùm enim fides, licèt

immediatè Deum attingat sicut caritas, non ideò tamen est caritati æqualis, quia non ità digno modo eum attingit: sic etiam obedientia & pœnitentia religioni non æquiparantur, quia religio Deum nobiliori modo attingit. Religio enim nec præceptum expectat ut obedientia, nec peccatum supponit ut pœnitentia; sicque nobiliori modo in objectum suum fertur.

Ad confirm. dist. Scriptura præfert obedientiam actibus religionis inordinatè & sinè pietate factis, quale fuit sacrificium à Saüle oblatum; qualis etiam est eorum cultus de quibus dicitur Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*, C. præfert iisdem factis eâ quâ decet pietate, N.

Obj. 2°. Ea virtus aliis est inferior cujus actus dimittuntur, ut aliarum virtutum actus exerceantur: Atqui dimittuntur actus religionis, &c. juxta id Matth. 5. *Relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo*; Ergo.

R. neg. maj. In practicis enim fieri potest ut dignioris virtutis exercitium omittatur, cùm urget exercitium alteriùs minùs dignæ: aut cùm ea quæ nobilior est, dignè exerceri nequit, nisi ea ante exerceatur quæ minùs est digna: hoc autem contingit, cùm quis necdum fratri suo reconciliatus sacrificii oblationem meditatur.

* CONCLUSIO III. Religio una est specie virtus.

Prob. Virtutes specificantur ab objecto præsertim formali; Ergo ubi idem est objectum formale, ibi una est specie virtus: Atqui religionis unum est & idem objectum formale; nempè cultus Deo exhibitus ob summam ejus excellentiam; Ergo.

Obj. Cultus qui redditur per sacrificium, specificè differt ab eo qui redditur per votum; Ergo religio quæ circa omnem cultum versatur, habet objecta formalia specificè diversa.

R. dist. Differt ratione actûs & materialiter, quia aliud est actio vovendi, aliud actio sacrificandi, C.

differt

:atione principii à quo procedit, & motivi
quod producitur, N. votum enim & facri-
ab eâdem religionis virtute, & eâdem de
nempè propter honorem Dei producuntur,
ùs imperantur; Ergo materialiter quidem
t, non autem formaliter. Sic licèt potus &
se distinguantur, una tamen est temperantiæ
juæ utrumque dirigit.
od spectat ad actus religionis, ii dividuntur
nternos qui in animo consummantur, nec
it exteriùs; in hoc ordine sunt oratio & de-
& *externos* qui aliquo temporis organo perfi-
, ut sacrificium, & sæpiùs juramentum, &c.
actuum genere Deum colere possumus, &
casione tenemur, utpotè qui spiritûs nostri
oris principium sit.
lividuntur in *elicitos*, qui immediatè à reli-
virtute procedunt, iique, ut dixi, consistunt
ùm in seriâ divini cultûs volitione: & *impe-*
qui immediatè ab aliis virtutibus eliciuntur;
mperio religionis, quæ ipsos ad cultum divi-
dinat.
nperatis alii *per* se tales sunt, qui nati sunt
atè per religionem imperari, ut adoratio,
ritualis, sive corporea; alii *per accidens*,
unt actus fidei, misericordiæ, aliarumque
n quibus uti potest religio.

ARS SECUNDA

De actibus Religionis in specie.

erunt hujus Partis Capita, quot actus à reli-
ne primariò imperati: nam de elicitis nulla est
as. Itaque dicemus 1°. de adoratione & devo-
°. de oratione; 3°. de Horis canonicis; 4°.
mento: 5°. tandem de voto.

CAPUT PRIMUM.

De Adoratione & Devotione.

ADorationis nomen ſumitur latiſſimè & latè.

Adoratio latiſſimè ſumpta, eſt quæcumque veneratio alteri exhibita in ſignum excellentiæ ejus, quæcumque ea ſit. Sic Geneſ. 23. *Abraham adoravit... filios Heth.* Hæc adoratio merè politica eſt & civilis. Adoratio latè ſumpta eſt veneratio alteri exhibita propter excellentiam ejus ſupernaturalem. Sic *Joſue cecidit pronus in terram, adorans Angelum.* Cap. 5.

Adoratio latè ſumpta dividitur in duliam, hyperduliam & latriam. Dulia eſt veneratio quæ Sanctis, Angelis vel hominibus, iis præſertim qui cum Chriſto regnant, impenditur. Hyperdulia eſt veneratio quæ Virginis Deiparæ ob ſingulare divinæ ejus maternitatis privilegium exhibetur. Latria quæ ſola eſt verè & ſtrictè dicta adoratio, eſt actus quo & infinitatem entis increati excellentiam, & ſupremum ejus in res omnes dominium, & noſtram erga ipſum ſubmiſſionem teſtificamur, juxta id Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Triplex hæc adorationis ſpecies dividitur 1°. in *abſolutam*, quæ rei propter excellentiam ejus intrinſecam exhibetur; ſic adoratur Verbum caro factum; & *relativam*, quâ aliquid adoratur vel honoratur ob excellentiam rei alterius ad quam aliquam habet habitudinem aut conjunctionem, & ſic adoratur Crux, de quo alibi.

Dividitur 2°. in internam, & externam. Prima ea eſt quæ fit animo & corde, juxta id Chriſti Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Secunda eſt quæ fit exterioribus ſignis; & hæc, ſi interior deſit, mortua eſt perinde ac corpus ſinè animâ. Cetera pertinent ad Tract. de Incarnatione.

Devotio definitur à S. Thomâ, *Voluntas promptè,*

tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.

Dicitur 1°. *voluntas;* id eſt efficax & expedita intentio: unde devotio non conſiſtit in ſenſibili guſtu & cordis teneritudine quæ aliquando inter orandum ſentitur, ſed in pîo animi affectu, & promptâ Deo famulandi voluntate.

Dicitur 2°. *tradendi ſe*, totum ſcilicet, non aliqua tantùm ad ſe pertinentia. Unde non dicitur devotus, qui unum aut alterum duntaxat actum ad cultum Dei alacri & fervidâ mente refert, ſed qui ſe totum divino cultui conſecrat.

Dicitur 3°. *promptè*: qui enim etiam abdicatis negotiis ſecularibus ſe divino cultui mancipant, ut Clerici & Religioſi, devoti non ſunt ſi ſegniter circa Dei cultum ſe gerant, ſed pœnâ digniores ſunt quàm præmio, juxta id Jerem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.*

Dicitur 4°. *ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.* Unde ſequitur devotionem eſſe actum religionis, eumque præſtantiſſimum, ac quaſi ceterorum animam, utpotè cujus auxilio promptè & ardenter executioni mandentur ea quæ ſunt cultûs divini.

Porrò ut falſa devotio à verâ diſtinguatur, quæ diſtinctio ſummè eſt neceſſaria, ponderandæ ſunt veræ devotionis cauſæ ejuſdemque effectus.

Cauſa devotionis duplex eſt, juxta S. Thomam, extrinſeca ſcilicet, & intrinſeca. Cauſa *extrinſeca & principalis, eſt Deus*, qui, quos dignatur vocat, & *quem vult religioſum facit... Cauſa autem intrinſeca ex parte noſtrâ oportet quòd ſit meditatio ſeu contemplatio;* partim *divinæ bonitatis & beneficiorum ejus*, quia *hæc conſideratio excitat dilectionem quæ eſt proxima devotionis cauſa;* partim defectuum noſtrorum, quos qui ſeriò perpendet, levabit *oculos* ſuos *in montes, unde veniet auxilium* ſibi.

Tria hic monet Angelus Scholæ: 1°. vitandum eſſe ſubtile illud genus meditationum, quæ intellectum ità occupant, ut aridam reddant voluntatem & lac pietatis exſugant; 2°. quòd licèt *ea quæ ſunt*

divinitatis sint secundùm se maximè excitantia devotionem; iis tamen, ob humanæ mentis debilitatem, inhærendum sit meditationibus *quæ pertinent ad Christi humanitatem*, præcipuè verè ad ea quæ pro nobis fecit & passus est; 3°. quòd scientia & ingenium *quandoque* & sæpè sæpiùs *devotionem* occasionaliter *impediunt*; unde *in simplicibus & mulieribus devotio abundat*, rarò autem in iis qui scientiæ totos se dedunt, juxta id Augustini. Lib. 3. Confess. cap. 3. *Surgunt indocti, & cœlum rapiunt; & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine?*

Effectus devotionis itidem duplex: 1°. spiritualis lætitia ex consideratione infinitæ Dei bonitatis, juxta id Psalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum*; 2°. salutaris quædam tristitia, ex infirmitatis nostræ & exilii à cœlesti patriâ, meditatione procedens. Unde autor Libri *De spiritu & animâ* cap. 50. Devotio, inquit, *pius est & humilis affectus in Deum: humilis ex conscientiâ infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ.* Quàm procul ergo à verâ devotione distant, qui nihil nisi mali in ceteris inveniunt; qui suo judicio non sunt *sicut ceteri hominum*; qui justitiam Dei ità ob oculos ponunt, ut misericordiam quæ super omnia ejus opera est, reticeant, &c.

CAPUT SECUNDUM.

De Oratione.

OCto nobis hoc in capite veniunt explicanda; 1°. quid & quotuplex sit oratio; 2°. an necessaria sit; 3°. & 4°. an, & quatenus efficax; 5°. 6°. & 7°. quis orari, quis orare, quid orari debeat: 8°. pro quibus orandum sit.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentiâ, divisione & necessitate Orationis.

ORatio propriè sumpta, est petitio decentium à Deo.

Dicitur 1°. *petitio*, id est intimatio desiderii ad obtinendum aliquid ab eo quem precamur; & sic exprimitur oratio Matth. 7. *Petite & accipientis.*

Dicitur, 2°. *rerum decentium.* Impium enim esset id petere quod nec Deus posset dare, neque nos citra piaculum accipere: certè petitio rei malæ non tàm oratio esset, quàm execratio.

Dicitur 3°. *à Deo.* Etsi enim oratio non semper immediatè ad Deum dirigatur, sed aliquando ad amicos Dei, Sanctos nempè, petitio tamen propriè fit soli Deo, à quo solo *omne donum* descendit.

Hinc patet orationem sub uno respectu ad religionem pertinere, & ad spem sub alio. Ad religionem quidem, quia per orationem testamur Deum esse autorem bonorum nostrorum, & nos ipsos inferiores esse, eòque indigere. Ad spem verò, quia oratio aliquid sperat & expectat à Deo; nec quisquam est qui ad alium supplex accedat, si certò noverit eum nunquam ad vota sua flectendum esse.

Oratio dividitur 1°. in mentalem, & vocalem. Prima fit solâ mente. Secunda corporis vocem mentali locutioni superaddit. Etsi enim non prodest strepitus oris muto corde, meritò tamen mentali orationi junguntur voces: 1°. quia homo secundùm animam & corpus honorem Deo pendere debet, 2°. quia non solùm corde credere, sed ore confiteri oportet Deum esse omnis boni fontem; 3°. quia multi sunt quorum mens minùs evagatur cùm orant vocaliter.

2°. Oratio mentalis dividitur in meditationem, & contemplationem.

Meditatio est pia veritatis alicujus investigatio ad concipiendum devotionis fervorem.

1°. quidem est investigatio *pia*, non autem merà speculatio philosophica, quæ fervorem minuere, nedum adaugere solet; 2°. est investigatio *veritatis* occultæ scilicet aut cognitæ, quia subjectum meditationis desumi potest tùm ex rebus quas jam multoties meditati sumus, tùm ex iis etiam mysteriis quæ de se minùs nota, fiunt meditatione notiora; 3°. demum investigatio hæc ordinatur *ad concipiendum devotionis fervorem*; quia is esse debet meditationis scopus, ut ex eâ exurgat sacer ignis quo voluntas ad fugam mali, & boni prosecutionem excitetur.

Contemplatio describitur à Mysticis: *Mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.* Meditatio & contemplatio non tam sunt distinctæ orationis species, quàm ejusdem partes. Meditatio petit, & pulsat ut sibi aperiatur; contemplatio gustat, & fruitur. Illa est animi labor & motus; hæc fruitio & quies.

3°. Oratio vocalis dividitur in *publicam*, quæ fit à publico Ministro ad id deputato, Ecclesiæ nomine, & pro salute populi; & in *privatam*; quæ fit à personâ particulari ut tali.

Jam quæritur utrùm & quæ oratio sit necessaria. Circa quod duo, iique satis oppositi prodierunt errores. Primus fuit Messalianorum, qui tantam orationi vim attribuebant, ut eam solam etiam absque Sacramentis ad salutem sufficere dictitarent; unde etiam Euchitæ seu precatores dicti sunt. Secundus fuit Michaëlis Molinos, Hispani Presbyteri, cujus inter 68. propositiones ab Innocentio XI. an. 1687. damnatas extat hæc num. 14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut à Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio .... & est velle quòd divina voluntas nostræ conformetur; & illud Evangelii,* Petite & accipietis, *non est dictum à Christo pro animabus internis.* Sit

CONCLUSIO I. Oratio necessaria est ad salutem, tùm necessitate præcepti; tùm etiam, saltèm communiter, necessitate medii.

Prob. 1°. ex Scripturâ : Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Matth. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Jacobi 4. *Non habetis, propter quod non poſtulatis, &c.* Atqui hæc verba, *Orate, oportet orare*, præceptum indicant ; cetera verò oſtendunt, multa eſſe ad ſalutem neceſſaria quæ ſolâ orationis viâ haberi poſſint, ut victoria tentationum ; Ergo.

* Prob. 2°. ex Patribus : S. Auguſtinus L. de Dono Perſev. c. 16. *Conſtat*, inquit, *alia Deum, danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei ; alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam.* S. Cæleſtinus in Epiſt. ad Galliæ Epiſcopos : *In omnibus actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus eſt ; ſuperbum eſt enim ut quidquam ſibi humana natura præſumat :* Ergo oratio neceſſaria eſt, tùm ut Deus perpetuò nobis adſit, tùm ut eâ mediante magnum perſeverantiæ donum conſequamur. Eſt etiam neceſſaria ut fratres noſtros à veritate devios ad eam reducamus, juxta id Auguſtini Serm. 1. de S. Stephano : *Si Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.*

† Prob. 3°. Quod neceſſarium eſt neceſſitate medii, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti ; præcipit enim Deus ut mediis neceſſariis utamur : Atqui oratio neceſſaria eſt neceſſitate medii. Prob. minor ex his Tridentini verbis : *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Unde ſic illud eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ſine quo ſalus, poſitis à Deo rebus ut ſunt, obtineri non poteſt : Atqui ſinè oratione obtineri non poteſt ſalus. Hæc enim non obtinetur niſi per gratiam : Atqui ex citatis textibus oratio medium eſt ad obtinendam gratiam neceſſariam ; Ergo.

Seſſ. 6, cap. 11.

Dixi *communiter*, quia ut docet S. Thomas, *Deus nobis multa præſtat ex ſuâ liberalitate, etiam non petitâ.* Quiſquis tamen benedictionibus non petitis prævenitur, ut S. Paulus, ſuam ſtatim coram

tinus, & non obscurè docet Salvator, cùm ait Lucæ 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini... stare ante filium hominis.*

Ceterùm ii etiam qui negant hominem divino aut naturali præcepto teneri ad sæpiùs orandum, fatentur tamen multos esse casus in quibus orandum sit ex necessitate; & quidem 1°. cùm quis deficiente Confessario debet ob celebrationem Sacri ad gratiam se disponere per actum contritionis; 2°. cùm iis præsertim qui sunt in peccato mortali imminet evidens mortis periculum; 3°. cùm ingruit tentatio, & illud dæmoniorum genus quod *non ejicitur nisi oratione*; 4°. cùm Missa audienda est, Sacramenta suscipienda, &c. 5°. cùm proximus in eâ constitutus est necessitate in quâ potest & debet precibus juvari. Unde censent Navarrus & Sylvester orandùm esse pro iis qui jamjam duello conflicturi sunt, neque aliter possunt ab eo retrahi. Etverò ut tunc orare teneamur, satis est ut uni è centum millibus prodesse possit oratio nostra. Et quis novit an quod aliis nihil profuit, non sit huic uni profuturum?

CONCLUSIO II. Oratio mentalis, sive meditatio, videtur etiam omnibus Fidelibus necessaria.

Priusquàm probetur Conclusio, notandum est meditationem dupliciter sumi: 1°. secundùm se, quatenùs est studiosa investigatio eorum quæ ad salutem conducunt; 2°. secundùm circumstantias, putà locum, temporis diuturnitatem, methodum, &c. De meditatione priori sensu sumptâ loquimur; fatentur enim omnes eam si posteriori modo accipiatur, utilem esse, non verò necessariam.

Prob. 1°. Oratio ut sic, eaque viva & vehemens, ad salutem est necessaria: Atqui talis oratio aliquam meditationem necessariò requirit. Ad vitam enim & efficacem eorum quibus indiget homo postulationem, necessum est ut idem homo agnoscat animæ suæ plagas, tenebras intellectûs sui, cordis infirmitatem, occasionum virtuti funestarum pericula, perpetuam divinæ protectionis necessitatem,

ut cum Prophetâ exclamet: *Salvum me fac, Deus; de necessitatibus meis erue me*: Atqui luce clarius est hæc practicè cognosci non posse sinè aliquâ meditatione & reflexione; cùm eâ seclusâ similes simus *viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit*: quæ oblivio in hoc corruptæ naturæ statu facillima est, *quia fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum.* Unde nisi homo seriæ & profundæ meditationi incumbat, bonum quidem speculativè cognoscere poterit, ejusque notitiam aliorum animis instillare; at in verâ mentis cæcitate & practicâ veritatis ignorantiâ semper versabitur, & ex eorum numero erit, qui meliora vident & probant, sed deteriora sequuntur.

Prob. 2°. ex Scripturâ. Eccli. 3. *Quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper*; & Jerem. 12. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Ergo ut tollatur hæc terræ desolatio, recurrendum est ad meditationem, juxta illud Isaiæ 46. *Redite prævaricatores ad cor.* Eâ de causâ David etsi tot negotiis pressus, *Meditatus sum*, inquit, *nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Et S. Bernadus in Libris de Consideratione, totus est in commendandâ Eugenio III. meditationis necessitate, scribitque de salute ejus actum esse, nisi seriâ reflexione dispersiones cordis sui revocet & congreget. Etverò quotidiana docet experientia justos facilè labi, cùm à meditandis Dei eloquiis cessant; gravissimos verò peccatores ad Deum converti, cùm in se reversi, & pristinam à quâ exciderunt justitiam, & præsentis sui statûs miseriam animo & corde revolvunt.

Dices: Idiotæ, & peccatores, meditationis prorsùs incapaces sunt; Ergo meditatio iis necessaria esse nequit.

R. 1°. hujusmodi homines satis invenire temporis ad serviendum ebrietati, ad fovendas corde

malas cogitationes : quidni ergo ab iis exigamus ut qui tot horas consecrant diabolo, quædam Deo consecrare momenta assuescant?

R. 2°. dist. Sunt incapaces meditationis diuturnæ & sublimis, C. cujuscumque, N. Quandiù enim rationales sunt, tenentur coram Deo ingemere, eidem animæ suæ vulnera detegere, quod aliquam requirit meditationem, cujus idiotæ sæpè capaciores sunt quàm litterati. Hinc nulla est conditio quæ cœlo cives non peperit; nulla negotiorum abundantia quæ penitùs prohibeat, nè homo vocaliter oret, & sic orando ea quæ labiis volvit, animo verset, iisque identidem immoretur; nulla actio in cujus initio & progressu mens ad Deum levari non possit, ut eam Deus dirigere & sanctificare dignetur; & si pastores ad hanc meditationis speciem, ipsos etiam rusticos disponerent & adhortarentur, multùm ex eâ, non dico oneris, sed solatii perciperent, quia crux unctione mixta, fit jugum leve.

At, inquies, lectio & auditio verbi divini, meditationis locum tenere possunt; Ergo.

R. eam solam lectionem, divinique verbi auditionem prodesse, quam comitatur aut sequitur mentis affectus; alioqui semen verbi cadit in petrosa, & statim rapitur ab avibus cœli: porrò seclusâ meditatione quis esse potest mentis affectus?

Ex his facilè colligetur quanta sit meditationis necessitas respectu Religiosorum & Clericorum.

Circa Religiosos iis habenda est fides qui Religiosæ vitæ obligationes meliùs norunt. S. Bonaventura Lib. de perfect. c. 5. *Reverâ*, inquit, *Religiosus orationem non frequentans assiduè, non solùm est miser & inutilis, quinimò coram Deo fert animam mortuam in vivo corpore;* & Cajetanus hîc q. 83. a. 3. *Nec Religiosi, nec Religiosæ nomine vocari potest, qui saltèm semel in die ad hujusmodi se non confert.* Ergo etiamsi, ut vult Navarrus, oratio non sit Religiosis *ex vi statùs*, seclusâ speciali locorum lege, necessaria sub mortali, certum tamen

est quòd vix per aliquot dies absque peccato omitti possit, cùm ut benè Salmanticenses, *sit valdè conducens ad tendendum in perfectionem, quam sub mortali Religiosi conari tenentur.*

Et hæc omnia longè validiùs adstruunt orationis necessitatem pro Clericis, qui quò periculosiùs ministerium tractant, eò pluribus ac potentioribus indigent gratiis, ut & semetipsos & plebem sibi commissam sanctificent.

ARTICULUS SECUNDUS.

An & quâ conditione efficax sit Oratio.

ORationis multiplex est effectus; quod ut magis innotescat, sit

CONCLUSIO. Oratio si omni ex parte talis sit, qualis esse debet, triplicem habet efficaciam, *merendi* scilicet, *satisfaciendi* & *impetrandi.*

Prob. 1. pars. Ille actus est meritorius, qui habet conditiones omnes ad meritum sive de condigno, sive de congruo requisitas: Atqui talis est oratio legitimè facta. Ad actum enim meritorium de condigno, requiritur & sufficit ut sit bonus, supernaturalis, liber, ab homine justo & in statu viæ elicitus, ac denique ut ei promissa sit merces: ad meritum verò de congruo requiritur actus bonus, liber, supernaturalis, & ab homine viatore procedens: Atqui oratio legitimè facta eas omnes conditiones habet, si fiat ab homine justo; & saltèm quatuor posteriores, si fiat à peccatore. Si enim pia hominis sive justi, sive etiam peccatoris opera prædictas habeant conditiones, quantò magis oratio, cui Deus certa quæcumque dare consuevit?

Imò admodùm probabile est promissiones à Deo de exaudiendâ hominum oratione factas, non respicere justos solos, sed & peccatores: 1°. quia orationi legitimæ annexa est rei petitæ promissio his Christi *verbis: Petite & accipietis*, & iterum

Omnis qui petit, accipit. Hæc autem verba utpotè generalia, & dicta ad turbas in quibus permixti erant justi ac peccatores, non debent restringi sinè necessitate, quæ in præsenti nulla est; 2°. quia aliundè certum est meritum de congruo non semper excludere promissionem Dei. Deus enim, Ezechiel. c. 18. veniam promittit peccatori pœnitenti, qui tamen non meretur nisi de congruo.

Prob. 2. pars: Actus ex gratiâ procedens, pœnalis, laboriosus, cui promissa est pœnæ remissio, verè est satisfactorius: Atqui oratio facta ut fieri debet, procedit ex gratiâ, pœnalis est, ut docet experientia, & id Eccli. 12. *Frequens meditatio, carnis est afflictio;* aliunde promissa est ei pœnæ remissio. Hæc enim promissa est generaliter omni operi supernaturali, & pœnali, qualis est potissimùm *oratio cum jejunio & eleemosynâ*: unde Tridentinum, Sess. 14. can. 13. *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri.... jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus.... anathema sit.*

Tobiæ, cap. 12.

Prob. 3. pars. Ut oratio sit certò & infallibiliter impetratoria, satis est ut Deus promiserit se eam, cùm legitimè fiet, esse exauditurum: Atqui Deus id frequenter promisit in Scripturis. Psalm. 49. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te.* Joan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ergo fide certum est orationem legitimè factam, suum infallibiliter habere effectum. Unde Augustinus in id Psalmi 65. *Benedictus Deus qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me*, sic habet: *Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus.*

Quæres, an tres isti orationis effectus à sese invicem aliquando separentur.

R. affirmat. Aliquando enim oratio impetratoria est, non tamen meritoria, aut satisfactoria, ut oratio Sanctorum pro nobis; quia non procedit à

gratiâ viæ. Aliquando impetratoria eſt, & ſatisfactoria ; non tamen meritoria ſtrictè, ſive de condigno, ut oratio pœnitentis nondum juſtificati, quæ non ſolùm impetrat, ſed etiam juxta Scotiſtas alioſque plures, ſatisfacit. Aliquando meritoria eſt, non tamen impetratoria, ut cùm juſtus pro ſe petit id quod non ei expedit aſſequi : quomodò Apoſtolus non obtinuit à ſe auferri ſtimulum carnis ; & tamen ejus oratio, utpotè ab homine juſto per gratiam operante procedens, fuit opus æternæ vitæ meritorium. Aliquando demum oratio unum impetrat, & aliud meretur ; ſic juſtus qui per orationem bonum aliquod temporale obtinet, non tam illud meretur, quàm impetrat ; ſed verè meretur vitam æternam, quæ boni operis à caritate imperati præmium eſt & merces : contrà qui vitam æternam aliis poſtulat, eandem impetrare poteſt, non condignè mereri ; ſi verò eam ſibi petat, illam meretur & impetrat, ſed dandam ſuo tempore, ſi in gratiâ perſeveret.

I. Corint. 12.

Ex dictis colligere eſt, promiſſionem de exaudiendis hominum orationibus à Deo factam, non eſſe abſolutam, ſed pendere à certis conditionibus, quæ ſi deſint, oratio infallibilem effectum non habet. Hinc verba hæc Chriſti : *Omnis qui petit accipit*, quæ abſoluta videntur, in aliis Scripturæ locis reſtricta ſunt, ut Jacobi 4. *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Supereſt igitur ut eas conditiones declaremus ; ea porrò quatuor requiruntur à SS. Auguſtino & Thomâ : 1°. ut quis pro ſe petat ; 2°. ut petat neceſſaria vel conducentia ad ſalutem ; 3°. ut piè petat ; 4°. ut petat perſeveranter. Verùm prima conditio, quòd quis pro ſe petat, à multis rejicitur ; & quidem cum fundamento : 1°. quia facta videtur promiſſio de exaudiendis orationibus in gratiam proximi factis : *Hæc eſt*, ait S. Joannes, Epiſt. 1. c. 5. *hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos :* Atqui quando pro fratribus noſtris *oramus*, maximè petimus ſecun-

dùm voluntatem Dei; hoc enim præcipuè mandat Scriptura. Sic Jacobi 5. *Orate pro invicem ut salvemini, multùm enim valet deprecatio justi assidua.* & 1. ad Timoth. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes... pro omnibus hominibus.* Ergo cùm Deus in promissis suis verax sit, certum videtur orationes pro aliis factas, si obicem non ponant, certò exaudiendas esse.

2°. quia S. Joannes citato loco non obscurè tradit certum esse effectum orationis quam pro fratribus nostris fundimus. *Qui scit*, inquit, *fratrem suum peccare, peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita ejus;* Ergo.

Ceterùm oratio nè iis quidem est deneganda qui effectibus ejus obicem ponunt; quandoquidem docet experientia, utiliter orari pro conversione peccatorum etiam impœnitentium: sic Ecclesiæ donavit Deus & Saulum precibus S. Stephani, & Augustinum lacrymis S. Monicæ.

Secunda orationis infallibiliter impetratoriæ conditio est ut sit de re quæ directè aut indirectè ad salutem ordinetur: quod enim aliò tendit, sistit in creaturâ, & proindè Deo acceptum esse nequit.

Hinc 1°. non exaudiretur, sed Deo injuriam faceret oratio quâ mali quidpiam peteretur, & talis petitio, licèt esset rei nonnisi venialiter malæ, esset peccatum mortale, sicut & omne perjurium assertorium in materiâ etiam levi. Ratio est, quia majorem Deo injuriam irrogat, qui eum putat peccati etiam levissimi autorem esse posse, quàm qui eum in mendacii etiam levis testem invocat.

Hinc 2°. peccaret defectu legitimi finis, qui ludendo v. g. lucrum, ex solo lucri intuitu postularet: quia petere à Deo rem quæ ad eum nullatenus referatur, sed sub omni respectu indifferens sit, est quid non indifferens, sed malum. Hìc tamen, quantùm opinor, quidam advertentiæ defectus, & bona fides, à gravi excusare possunt.

Neque verò sufficit ut res quæ petitur bona sit,

ſed etiam oportet ut boni majoris non ſit impeditiva: bonum enim eſt liberari à ſtimulo carnis; neque id tamen obtinuit Apoſtolus, nè revelationum magnitudine extolleretur.

Tertia conditio eſt ut oratio piè fiat: ad quod duo neceſſaria ſunt, & duo excludenda.

1°. Itaque neceſſaria eſt fides ex quâ procedat oratio, ſecundùm id Matth. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis;* & Jacobi 1. *Poſtulet in fide, nihil hæſitans.* Etverò promiſſio orationi facta, per ſe primò ordinatur ad aſſecutionem vitæ æternæ, juxta id Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei*: Atqui fides fundamentum eſt ſalutis; Ergo oràtio ut ſit efficax, fidei inniti debet.

Porrò non requiritur fides, quâ quis certò credat ſe id obtenturum eſſe quod petit: (orabat enim Apoſtolus ex fide, ut auferretur ſibi ſtimulus carnis; nec tamen certus erat ſe exaudiendum eſſe) ſed requiritur ut qui ſufficientem divinæ promiſſionis notitiam habent, eidem tanquam certæ credendo aſſentiant. Tùm quia id indicant verba hæc Chriſti apud Marcum cap. 11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Tùm quia quiſque credere tenetur Deum veracem eſſe, ſuiſque in promiſſis fidelem. Idiotis verò qui promiſſionem hanc diſtinctè non didicerunt, ſatis eſſe videtur, ſi firmiter credant Deum ità potentem eſſe, ut quod petitur conferre valeat: ità miſericordem, ut idipſum largiri velit, ſi ad noſtram ſalutem expedit, & obicem non ponamus.

2°. Neceſſaria eſt ſpes firma, ſeu fiducia quæ impellit ad opus, efficitque ſi ſit vehemens, ut cum affectu & efficacitate poſtulemus; cùm contra fiduciæ defectus munificentiam Dei retardet: *Adeamus* ergo *cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur.* Sequamur exemplum Abrahæ qui *contra ſpem in ſpem credidit... & non infirmatus eſt fide.... in repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ.* (Hebr. 4. — Rom. 4.)

Atque hinc ex conſequenti procul ab oratione eſſe

debet 1°. diffidentia & hæsitatio : *qui enim hæsitat ;* ait S. Jacobus cap. 1. *similis est fluctui maris qui à vento movetur & circumfertur : non ergo æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino ;* 2°. & abesse debet præsumptio : *Respexit enim Deus in orationem humilium, & non sprevit preces eorum*, Psal. 101. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, Eccl. 35. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Jacobi 4. Eâ de causâ rejecta est oratio pharisæi, & aliorum *qui in se confidebant tanquam Justi*, Luc. 18.

Quarta conditio requisita ut oratio exaudiatur, est perseverentia. Exaudimur quidem aliquando statim ac petere incœpimus : Sic Daniel *ab exordio precum* suarum exauditus est ; neque id mirum, cùm sæpè etiam non orantes præveniat Deus ; at sæpiùs contingit ut obtineat perseverantia, quod prima petitio non obtinuit. Hinc illud Christi : *Oportet semper orare & non deficere ;* quod quidem confirmat Salvator duplici exemplo ; uno viduæ, quæ per importunas preces vicit tandem duritiam iniqui Judicis ; altero hominis, qui à vicino suo repulsam passus, *propter improbitatem*, id est suam in petendo perseverantiam, obtinuit panes, quotque habebat necessarios.

Cap. 9. 11.

Luc. 18.

Porrò Deus perseverantiam in orationibus nostris exigit, 1°. ut doni quod postulamus capaciores efficiamur, atque ut illud ardentius desideremus, avidiùs prosequamur, pluris æstimemus, & sollicitiùs conservare enitamur. Unde S. Augustinus : *Cùm aliquando tardiùs dat*, commendat dona, non negat. Diù desiderata dulciùs obtinentur, citò autem data vilescunt.* Etverò veniæ obtinendæ facilitas, quædam est peccandi occasio : difficultas verò & labor, hominem efficiunt cautiorem ; 2°. ut per propriæ indigentiæ & infirmitatis experientiam in humilitate contineamur. *Putatis*, ait, S. Bernardus Serm. 4. in psalm. 90. *quia avarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis ? Absit hoc, prorsùs absit, sed ipse cognovit figmentum nostrum :* quod ità miserum est, ut superbiæ vermis in nobis facilè

Serm. 61. de verb. Dom.

generetur, cùm facilè potimur optatis; 3°. ut Deus nos sibi magis devinciat, quia ut ait S. Chrysostomus: *Oratio cum eo colloqui assuefacit, & ad sapientiæ studium nos deducit.*

Quæres quandiu perseverare debeat oratio, ut infallibiliter impetret.

R. 1°. non esse nostrum *nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate.* Satis est ut noverimus semper orandum esse, & non deficiendum.

Act. 1.

R. 2°. id ex iis quæ petuntur utcumque judicandum esse. Vel enim temporalia petimus; vel ea quæ proximè magis ad salutem conducunt, ut sunt tentationum victoria, præceptorum adimpletio, magnum & insigne perseverantiæ donum.

Si primum, cùm Deus postulanti annuit, oratio in gratiarum actionem convertenda est. Si ècontra id amiserimus quod nobis servari enixè precabamur, imitandus est ille hominum infelicissimus, simul & patientissimus, qui crudelissima quæque suorum fata singulis momentis accipiens, in has piè voces erupit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*

Job. 1. v. 21.

Si secundum, id est, si ea postulamus quæ ad salutem conducunt, orationi perpetuò instandum est, non solùm donec optata consequamur, sed etiam postquam ea consecuti fuerimus: Amalec enim adversarius noster semper stat in acie, vincitque si manus extendere cessemus. Dicendum ergo cum Psalte: *Persequar inimicos meos, & non convertar,* seu non desinam persequi, *donec deficiant.* Cùmque in hâc vitâ nunquam deficiant, sed ad extremum usque vitæ halitum insidientur, omni operum sanctorum genere insequendi sunt, vigilantiâ potissimùm & oratione.

Hæc de orationis conditionibus prolixiùs dixisse non piget, quia *verè novit rectè vivere qui rectè novit orare*; ait vetus autor apud S. Augustinum.

Serm. 15. in Append.

ARTICULUS TERTIUS.

An Deus solus debeat orari.

QUæstionem hanc paucis perstringemus, quia de Sanctorum invocatione, quæ præcipuam hîc difficultatem movet, alibi disserunt Theologi. Generalia ergo fidei nostræ principia evolvisse sufficiet: sit

Conclusio I. Solus Deus orari debet, ut principalis causa bonorum omnium, gratiæ præsertim & gloriæ quæ in oratione petuntur.

Prob. tùm quia solus Deus *gratiam & gloriam* dat, ex Psalmo 83. tùm quia solus ipse est bonorum omnium fons & origo.

Conclusio II. Soli Deo ea impendi debet oratio quæ cultum latriæ continet.

Prob. quia sic alium quemcumque præter Deum orare, manifesta esset idololatria.

Quæ de Deo diximus, ad Christum Dominum extendenda sunt. Si enim adorari potest Deus homo, potest & orari.

Conclusio III. Licitum est homines etiam dum vivunt orare ut pro nobis precentur.

Prob. 1°. ex Apostolo II. ad Thessal. 3. *Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, &c.* 2°. ex Baruch. 1. ubi Judæi in Babylone captivi, eos qui Hierosolymis erant sic deprecantur: *Pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum.*

Conclusio IV. Rectè & utiliter invocantur Sancti qui cum Christo in cœlis regnant. Ità Catholici omnes contra Vigilantium, Pauperes de Lugduno, Wiclefum, Lutherum, Calvinum, &c.

Prob. Si enim licitum sit ad Sanctos, dum in terris infirmitatibus circumdati versantur, confugere, ut apud Deum pro nobis intercedant; quantò magis ad eorum opem confugere licitum est, qui jam à mortalitatis vinculis soluti, teneriori nos ca-

itate complectuntur, plusque apud Deum favoris habent & gratiæ?

Et verò, ait Isaac Papin, vir summo suo & Ecclesiæ bono ab hæresi ad fidem conversus, si sanctorum aliquis, nunc ut in passione Christi hominibus appareret, quis vel honore singulari eum non prosequeretur, vel ab eo multa supplex efflagitare hæsitaret? Quidni ergo eundem in cœlis cum Deo regnantem precari liceat?

Papin. Tom. 2. p. 33.

At, inquit Calvinus, Sancti non habent aures tam longas, ut nos precantes audiant. Verùm frigida est & misera hæc responsio. Quasi verò desint Deo media quibus preces nostras Sanctis manifestet, sive per se immediatè, sive Angelorum ministerio. Certè qui Prophetis res longè dissitas apperire potuit, mirum est si servorum suorum gemitus Beatis aperire nequeat.

Quæres 1°. an extet præceptum aliquod interpellandi Sanctos ut orent pro nobis.

Affirmat Sylvius, quia inquit, constituit Deus ut inferiores ad salutem perveniant, implorando superiorum subsidio.

Sylv. p. 83. art. 4.

Verùm sedula verborum ponderatrix Synodus Tridentina simpliciter docet Sess. 25. *bonum atque utile esse Sanctos suppliciter invocare;* cujus decreti moderationem, ut ità loquar, urget & commendat Illustr. Bossuet in suà fidei expositione. Idipsum docet J. Petrus Camus Episcopus Bellicensis, in Libro cui titulus, *L'avoisinement des protestans*, tit. 2. sect. 11. n. 17. hæc ille: *Les Romains n'obligent pas nécessairement ceux de leur communion de prier les Saints, comme à une action absolument nécessaire à salut: mais elle leur défend de blâmer ceux qui ont recours à leur intercession, comme si elle étoit vaine, inutile & offensante Dieu.*

Quæres 2°. an justos purgantes, id est, in purgatorio constitutos orare liceat.

R. affirmat cum Bellarmino Lib. 2. de purgatorio cap. 16 Medinâ, *Sylvio*, & aliis pluribus: 1°. quia

refert S. Gregorius, Lib. 4. Dial. cap. 40. animas Paschasii & Severini adhuc in purgatorio commorantes, miracula in terris edidisse; quod probabiliter suadet easdem ad fidelium preces divinum ipsis auxilium impetrasse.

2°. quia piè credi potest animas *purgantes*, pro iis orare qui pro ipsis orant; hoc enim mutuæ caritatis commercium valdè conveniens est, nedum repugnet: Atqui animæ quæ pro viventibus orant, à vivis implorari possunt; Ergo.

3°. Ideo negant adversarii animas illas pro nobis orare, quia cùm careant visione Dei precum nostrarum notitiam non habent: Atqui hæc ratio nulla est, 1°. quia fieri potest ut orationes viventium manifestentur defunctis sive per Angelos eorum custodes, sive per nostros, cùm hoc Angelicæ custodiæ consentaneum sit; 2°. quia etsi defuncti preces nostras non cognoscerent, sufficeret ut Deus vel Angeli qui eas norunt, ipsos moverent ad orandum pro nobis; quomodò fortè movebatur Jeremias necdum visione beatificâ fruens, ad orandum pro populo suo, juxta id Mach. II. c. 17. *Hic est qui multùm orat pro populo & universâ sanctâ civitate, Jeremias Propheta Dei.* Et verò annon possunt saltèm generatim orare pro Ecclesiâ militante, pro amicis suis si adhuc sint in viâ, pro iis quorum suffragiis juvantur? &c. Equidem sanctæ illæ animæ precibus nostris indigent, sed non ideò non possunt orare pro nobis, sicuti viventes pro viventibus orant, etsi alii ab aliis juvari indigeant.

Quæres 3°. an invocari possint infantes è vivis statim post Baptismum sublati.

R. eos invocari posse privatim; cùm & Dei in æternum amici sint, & tenerâ in nos quos in agone certantes vident caritate pleni. Non possunt tamen invocari publicè, quia neminem publicè coli permittit Ecclesia, nisi Deus hanc esse suam voluntatem demonstret per miracula. Hinc Servi Dei etiam post beatificationem non inscribuntur fastis Sanctorum, nisi novis prodigiis saltèm duobus manifestetur voluntas Dei.

ARTICULUS QUARTUS.

Qui orare possint.

QUæres 1°. an Deus orare possit.

R. neg. quia oratio est indigentis ad non indigentem, adeòque ad superiorem: Atqui Deus nec eget, nec superiorem habet; Ergo.

Dices 1°. Rom. 8. *Spiritus* sanctus *postulat* seu orat *pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

R. dist. Postulat, id est postulare facit, C. postulat ratione suî, & formaliter, N. Non ergo gemit ipse Spiritus sanctus, sed *adjuvat infirmitatem nostram*, ut utiliter gemamus.

Dices 2°. Exodi 32. orat Deus Moïsen his verbis: *Dimitte me ut irascatur furor meus;* Ergo.

R. neg. conseq. & dico Deum hîc loqui humano more, ut ostendat quantùm apud se valeant servorum suorum preces. Certè enim si voluisset, non orasset Moïses, aut etiam eo orante Israëlitas perdidisset: quis enim *voluntati ejus resistit?*

Christum de facto orare & interpellare pro nobis, docent Theologi ubi de Incarnatione.

Quæres 2°. an homo orare possit in omni statu.

R. Duplex est status: alter hujus vitæ, alter futuræ; & hic triplex, beatorum, damnatorum & purgantium.

Certum est 1°. Beatos orare posse, tùm pro nobis, tùm pro beatitudine corporis sui; quod utique faciunt sinè molestiâ & anxietate.

Certum est 2°. damnatos veræ orationis incapaces esse; tùm quia non possunt pios habere motus, cùm omni gratiâ careant; tùm quia nimis noverunt se nihil orationibus suis consequi posse. Unde petitio licentiæ tentandi Job, non erat vera oratio, cùm nec ad cultum religiosum pertineret, nec ex pio affectu procederet.

Certum 3°, videtur multis, animas purgantes orare

posse, tùm pro nobis, de quo suprà, tùm pro se ipsis; sunt enim justæ, & multa ex pio affectu petere possunt. Aliundè verò licèt jam non sint in statu merendi, possunt tamen impetrare; neque enim ad impetrationem requiritur status viæ, cùm Sancti multa nobis impetrent: possunt autem à Deo petere, ut eam nobis caritatem tribuat, quâ pro ipsis oremus, & satisfaciamus.

Certum est 4°. justos orare posse & debere: 1°. quia ad eos sicut ad ceteros homines diriguntur verba Christi, ex quibus orationis necessitatem suprà probavimus; 2°. quia ii etiam qui stant, videre debent nè cadant.

Quæstio igitur præcipua volvitur de peccatoribus & impiis. Inter 101. Quenelli propositiones extat hæc numero 59. *Oratio impiorum novum est peccatum; & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.* Hæc propositio adeò mala est, ut Hyppolitus de Bethune, Virodunensis Episcopus, etsi ex eorum numero qui ad futurum Concilium appellavêre, eandem *pessimam* esse declaraverit: & reipsâ prædicta propositio quæ doctrinalis est, æquivalet ut potè indefinita propositioni universali. Quæ verò doctrina exitialior fingi potest, quàm quæ omnem indistinctè orationis speciem à peccatore profectam, peccatis annumerat? Sit itaque

CONCLUSIO. Impii & peccatores sæpissimè orant utiliter, nec proinde oratio impiorum novum est peccatum.

Prob. 1°. ex Scripturâ: II. Esdræ, cap. 9. *Fecerunt blasphemias grandes.... & in tempore tribulationis clamaverunt ad te, & tu de cœlo exaudisti.* Psal. 106. *Exacerbaverunt eloquia Dei..... & clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Ex quibus sic: Ii de quibus loquuntur citati textus, benè & utiliter oraverunt, quandoquidem à Deo exauditi fuêre: Atqui iidem in statu habituali impietatis & injustitiæ maximæ erant, eo etiam tempore quo Deum orabant.

bant. Ex eo enim ſtatu tranſlati non fuerunt antequam à Deo exaudirentur : Atqui antequam exaudirentur, utiliter oraverant ; priùs enim eſt orare, quàm exaudiri, quia priùs eſt eſſe, quàm eſſe tale ; Ergo.

Nec dicas eorum orationem impiam fuiſſe. Quis enim unquam negavit piam eſſe orationem quæ Dei gratiam allicit ? ſed oratio hæc tametſi pia ratione actûs, erat tamen impiorum, qui necdum ab impietatis & peccati ſtatu revixerant. Sic peccata venialia in quæ decidunt juſti, etſi ratione ſuî mala ſint, ſunt tamen hominis quoad habitum juſti opera.

Prob. 2°. ex Patribus. Origenes, Homil. 5. in Iſaï. *Etſi*, ait, *peccatores eſtis, orate Dominum. Peccatores exaudit Deus. Quòd ſi timetis illud quod in Evangelio dicitur : Scimus quia peccatores non exaudit Deus ; nolite pertimeſcere, nolite credere : cæcus erat qui hoc dixit.*

Auguſtinus, Serm. 135. n. 6. *Ait* cœcus *cui oculi aperti ſunt*, Scimus quia peccatores Deus non exaudit.... *Date mihi qui roget, ecce eſt qui exaudiat.... Qui dixit, Propitius eſto mihi peccatori, verum dixit, an falſum ? Si verum dixit, peccator erat, &* tamen *exauditus eſt.... lava interiorem faciem tuam, & videbit quia peccatores Deus exaudit.*

Magiſtro ſuo concinit Angelus Scholæ hìc q. 83. art. 16. *Si*, ait, *peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, id eſt ſecundùm deſiderium peccati, in hoc à Deo non exauditur ex miſericordia, ſed quandoque auditur ad vindictam. Orationem verò peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit ; non quaſi ex juſtitiâ ; quia hoc peccator non meretur, ſed ex pura miſericordiâ.*

Prob. 3°. Impiis quibuſlibet præceptum eſt ut orent, & dicant : *De neceſſitatibus meis erue me* : ſed quod præceptum eſt, peccatum eſſe nequit.

Prob. 4°. Si oratio impiis in peccatum verteretur, tenerentur ab omni oratione, omnibuſque orandi occaſionibus, ac proinde à Templis & à Miſsâ abſtinere ; ſicque nulla ſupereſſet eis via quâ ad Deum

reverti possent : Atqui impium consequens, & Ecclesiæ totius praxi contrarium ; Ergo.

Obj. 1°. cum Hexaplistâ, Proverb. 28. *Qui declinat aures suas nè audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Ibid. cap. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Idem habes Psalm. 65. ergo impia est quælibet impii deprecatio.

R. dist. cum S. Thomâ. Impia est deprecatio impii, si fiat vel *secundùm desiderium peccati*, vel labiis tantùm & sinè ullo religionis sensu, C. si fiat in ordine ad conversionem, N. Itaque fatemur procul rejici orationes non solùm impudici, qui voluptates à Deo requirit ; sed & eorum omnium qui sinè devotione, & ex labiis tantùm Deum honorant : quales ii erant, de quibus loquuntur objecti textus. Sed negamus malas esse eas impiorum orationes, quæ mediante gratiâ à pio motu procedunt, quales eæ sunt de quibus sermo est in probationibus nostris.

Quod spectat ad hæc verba : *Scimus quia Deus peccatores non audit*, quæ à quibusdam obtruduntur, dicendum cum S. Augustino, Tract. 44. in Joan. ea esse verba cœci adhuc *inuncti* & *nondum intùs illuminati*, id est, necdum in rebus divinis plenè instructi, ut post S. Thomam docet Sylvius hîc art. 16. Quanquam, ut addit idem Theologus, prædicta verba in hoc sensu verificari possint, quod non exaudiantur peccatores qui miracula petunt, ut eorum ope probet se bonos esse ac sanctos ; unde tacitè concludit cœcus, Christum esse virum sanctum & justum, utpotè qui à Deo constanter exauditus innumera perpetraret miracula.

Obj. 2°. S. Augustinus in psalm. 108. *Oratio*, inquit, *quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.* S. Hilarius in Psalm. 54. *Ubi operatio iniquitatis extabit, illic despicitur oratio deprecantis.* S. Ambrosius Lib. 2. de Caïn & Abel. c. 9. *Avertit se Deus à precibus impiorum.* Unde sic : oratio quæ despicitur, à quâ se Deus avertit, uno verbo quæ peccatum

est, non est utilis, non exauditur: Atqui talis est impiorum oratio ex citatis Patribus.

R. neg. min. & ad Augustinum dico eum, nedum doceat nullam impii orationem per Christum fieri, contrarium supponere in objecto loco: *Si per Christum oraret*, inquit, *spem haberet*, &c. sed *oratio ejus fiat in peccatum illi; quia non fit per Christum quem noluit sequi, sed persequi.* Non est autem mirum si oratio hominis qui Christum vult persequi, novum sit peccatum.

Ad 2. solutio est in textu. Loquitur enim S. Hilarius de orationibus quæ *leves* sunt, *diffidentes*, &c. has autem à Deo despici fatemur; sed negamus tales semper esse peccatorum orationes; cùm alioqui eradenda essent è Litaniis verba hæc: *Peccatores, te rogamus, audi nos; ut nobis parcas; ut nobis indulgeas; ut ad veram pænitentiam nos perducere digneris*, &c.

Ad 3. avertit quidem se Deus à precibus impiorum, sed impiè factis, qualis erat Caini oratio quam in objecto textu exagitat Ambrosius; quæque spe destituta erat ut indicant hæc verba: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* At nullibi docuit S. Ambrosius quamcumque impii orationem impiè fieri.

* Quæres an reipsâ senserit Quesnellus omnem * impii orationem novum esse peccatum.

R. omissâ secretâ Theologi hujus intentione, quæ soli Deo nota est, in principiis ejus omnem peccatoris orationem verum esse peccatum.

Prob. Oratio impii, vel nascitur ex gratiâ, vel ex solis naturæ viribus: si ex gratiâ, tunc, juxta Quesnellum, non est oratio peccatoris sed justi: 1°. quia ex propositione 28. *Prima gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; 2°. quia oratio quæ est ex gratiâ, eo ipso est ex fide, quandoquidem ex propositione 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*; & ex propositione 27. *Fides est* prima *gratia, & fons omnium aliarum*: Atqui oratio quæ

est ex fide, supponit justitiam, quia ex propositione 51. *Fides justificat quando operatur, &c.*

Quòd si oratio ex gratiâ & fide non oriatur, necessariò peccatum est; quia ex propositione 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratiâ Liberatoris*; & ex propositione 40. *Sinè gratiâ nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.* Ergo.

Confirmatur ex propositione 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Quæ propositio affinis est 16. quam proscripsit Conc. Constant. Sess. 15. *Si homo est vitiosus & agat quidquam, tunc agit vitiosè.... quia peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi*: Atqui in corde impii non ampliùs regnat amor Dei; Ergo necesse est ut in eo regnet carnalis cupiditas: jam verò carnalis cupiditas *omnes actiones corrumpit*, ex Quesnello; Ergo & ipsam orationem, quam proinde in peccatum mutat.

Quod addunt aliqui Quesnellum variis in locis docuisse utiles quandoque esse peccatorum orationes, imò & propositionem 59. ab eo restrictam fuisse & immutatam; hæc, inquam, tantùm ostendunt 1°. autorem sibimetipsi contradixisse; 2°. propositionem citatam ità eidem, vel potius iis qui Libri ejus editionem curaverunt, malam visam fuisse, ut de eâ modificandâ cogitaverint.

---

† ARTICULUS QUINTUS.

Quid orandum sit.

NOt. 1°. bona duplicis esse generis: alia quibus abuti non possumus, ut caritas & virtutes infusæ; alia quibus ut benè, sic & malè uti possumus, ut divitiæ & honores.

Not. 2°. bonum quodlibet duplicìter à Deo peti posse; absolutè nimirum, & conditionatè.

Not. 3°. nonnullos fuisse qui docuerint cum

Molinos, nihil determinatè esse à Deo petendum; sed omnia voluntati divinæ sic esse remittenda, etiam circa beatitudinem & virtutes quibus ea comparatur, ut homo veluti passivè se habeat, & paratus sit hæc accipere, si largiatur Deus, privari verò si deneget. Sit

CONCLUSIO I. Bona quibus abuti possumus, non sunt absolutè petenda, sed conditionatè tantùm.

Prob. quia, ex hypothesi, possumus iisdem abuti: sed bonum quo abuti possumus, absolutè peti non debet; quia si obtineretur, fortè noceret saluti æternæ: multi enim perierunt glorià circumdati, ut Saül, qui egeni fortè non periissent; Ergo.

Quod de temporalibus bonis dictum est, de malis temporalibus dictum intelligi debet, ut ægritudine & bonorum jacturâ, quæ ut ad salutem conducere, sic & eidem nocere possunt. Docent autem Theologi, hominem mala hæc ut sibi sic & aliis petere posse, posito nempè quòd iis ad animæ salutem profutura sint, juxta id Psalmi 80. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine.* Sed simul monent in hujusmodi petitionibus, prout ad proximum spectant, cavendum esse nè oratio nostra odii potiùs & invidiæ quàm caritatis proles sit.

Obj. 1°. Licitum est bona prædicta possidere absolutè; non enim peccat quis quia ea possidet, sed quia ea malè impendit; Ergo & absolutè petere licet.

R. neg. conseq. *Possidere* enim bonum temporale non est actus humanus; unde hæres etsi parvulus, *dominus est* boni sui: atverò *petere*, actus est humanus, qui proinde, nè vitiosus sit, sic ordinari debet ut objectum ejus nempè temporale bonum, non noceat saluti æternæ. Quòd si possessio sit aliquando actus humanus, simul etiam erit actus malus, nisi ad debitum finem referatur.

Galat.

Obj. 2°. Frustrà additur in oratione hæc conditio, *si bona hæc sint profutura ad salutem;* quia Deus ea non concedet si non sint saluti profutura.

R. neg. ant. & ejus probationem: quia ut ait

Augustinus, Tract. 73. in Joan. *Metuendum est ne quod Deus posset non dare propitius, det iratus.* Ergo nè bona hæc à Deo ut irato tribuantur, petenda sunt sub conditione quòd eorum usus ad salutem proficiat.

CONCLUSIO II. Bona quibus abuti non possumus, ut caritas & beatitudo, petenda sunt absolutè & determinatè.

Prob. contra novos mysticos. Licet eo modo orare, quo Sancti utriusque Testamenti oraverunt: Atqui Sancti utriusque Testamenti multa absolutè & determinatè à Deo petierunt, & præcipuè vitam æternam; unde id Davidis Psalm. 26. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, &c.* Idem jubente Christo fecerunt Apostoli. *Sic vos orabitis*, aiebat Salvator Matth. 6. *Pater noster qui es in cælis; sanctificetur, &c.* In hâc autem oratione dominicâ, *quæ*, ex Augustino Epist. 157. *omnibus necessaria est*, absolutè & determinatè petimus, ut sanctificetur nomen Domini, ut nobis adveniat regnum ejus, &c.

* * Respondent se quidem bona hæc petere, sed conditionatè, si nimirum Deus ea largiri voluerit; quia nempè voluntas humana divinæ præire non debet.

Sed contrà. Conditio hæc apponi non potest, nisi supponatur dubium esse & incertum an Deus iis qui petunt ut oportet, salutem & media ad eam assequendam tribuere velit: Atqui hoc dubium esse non potest; cùm Deus passim in Scripturis præcipiat ut ad salutem per media nobis oblata tendamus, & non præcipiat nisi quod vult à nobis fieri.

Instant. Fides tria docet 1°. neminem salvandum esse nisi sit prædestinatus; 2°. paucos esse prædestinatos; 3°. neminem absque speciali revelatione certum esse de prædestinatione suâ; Ergo reipsâ dubium esse debet animæ fideli, an Deus salutem ejus velit; Ergo ut in hoc dubio voluntatem suam divinæ conformet, conditionatè solùm salutem suam petere debet.

[B]ossuet. R. neg. conseq. Nemo enim est Fidelium, qui

firmâ fide credere non debeat, Deum salutem ejus velle, & Christum ex sincerâ ejusdem salvandi voluntate, suum effudisse sanguinem; Ergo quò certius est paucos esse qui salvi fiant, eò magis oranda est & inquirenda salus nostra, juxta id II. Petri c. 1. *Magis satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. Contemplantes*, ait Apostolus Heb. 12. *nè quis desit gratiæ Dei.*

Obj. 2°. Moïses exod. 32. sic Deum alloquitur: *Aut dimitte* populo *hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Et Paulus Rom. 9. *Optabam*, inquit, *anathema esse à Christo pro fratribus meis;* Ergo perfectus Dei amor, ac proinde perfecta oratio, sic institui debet, ut ipsi etiam æternæ saluti renuntiet homo, si sic Deo visum fuerit.

R. neg. conseq. quæ non sequitur ex allatis textibus, quibus sigillatim respondendum est.

Ad 1. Nonnulli Patres verba Moïsis intelligunt de libro viventium non in cœlo, sed in præsenti vitâ, ità ut sensus sit: Si non parcis populo huic, exscinde me morte immaturâ, qualem præparas impiis, *qui non dimidiabunt dies suos.* Ità S. Hieronymus in Epist. ad Algasiam, & S. Gregorius Lib. 10. Moral. cap. 7. eaque solutio confirmari potest ex simili locutione quæ habetur Num. 11. *Sin aliter obsecro... ut interficias me.*

Augustinus verò & alii qui cum ipso, librum de quo loquitur Moïses, intelligunt de libro vitæ æternæ, in verbis Moïsis hyperbolem agnoscunt, & expressionem maximi affectûs, ei similis quo mater, ad placandos mariti filio irati animos diceret: Occide me, si hanc proli meæ offensam remittere nolis. Huc redeunt solutiones ad Pauli textum mox afferendæ: idem enim est utriusque loci sensus, quia idem erat *Moïsis & Pauli affectus*, ut ab Hieronymo ibid. notatum est. Itaque

Quod spectat ad textum Apostoli, Hieronymus citato loco eum post Origenem exponit eodem sensu quo superiùs adducta Moïsis verba: adeò ut S.

Paulus optet pro fratrum suorum salute anathematisari à Deo, id est, instar victimæ expiationis dura quæque ac horrenda, ac demum immanissimam mortem perpeti; sic enim sæpe in Scripturâ sumitur nomen anathematis, ut animadvertit S. Doctor. Textus sic expositus nihil nobis nocet.

Equidem expositionem hanc eò usque insectatur S. Chrysostomus, ut dicat eos qui verba Pauli ad hunc sensum flectunt, non magis *Paulum agnoscere, quàm cæcos quemquam ex Solis radiis.* Unde censet S. Doctor, & cum eo Ambrosius, Paulum desiderasse esse anathema, id est, abesse & separari, non quidem à caritate Christi, quod sinè peccato optare non poterat, sed ab ejus præsentiâ & fruitione.

lc Serm.

Sed neque hæc interpretatio Mysticis prodest, quia *optabam*, idem est ac *optarim*, vel *optarem*, ut habent tum Chrysostomus, tum Lectio Syriaca & Æthiop. Optasset ergo S. Paulus anathema esse si hoc licuisset, ut notat S. Thomas in hunc locum: non optavit autem de facto, quia sciebat id nec licere, nec fieri posse, præsertim pro Judæis, quorum futuram reprobationem noverat. Sic jubebat idem Gentium Doctor, dici anathema angelo de cœlo, si extraneam inveheret doctrinam, quam sciebat à spiritu cœlesti afferri non posse.

Multò minùs iisdem Mysticis prodest expositio S. Anselmi & Toleti, qui vocem *optabam*, referunt ad tempus quod S. Pauli conversionem præcessit, ut is sit sensus: Meum erga Judæos fratres meos zelum nemo inficiari potest. Certè eò usque fidem Christi detestabar olim, ut ab eo ejusque religione perpetuò separari optarem, quam proinde si nunc annuntio, non ex præjudiciis, sed ex intimâ convictione annuntio. Ex textu autem tam obscuro, totque sensuum capaci, quid inferre possunt Mystici?

† † Quæres quænam oratio ceteris præstet, & ut sic frequentiùs sit populis inculcanda.

R. Orationem Dominicam, ceteris præstare; & quidem, 1°. *autoritate*, quia à Christo Domino

tradita est & instituta; 2°. *brevitate*, quia paucissimis verbis complectitur & docet, non solùm quid petendum sit, sed etiam quid credendum sperandum, diligendum, & fugiendum; unde vocatur à S. Cypriano: *Compendium doctrinæ cœlestis*; 3°. *efficaciâ*, quia nihil Patri cœlesti acceptius esse potest, quàm si ipsum eâ formulâ invocemus, quæ ab unigenito ejus Filio præscripta est; 4°. *necessitate*, & *ordine*; quæ duo paulò latiùs sunt exponenda.

Primò quidem adeo necessaria est oratio Dominica, ut omnes eam scire teneantur ac frequenter recitare. Patet id 1°. ex distinct. 4. cap. 105. ubi citantur hæc Augustini verba patrinos alloquentis: *Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis quos suscepistis de sacro fonte ostendite*; 2°. ex Pontificali Romano ubi monentur susceptores, ut quos ad Confirmationem tenuerint, Orationem Dominicam doceant cum Salutatione Angelicâ, ut potè qui ad hoc sint obligati. Hinc in II. Synodo Provinciæ Cameracensis tit. 11. c. 6. statutum est ut ad matrimonium non admittantur, qui ignorant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, Decalogum, & quinque Ecclesiæ Præcepta.

Si quis tamen tam hebes foret, ut nequidem orationem hanc posset ediscere, non ideo extra salutis portum locandus esset, cùm ad impossibile nullus obligetur.

Secundò, Oratio Dominica *ordine* suo commendatur. *In oratione Dominicâ*, ait S. Thomas hîc art. 9. *non solùm petuntur omnia quæ desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt... manifestum est enim quòd cadit in desiderio nostro finis, deinde ea quæ sunt ad finem*; quæ ut obtineantur, necessaria est illa fiducia quæ facit ut quis *postulet, nihil hæsitans*: Atqui & finis, & media, & motiva hujusce fiduciæ in Oratione Dominicâ reperiuntur.

Nam primò quod ad fiduciam attinet, hanc excitant verba hæc, quæ præambuli locum tenent:

Tertull. *Pater noster qui es in cælis.* Si enim *pater sit*, adeò ut *tam pater nemo*; Ergo magna ejus in nos filios suos benevolentia. Si sit *in cælis*, ibique ut Rex supremus, dominetur; Ergo magna est & suprema ejus potestas. Porrò majus fiduciæ motivum proponi non potest, quàm impensa benefaciendi voluntas, & æqualis huic voluntati potentia.

Tertiò. Eadem oratio continet finem in quem tendere debet omnis affectus noster. Is enim finis Deus est in quem dupliciter ferimur: 1°. volendo Deo gloriam ejus; 2°. gloriæ hujus fruitionem nobis exoptando: Atqui primum volumus per hæc verba: *Sanctificetur nomen tuum*, id est celebretur ab omnibus. Secundum verò intendimus per subsequentia: *Adveniat regnum tuum*, per quæ petimus ut Deus nos aliquando faciat regni illius participes, quod à constitutione mundi nobis præparavit.

Quartò. Eadem oratio media nobis suppeditat ad assequendum hunc finem. Hæc enim media sunt, 1°. observatio mandatorum juxta id Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: Atqui cùm dicimus, *Fiat voluntas tua*, &c. id petimus unum ut Dei mandata observemus *in terrâ*, sicut ea Sancti & Angeli servant *in cælo*, id est eâ omni curâ & sollicitudine quâ poterimus.

Matth. 9. 15.

2°. Præsentis vitæ subsidia, quæ ad victum, vestitum, ceterasque vitæ necessitates pertinent, & *instrumentaliter* ad Dei consecutionem juvant; hæc autem petimus his verbis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; quæ licèt de subsidio spirituali & Eucharistiâ, à SS. Patribus non paucis exponantur, optimè tamen & fortè meliùs de pane temporali intelligi possunt; quia alioqui hæc petitio includeretur in præcedenti, cùm ex Ioan. 4. spiritualis animæ cibus sit facere voluntatem Dei.

3°. demùm remedio obstaculorum, quæ nos à beatitudine comparandâ impedire solent. Hæc verò tria sunt, *peccata* scilicet, quoad culpam & pœnam, quibus plenè non remissis, nullus regnum

Dei possidebit; *tentatio* quæ nos à Deo retrahit, & ad malum sollicitat; ac denique *malum*, se pœnalitas præsens, ut fames, bellum, pestis, & quidquid peccandi occasio esse potest. Ab his autem liberari petimus his verbis: *Dimitte nobis debita nostra.... nè nos inducas in tentationem.... libera nos à malo.* Additur ut epilogus *Amen*, quæ vox passim idem est ac *fiat*: vel *utinam omnia hucusque postulata eveniant nobis, sicut petita sunt.*

Nè autem effectu suo frustretur oratiò tam salubris, cavendum nè eam recitando, aliud verbis, aliud opere & corde loquamur. Qui enim peccata levia spernit, qui cupiditates coërcere non curat, qui non satagit an alii Deum timeant, necne, an seriò & verè satìs dicit: *Sanctificetur nomen tuum; fiat voluntas tua, sicut in cælo, &c. ne nos inducas in tentationem?* Similiter injuriarum memor, & proximi defectus impatienter ferens, an non iram Dei sibi imprecari videtur, cùm ait, *Dimitte nobis sicut dimittimus;* an non reipsà postulat eâdem à Deo severitate excipi, quà fratrem suum excipit ipse?

ARTICULUS SEXTUS.

Pro quibus orandum.

EOrum pro quibus an orare liceat, ambigi potest, alii sunt viatores, alii extra viam positi. Sit

CONCLUSIO I. Orandum est pro viatoribus omnibus, sive justi sint, sive injusti; sive amici, sive inimici; sive Fideles, sive non.

Prob. 1°. ex Apost. I. ad Tim. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Pro Regibus*, qui ethnici erant, *& omnibus qui in sublimitate sunt..... hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo qui omnes homines vult salvos fieri, &c.* Jacobi 5. *Orate pro invicem ut salvemini.* Ex Matth. 4. *Orate pro persequentibus & calumnian-*

tibus vos : Atqui hi textus astruunt necessitatem orandi pro omnibus sine exceptione , & pro iis etiam de quorum salute parum sperabatur ; Ergo.

Prob. 2°. ex Patribus, quorum instar in re tam clara sit S. Cyprianus in expositione Dominicæ Orationis : *Noluit pacis Doctor, ut quis pro se tantùm precetur : non enim dicimus : Pater meus ; nec panem meum da mihi, &c. sed : Pater noster, panem nostrum da nobis, &c.*

Prob. 3°. Quod aliis optare debemus , hoc & aliis debemus precari : Atqui ex caritate tenemur multa non solùm nobis, sed etiam aliis exoptare ; alioqui jam non diligimus proximum sicut nos ; Ergo.

Obj. 1°. Pro iis orandum non est, quibus moraliter certum est inutilem fore orationem : Atqui de innumeris hominibus moraliter certum est quòd oratio iisdem inutilis futura sit. Minor patet potissimùm de tot infidelibus & sceleratis, qui non magis converti possunt, quàm possit *pardus mutare varietates suas.* Major non minùs certa est, quia ut v. g. non tenearis dare Petro eleemosynam , sufficit judicium moraliter certum quo judices Petrum non esse pauperem ; Ergo à pari.

Jerem. 18.

R. prætermissâ majore, neg. min. 1°. quia quantumvis graves habere quis possit de reprobatione suâ conjecturas , adhuc tamen ex caritate quam sibi debet, pro seipso orare tenetur ; quidni ergo alii pro ipso orare debeant ? 2°. Quia *ante finem hujus vitæ de aliquo desperandum non est*, ut docet Augustin. L. 1. de Car. & Gr. c. 15. Ergo piè sperari potest Deum qui tot scelestos convertit, & hunc quoque conversurum. Nec simile est de eleemosynâ, quæ ut ex præcepto fieri debeat, non sufficit judicium de merâ possibilitate paupertatis, sed aliquid certius ac fundatius requiritur.

Obj. 2°. 1. Joan. 5. sic habetur : *Est peccatum ad mortem , non pro illo dico ut roget quis.* Et Jerem. 7. *Noli orare pro populo hoc.* Ergo quidam sunt peccatores pro quibus orandum non sit.

R. 1°. si per peccatum ad mortem, intelligatur, ut intelligunt multi, impœnitentia finalis, mirum non esse, si pro tali peccato, nec oretur, nec orari debeat.

R. 2°. sensum hujusce versûs istum esse, non prohibeo quidem nè pro eo oretur qui talis peccati reus est, sed nec audeo polliceri id quod pro ipso postulabitur, impetrandum esse; & ideo *non dico ut roget quis*, nimirum cum eâ certâ spe impetrandi, de quâ sermo est in præcedenti versu.

Quòd spectat ad textum Jeremiæ, non prohibuit Deus nè pro populi salute oraret Propheta; sed nè oraret pro avertendis ab eo temporalibus miseriis, quæ eidem efficaci Dei decreto præparatæ erant.

Obj. 3°. Sancti nedum pro omnibus orarent in bonum, èc contra iis sæpissimè malum imprecati sunt, ut Psal. 68. *Deleantur de libro viventium;* Ergo non est orandum pro omnium conversione.

R. imprecationes illas meras esse prædictiones, ità ut *deleantur*, *&c.* idem sit ac certissimè delebuntur. Alii tamen verba hæc sic intelligunt: Deleantur quamprimùm de libro viventium, si futurum sit ut peccata peccatis ingeminent; satiùs enim est ut citò pereant minùs rei, quàm ut diutiùs peccent, crudeliùs in inferno puniendi. Alii denique per librum viventium intelligunt hominum memoriam; unde Chald. vertit: *Deleantur è libro memoriæ viventium;* quia æquum est ut *nomen impiorum putrescat*. Prov. 10.

CONCLUSIO II. Neque pro beatis qui sunt in cœlo, neque pro iis qui in inferno sepulti sunt, orare licitum est.

Prob. 1. pars, quia, ut fert vulgatum illud S. Augustini Serm. 17. de verbis Apostoli: *injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.*

Cum hoc tamen stare potest quòd oremus pro accidentali aliquâ Sanctorum gloriâ, quam & ipsi sibi à Deo postulare possunt. Et hoc sensu intelligunt aliqui orationes quibus petit Ecclesia *ut* quod offert Sacrificium, *prosit Sanctis ad gloriam*, sicut

prodest nobis ad medelam. Vide Innocent. III. in cap. 6. *de celebr. Missar.*

Prob. 2. pars. Pro iis orandum non est, qui precibus nostris juvari non possunt: Atqui damnati, &c. unde receptum illud: *In inferno nulla est redemptio.*

Prob. 2°. ex S. Gregorio Magno, cujus autoritas sola hîc dubium movet. Sic ille Lib. 34. Moral. c. 16. *Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia beatorum. Per semeptisum namque veritas dicit: Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Unde sic: Pro iis orari non potest, qui statim ac damnati sunt, non ad tempus, sed in æternum damnati sunt, adeòque qui nullâ possunt oratione liberari: Atqui tales sunt reprobi, ex S. Gregorio.

Obj. 1°. Docet S. Damascenus Trajanum ab inferis eductum fuisse per preces S. Gregorii Magni; Ergo utile est pro reprobis precari.

R. 1°. Suppositâ hujus historiæ veritate, id unum sequitur fieri posse de absolutâ & extraordinariâ Dei potentiâ, ut quis ab inferis revocetur. At inde non sequitur pro reprobis orandum esse, cùm Joannes Diaconus, qui ex quibusdam Anglorum codicibus, suscitati Trajani historiam finxit, expressè asserat S. Gregorium post obtentam hujus Principis salutem, monitum fuisse nè ulteriùs pro ullo pagano post ejus mortem oraret.

R. 2°. Hæc liberati ab inferis Trajani narratio, & preces pro ipso ad Deum fusæ à S. Gregorio, mera sunt feriantis ingenii commenta: 1°. quia probabile non est S. Gregorium orasse pro Principe flagitiosissimo, Christianorum persecutore, infami puerorum amori dedito, qualis fuit Trajanus; 2°. quia Beda quem S. Gregorii studiosissimum fuisse constat, & ipse S. Gregorius qui suis in Dialogis multa longè minoris momenti refert, nihil unquam hâc de re tradiderunt; 3°. quia ubique S. Pontifex docet non magìs licere viventibus orare pro damnatis, quàm pro Diabolo, *Angelisque ejus æterno supplicio deputatis.*

Equidem salvati Trajani fabula extat in orat. de Fidelibus defunctis : verùm oratio hæc non est S. Damasceni , sed imperiti alicujus Scriptoris , qui eam erroribus compegit : 1°. enim autor hujus orationis supponit preces & Missæ sacrificia pro damnatis etiam offerri posse , & ait eum esse Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sensum : Atqui in errorem adeò fœdum non impegit S. Damascenus , qui Lib. 2. de Fide Orthod. c. 4. disertè docet quòd *hominibus postquam ex hac vitâ migrarunt , præclusa jam sit omnis resipiscendi facultas* ; 2°. Pseudo-Damascenus ibidem docet ethnicos Philosophos , qui Providentiam , non tamen sine erroris labe fuerant venerati , à Christo ad inferos descendente , fidei radiis fuisse illustratos & solutos à vinculis inferni. Quis verò tam insulsam opinionem vero Damasceno affingere ausit ? 3°. Docet idem autor eos *omnes* qui Christo crediderint , *salutem consequi* , quod erroneum est , & supponit vel habitam semel justitiam nunquam amitti , vel semper recuperari.

Inst. Euchologium Græcorum hæc habet cap. 96. *Quemadmodum Trajanum per intensam servi tui Gregorio intercessionem flagro solvisti , exaudi etiam nos te orantes , &c.*

R. 1°. cum Nat. Alexandro : *Ecclesiæ Græcæ Romanam opponimus , ceterarum Ecclesiarum matrem & magistram , ex Concilio Lateranensi IV. hujus Pontifex omnium Christianorum pater est & doctor ;* ut Græca ipsa Ecclesia in Concilio Florentino professa est : hæc namque Ecclesia fabulam illam jam ab ipso Joannis Diaconi tempore explodebat , & in piacularibus precibus canit : *In inferno nulla est redemptio.* Neque verò mirum est fabulam hanc adoptatam esse à Græcis , qui ab eo præsertim tempore quo per schisma à Latinis recesserunt , in tot prolapsi sunt errorum monstra.

Inst. 2°. Trajani liberatio ab inferis revelata est Sanctæ Brigittæ , Lib. 4. Revel. c. 13. Ergo pro fabulâ haberi nequit.

Cap. 5. contra Epist. fundam. n. 6.

R. Si Augustino dicere licitum fuit, *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret autoritas*, à fortiori licere non habere fidem revelationibus Ecclesiæ autoritate non comprobatis. Atque id magis est verum, cùm hujusmodi revelationes vergunt in destructionem legis à Deo constitutæ, qualis ea est quæ cruciatibus æternis omnes prorsùs reprobos alligat.

Sunt tamen qui credant S. Brigittæ verba intelligi posse de liberatione non quoad substantiam, sed quoad aliquam mitigationem; unde censent potuisse fieri ut S. Gregorio non quidem orante pro Trajano, sed velleitatem aliquam habente ut damnatus non esset, si id justitiæ Dei, & statutis ab eo de malâ reproborum æternitate legibus non repugnaret, mitigata sint hujus Imperatoris supplicia: certè enim, inquiunt, sunt ex SS. Patribus, qui probabile putant minui aliquando, aliquando augeri damnatorum pœnas. Opinionem hanc proponit & permittit Augustinus Enchir. cap. 112. his verbis: *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari; etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est ipsa damnatio... ut in ira sua... non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando; sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus.*

CONCLUSIO III. Orandum est pro Fidelibus in caritate defunctis, quibus aliquid expiandum superest.

Prob. ex Tridentino sess. 6. can. 30. & sess. 25. ubi doctrina Purgatorii meritò dicitur sacris litteris, antiquæ Patrum traditioni, & Conciliis consentanea. At hæc fusiùs non prosequimur, nè actum agamus.

Quæres 1°. quomodo sacrificia, orationes, & indulgentiæ mortuis applicentur.

Resp. hæc applicari non per modum judicii & absolutionis, sed per modum suffragii.

Prob. 1. pars; quia Ecclesia judicium exercere non potest in eos qui jurisdictioni suæ non subja-

cent : Atqui tales ſunt mortui qui ſolius Dei foro ſubditi ſunt ; Ergo.

Prob. 2. pars ; quia ſuffragium Eccleſiaſticum eſt *opus bonum*, *ſatisfactorium*, adeòque pœnale, *remiſſionis pœnæ proximi impetratorium* ; Ergo ſi orationes, ſacrificia, indulgentiæ mortuis proſint, ut docet fides, non iis proſunt niſi per modum ſuffragii.

Quæres 2°. an oratio pro pluribus defunctis facta, æquè proſit omnibus, ac ſi pro uno tantùm fieret. R. Si agatur de oratione ſecundùm quòd eſt ſatisfactoria, eam non æquè prodeſſe omnibus, quia ut ſic eſt finita, finitum autem inter plures diviſum, minus ſingulis contingit. At ſi agatur de oratione prout impetratoriâ, cenſent multi eam perinde prodeſſe omnibus, ſive paucis, ſive multis applicetur. Impetratio enim nititur tantùm, aut ſaltem nititur præcipuè Dei miſericordiâ : Atqui Dei miſericordia non minuitur eò quòd oratio fiat pro multis ; imò potiùs videretur augeri, quia major eſt miſericordia ex parte Dei, ubi major eſt caritas ex parte hominis : hæc autem eò major eſt ceteris paribus, quò ad plures extenditur.

Quæres 3°. quanto tempore orandum ſit pro mortuis, & an diù remaneant in Purgatorio.

R. Qui fundationes pro mortuorum ſalute implendas habent, eaſdem etiam poſt mille annos implere tenentur, quia ignota ſunt judicia Dei ; unde meritò proſcripta eſt ab Alexandro VIII. hæc propoſitio n. 43. *Annuum legatum pro animâ relictum, non durat pluſ quàm per decem annos.*

Quæres 4°. quid ſentiendum de Presbytero qui tot accipit Miſſarum ſtipendia, ut eaſdem non niſi longo poſt tempore celebrare poſſit.

R. cum omnibus, eum graviter peccare, utpotè qui ſit notabiliter in morâ ſatisfaciendi debito juſtitiæ, cui tenebatur intra modicum tempus ſatisfacere : hoc enim regulariter intendunt, hoc exigunt qui ſtipendium dant. Et ideò S. Congregatio prohibuit nè accipiantur eleemoſynæ pro Miſſis, niſi



Dixi, *extra communitatem;* quia cùı
nitas multis constat Sacerdotibus, præ
pro multis Missis eleemosynam præben
ut eæ inter omnes distribuantur, quo
brari possint. Videant ergo aliqui quâ
sub prætextu nè sibi Missæ deficiant, tc
lent, ut nequidem anni unius spatio eas
vere possint. Et quidem si Missæ in solati
men mortuorum petitæ sint, videant
dium annum in igne devorante commo

CAPUT TERTIU

De Horis Canonicis.

UT materiam hanc quæ multa scit
complectitur, clariori methodo pe
videndum 1°. quid sint Horæ Canonica
eas teneantur; 2°. quo Breviario utend
quis ordo & tempus in privatâ Officii

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sint Horæ canonicæ, & qui ad eas teneantur.

HOræ canonicæ sunt quædam præces vocales ex Canonum præscripto regulariter recitandæ à personis ad id deputatis. Preces illæ vocantur Horæ, Breviarium, & Officium canonicum. *Horæ* quidem, quia certis horis, nocturnis & diurnis, juxta locorum consuetudinem sunt persolvendæ. Brèviarium verò, sive quia utrumque Testamentum, Patrum sententias, & vitas Sanctorum compendiosè continent; sive quia officium ut nunc recitatur, non est nisi compendium Officii multò longioris quod primis temporibus recitabatur. Denique *Officium divinum, canonicum & ecclesiasticum*: Canonicum quidem, quia ad Dei cultum juxta Canonum regulas institutæ sunt, & à viris canonicè seu regulariter viventibus persolvi debent: Ecclesiasticum verò, quia Ecclesiæ nomine persolvuntur: ùnde preces sunt publicæ, etiam cùm privatim recitantur; adeòque & eas Clerici non pro se ipsis solis, sed & pro totâ Fidelium multitudine fundere tenentur.

Horæ canonicæ sunt septem, scilicet Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium. Quòd autem Matutinum & Laudes unam tantùm Horam constituant, hinc patet quòd unâ tantùm Oratione terminentur. His porrò septem horis repræsentantur & honorantur tùm septem Spiritûs sancti dona, quæ recenset Isaïas cap. 11. tùm præcipuè septem Dominicæ Passionis mysteria, hisce versibus contenta:

Hæc sunt septennis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum qui crimina purgat:
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis;
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipartit.
Vespera deponit; tumulo Completa reponit.

Quæres quo tempore institutæ sint horæ canonicæ.

℟. Horas spectari posse, vel secundùm substantiam, vel secundùm formam quam nunc habent.

Si Horæ spectentur secundùm substantiam, nempe pro precibus quæ quotidie statis horis à Fidelibus persolvebantur, credibile est eas ab Apostolis emanasse: 1°. enim legitur Act. 2. quod nascentis Ecclesiæ Fideles *erant perseverantes in fractione panis, & orationibus;* seu, ut ait Apostolus Ephes. 5. *in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus;* 2°. Tertullianus Horas vocat Apostolicas. Quare autem, nisi quia ab Apostolis emanârunt? 3°. Constitutiones, quæ licèt falsò Apostolis attribuantur, magnæ tamen sunt antiquitatis, sic habent lib. 8. cap. 40. *Preces vestras facite diluculo, tertiâ horâ, sextâ, nonâ, vespere & in galli cantu.* Ex his porrò orationibus, psalmis & canticis, temporum lapsu efformatum fuisse Breviarium, probabile est; atque hoc orandi genus tam regulariter observatur, ut * S. Germanus Parisiensis, referente Fortunato: *Equitans, cursum*, id est Horas, *nudò capite diceret, etsi hiems aut nix urgeret.*

* *Obiit an. 576.*

Quod spectat ad Breviarii formam refert Radulphus, Decanus Tongrensis, ineunte sæculo XIII. breviatum fuisse in Æde sacrâ Pontificiâ Officium, quod ideo dicebatur *Officium breviatum Curiæ Romanæ* vel *breve orarium.* Addit idem discipulos S. Francisci hanc brevioris Officii formam, prout in Ecclesiâ Lateranensi usurpabatur, amplexos fuisse; cùm autem eorum unus, Haymo nomine, Breviarium in eo in quo nunc est statu reposuisset, præcepit Nicolaus III. ut ab omnibus Ecclesiis assumeretur. Eâ de re legi utiliter potest Thomassinus Discip. Ecclesiast. part. 4. lib. 1. c. 4. ubi & obiter probat precem *Dominus vobiscum*, non esse omittendam, vel mutandam ab iis qui Officium privatim recitant; cùm ii & uniti & maximè præsentes sint toti Ecclesiæ corpori.

Jam videndum quinam ad Horas teneantur. Triplex est eâ de re difficultas: prima, de Clericis, qui

sacris Ordinibus sunt initiati; secunda, de Beneficiariis; tertia, de Personis Religiosis. De Religiosis dixi Tom. I. p. 649. De aliis sit

CONCLUSIO I. Clerici omnes in sacris constituti, etiamsi Beneficiarii non sint, sub mortali tenentur ad officii recitationem, etiam extra Chorum.

Prob. 1°. quoad Presbyteros ex Concilio Agathensi *: *Presbyter*, inquit, *manè Matutinali Officio expleto, pensum servitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque exsolvat.*

* an. 508.

Hic porrò agitur de privatâ recitatione; cùm idem Canon præcipiat, ut ille Præsbyter curet Officium publicè recitari, si fieri potest.

Prob. 2°. ex Sess. 21. Concilii Basileensis * quæ ante schisma celebrata est, en ejus verba: *Quoscumque Beneficiatos, seu in sacris constitutos, cùm ad Horas canonicas teneantur, admonet Synodus, &c.* ubi non conditur nova lex, sed condita supponitur.

* Ann. 1435. 9. Junii.

Prob. 3°. quia consuetudo ubique recepta, vim legis habet: Atqui dudum in Ecclesiâ tùm Occidentali, tùm Orientali recepta est consuetudo, ut Clerici in sacris, ad Officii recitationem teneantur; unde hìc dici potest quod in similibus dictum est à Tertulliano: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum..... traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo conservatrix, & fides observatrix.*

Dixi 1°. *Clerici in sacris*, quia ex universali consuetudine manifestum est, onus Officii recitandi minoribus Clericis non incumbere.

Dixi 2°. *omnes*, nè iis quidem exceptis, qui suspensi, excommunicati, aut etiam degradati, & depositi fuissent: quia *nemo ex improbitate sua debet reportare commodum.* Quæ ratio probat Sacerdotem triremibus damnatum, Officio teneri, si ipsum absque notabili dedecore sui status, & verberum periculo persolvere possit. Idem dicendum de incarcerato, de capto à Piratis, imò de eo qui dispensante Papà uxorem duxisset, nisi simul ab officio dispensatus esset.

Si quis tamen coactè ordinatus fuisset, non teneretur ad officium, nisi voluntariè postmodum uteretur Ordine suscepto. Ratio est, quia tale onus nemini invito imponi potest. Et hoc extendunt multi ad eum qui Ordines ante pubertatis annos suscepisset.

Idem dicendum de eo qui ex metu modò gravi Beneficium recepit; nisi vel de novo in Beneficii hujus acceptationem consentiat, vel ejusdem fructus percipiat; fructus enim non dantur nisi propter Officium. Ceterùm si metus cesset, tenetur Clericus iste quamprimùm Beneficio renuntiare.

Dixi 3°. *sub mortali*; quia fatentur Doctores omnes legem in materiâ tam gravi, & ob causas adeò graves sancitam, obligare sub mortali; & id ex infrà dicendis uberiùs confirmabitur.

Quæres, an Subdiaconus teneatur ad totum Officium eâ ipsâ die quâ Ordines suscipit.

R. eum non obligari, nisi ad partem quæ respondet tempori quo Subdiaconatûs Ordine insignitur: unde si ordinem hunc recipiat horâ circiter nonâ matutinâ, tenebitur solùm ad Tertiam & sequentes hujus diei Horas. Ratio est quia Ecclesia variarum Officii partium recitationem, variis diei partibus alligavit, & nulla lex vim habeat retroactivam, nisi aliter expresè declaret. Unde si quis ad Subdiaconatum promovendus, ante ordinationem Officium suum recitaverit; tenetur idem repetere, quia Officii recitatio quam à Subdiaconis exigit Ecclesia, ejusdem nomine persolvi debet; porrò non potest quis Ecclesiæ nomine Officium recitare antequam Subdiaconus creatus fuerit, quia non est Minister ab Ecclesiâ deputatus, nisi cùm Subdiaconatum suscipit, aut Beneficio donatur.

An rigorosè teneantur Clerici ad eas preces quæ post ordinationem ab Episcopo injunguntur, disputant Theologi. Negant plures, quia, inquiunt, onus illud non est à consuetudine acceptatum saltèm sub peccato. Fatendum tamen in iis qui pensum hoc omittunt non nihil esse negligentiæ, & inobedien-

tiæ, quod vix ab omni culpâ eximi possit. De cetero nocturnum quod tunc imponi solet, est ipsius sabbati Nocturnum, etiamsi fiat de Sancto, nisi aliud expresserit Episcopus ordinator: & quia non imponitur recitatio Matutini, sufficit Psalmorum ejusdem feriæ recitatio.

Quod ad Beneficiarios attinet, eorum alii vel sufficientes, vel non omninò modicos reditus è Beneficiis percipiunt; alii vel nullos, vel admodum mediocres. De utrisque dicendum; sit igitur

CONCLUSIO II. Beneficiarii ad Officii divini recitationem tenentur.

Prob. 1°. iisdem argumentis præsertim secundo & tertio quibus suprà probavimus Clericos in sacris ad Officii divini recitationem teneri.

Prob. 2°. ex Concilio Lateranensi V. sub Leone X. Sess. 9. ubi sic: *Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum curâ, vel sinè curâ, si post sex menses ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro ratâ omissionis recitationis Officii & temporis; sed eos fructus tanquam injustè perceptos in fabricam hujusmodi Beneficiorum vel pauperum eleemosynas, erogare teneatur; si verò ultra dictum tempus in simili negligentiâ contumaciter permanserit, legitimâ monitione præcedente, Beneficio ipso privetur, cùm propter officium detur Beneficium.* Decretum hoc confirmavit & explicuit Pius V. an 1571. in Bullâ 135. de quâ in decursu loquemur, quamque sponte laudant Gallicani Theologi.

Prob. 3°. Ad id tenentur Beneficiarii, cujus onus iisdem impositum est jure naturali: Atqui recitandi Officii onus impositum est Beneficariis ipso jure naturali. Tùm quia id saltèm virtualiter spoponderunt Beneficiarii, ex quo Beneficia propter Officium dantur. Tùm quia non est dubitandum quin Fundatores, si qui ante Horarum institutionem vixêre, consenserint ut in suî *gratiam* quodcumque rationabile

onus ab Ecclesiâ Beneficiariis imponeretur: porrò omnibus nunc Beneficiariis imponit Ecclesia recitandi Officii obligationem; nisi fortè insufficiens sit Beneficii reditus, de quo infrà.

Quæres 1°. an quis teneatur ad Horarum recitationem, priusquàm Beneficii sibi collati possessionem inierit. R. non teneri, nisi aliud exigat Ecclesiæ suæ consuetudo: 1°. quia ante initam possessionem, non censetur quis perfectè Beneficium consecutus, multaque occurrere possunt quæ impediant, nè *provisus* possessionem sumat; 2°. quia ante possessionem, Beneficiarius nullum Beneficii jus exercere potest, nullas functiones obire; Ergo æquum non est ut ejus onera anteferat, juxta Reg. 55. Juris in 6. *Qui sentit onus, sentire debet & commodum.*

At, inquies, durum est quòd Ecclesia debito careat servitio.

R. mirum non esse si Beneficium vacans Officio privetur; porrò vacat Beneficium quandiù actu non possidetur.

Sed hìc duo notanda: 1°. teneri ad Breviarium eos qui culpâ suâ differunt Beneficii vacantis possessionem inire; quia ex Regulâ 25. in 6. *Mora sua cuilibet est nociva*; 2°. eos qui ante initam possessionem magnos quosdam fructus actu percipiunt, ut in certis quibusdam Beneficiis contingit, ad Officii recitationem teneri, quia jam fruuntur præcipuâ Beneficii parte.

Quæres 2°. an duo qui de Beneficio contendunt ambo teneantur ad recitationem Officii.

R. Si jus utriusque verè dubium sit, neutrum ad Officium etiam post aditam possessionem teneri: talis enim possessio nec pacifica est, nec jus certum tribuit; porrò onus certum ex jure admodum incerto sequi non potest. Atverò si alterutri de jure suo certò constet, ex jurisperitorum quos eâ de re consuluit, sententiâ, vel aliter; tunc longè probabilius est eum teneri Officii lege, quia ex tali possessione, licèt nondum pacificâ, sequitur jus moraliter certum.

Pari

Pari de causâ ad Officium ii etiam tenentur, quibus tametsi de litis successu certi non sint, adjudicata fuit recredentia, seu *per interim* Beneficii possessio, quia ii de facto Beneficii reditus percipiunt; atque etiamsi causâ excidant in petitorio, eam servare possunt fructuum perceptorum partem quæ labori suo correspondet.

Quæres 3°. quid de iis dicendum qui sine suâ culpâ vel nullos omnino fructus vel admodum modicos percipiunt.

R. ad 1. vel deinceps aliquid sufficiens percipient, putà si cesset sterilitas, si pax bello succedat; vel nihil unquam percepturi sunt, ut si domus aquis abreptæ perierint.

Si primum, non sunt à recitatione immunes: tum qui nulla est ratio quæ ipsos ab Horis excuset; tum quia cùm fertilioribus annis abundantiorem percipiunt reditum quàm qui ipsâ fundatione constitutus est, non plus pro Fundatoribus precum effundunt; Ergo ut perfecta sit æqualitas, non minùs orare debent, si uno aut altero anno, nihil aut parum percipiunt. Hinc Canonici qui studiorum causâ per plures annos non resident, nihilque percipiunt, eò quòd totius Beneficii reditus in distributionibus manualib. consistat, non eximuntur ab Officii recitatione, quia per ipsos stat quòd non recipiant fructum Beneficii.

Si secundum, etsi divisi sint Theologi, censeo, ut & alii longè plures, Beneficiarium ad nihil omnino teneri: quia Beneficiarius neque ex suâ, neque ex Fundatoris intentione ad ullum se Officium obligat, nisi aliqua sibi persolvantur stipendia. Est enim Beneficii fundatio quidam contractus *do ut facias;* Ergo si unus partes suas non impleat, nec tenetur alter suas implere.

R. ad 2. in casu tenuis Beneficii, consulendum esse Episcopum, rebusque eidem ut sunt expositis, ejus decisioni parendum; aut saltèm videndum esse, quid ferat locorum consuetudo cui Prælati non resistant: huic porrò consuetudini obsequendum

erit si totius Officii recitationem præcipiat; si secùs, præsumendum erit generalem Officii recitandi legem cum hâc restrictione iis in locis fuisse receptam : *Nisi Beneficia admodum tenuia sint.* Neque hæc consuetudo censeri debebit æquitati contraria, tum quia Officium parvum B. Mariæ, aut majus Officium certis diebus recitandum, censeri potest servitium exiguis reditibus respondens, tum quia Beneficiarii illi, præter commune bonorum Beneficii curam, quæ pretio æstimabilis est, ordinariè tenentur ad certum numerum Missarum quæ prædictæ recitationi conjunctæ tenues illos reditus satis compensant. Si tamen Beneficium adæquet summam ad titulum Ecclesiasticum Diœcesanâ lege requisitam, adigendus videtur Beneficiarius ad Officii magni recitationem, nisi ætas junior Officium majus in Officium B. Virginis commutari permittat, de quo dicam art. 6. sequenti.

Quæres 4°. an ad Breviarii recitationem obligentur ii qui pensionem habent *clericalem*, super Ecclesiastico Beneficio constitutam.

R. eos teneri sub peccato & pœnâ restitutionis *ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis*, nisi magnum Officium recitare malint; 1°. quia ità decrevit Pius V. jam citatâ Bullâ 135. quæ in hoc puncto ubique recepta est, 2°. quia pensio hodie datur propter Officium, sicut Beneficium. Et hoc verum est de eo etiam Clerico qui consensisset in pensionis suæ redemptionem : neque ei satis esse putem, ut solùm recitet pro ratâ annorum quorum anticipatas solutiones accepit; quia cùm semel totum recipere, idem sit in æstimatione communi, ac singulis annis recipere per partes, perpetua debet esse recitatio, ubi æquivalenter perpetua est solutio.

Quæres 5°. an qui præstimonias habent, eâdem recitandi Officii lege teneantur.

Nota. Præstimoniæ sunt portiones quædam à reditibus Beneficiorum abstractæ ut juvenibus per modum subventionis ad peragenda studia conferantur;

aut personæ habili donentur ad serviendum Ecclesiæ. Duplex est Præstimoniarum genus ; aliæ sunt perpetuæ, aliæ ad nutum revocabiles. His positis,

R. Stando in jure communi, habentes Præstimoniam tenentur ut alii Beneficiarii ad Officium : 1°. quia ità sanxit S. Pius V. in constitutione pluries laudatâ ; 2°. quia Præstimoniæ perpetuæ ceteros Beneficii caracteres habent : dantur enim ab Episcopo, non dantur nisi Clerico ; dantur sine pacto, & tituli Ecclesiastici locum habent, præsertim in Armoricâ ; Ergo cùm qui sentit commodum, debeat & onus sentire, mirum est si ab Officio immunes sint qui Præstimonias habent perpetuas.

Nihilominus cùm olim eos consuluissem, qui pleniorem rei hujus notitiam habere poterant ; responsum fuit hanc esse in Armoricâ consuetudinem, ut Præstimoniarii ad nihil teneantur. Docet tamen Charioteau Præstimoniarios obligari ad recitandum quinquies singulis diebus *Pater & Ave* : quapropter ut occurratur scrupulis, videndi sunt si fieri possit, tituli fundationum, & consulendi locorum Præsules, è quorum re esse videretur ut generali sanctione declararent quid facto opus esset. Certè vix sibi quisquam persuadeat, Fundatores Præstimonias, quæ quandoque Beneficiis æquivalent, instituisse, absque eo quòd intenderent ut Præstimoniarii pluries eorum coram Deo recordarentur. Unde qui nullas unquam preces pro iisdem funderent, non possent culpæ omnis, illius præsertim quæ ingratum animum arguit, expertes judicari.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quâ formâ recitandum sit Officium.

UT explicetur quâ formâ recitandum sit Officium, duo nobis præstanda sunt : 1°. videndum quo Clerici divinis Officiis adstricti, uti debeant Breviario ; 2°. quod & quale ejusdem Breviarii Officium singulis diebus recitare debeant.

Ut expediatur prima difficultas, sciendum est imprimis Pium V. an. 1568. abolevisse *quæcumque alia Breviaria* præter Romanum, *illis* tantùm *exceptis* Ecclesiis quas *ab ipsâ primâ Institutione à Sede Apostolicâ approbatâ, vel consuetudine quæ vel ipsa institutio ducentos annos antecedat, aliis certis Breviariis usos fuisse constiterit* : & statuisse *neminem ex iis quibus hoc dicendi psallendique munus necessariò impositum est, nisi hâc solâ formulâ satisfacere posse.* Ut variæ circa hoc Decretum elucidentur difficultates,

Quæres 1°. an post eam Pii V. Constitutionem teneantur Clerici ad Breviarii Romani recitationem.

R. Clericus vel alicui Ecclesiæ actu mancipatus est titulo Beneficii, aut aliter; vel non.

Si primum, tenetur recitare Officium Diœcesis in quâ vel Beneficium habet vel servit, non autem Officium Romanum. Ratio est 1°. *quoniam*, ut rectè notat S. Thomas, *quemadmodum Clericus quia Ecclesiæ mancipatus atque addictus est, ad Officium Ecclesiasticum obligatur; sic etiam quia tali Ecclesiæ ratione Beneficii addictus est, talis Ecclesiæ Officium recitare debet* : quæ S. Doctoris verba indicant gravem esse eam quæ Beneficiariis Choro addictis incumbit, Diœcesano Breviario inhærendi obligationem; 2°. quia nemo ex Bullâ Pii V. collegit melius esse ut qui Ecclesiæ particulari quæ Officio Romano non utitur, addicti sunt, Romanum proprio neglecto Officium recitarent : unde cùm scripsisset Cajetanus Clericos aut Monachos posse, *sine peccato mortali*, Romanum Breviarium proprio Diœcesis suæ aut Ordinis Breviario anteponere, respondit Bellarminus, cui ignota non erat Piana Constitutio, *non esse id usque adeò certum vel tutum.* Idipsum sentiunt Navarrus, Toletus, Pontas infrà cas. 31. Hæc decisio, ut patet, non tangit Beneficiarios simplices, qui cùm non teneantur Choro interesse, uti possunt Breviario Romano; quod & satis probari videtur usu ferè universali. Excipe tamen, nisi Episcopali lege sancitum sit ut qui etiam privatim reci-

Quodlib. 6. art. 8.

Lib. 1. de bonis oper. in part. c. 18.

tant, Diœcesano Breviario utantur; prout Mediolani sanxit S. Carolus, teste Bonacinâ.

Si secundum, id est si Clericus nec actu certæ Ecclesiæ serviat, nec Ordini Religioso addictus sit, ei liberum est ubicumque sit, Ecclesiæ Romanæ, omnium mundi Ecclesiarum matris, Officium sequi. Idem dicendum de Canonico extra Diœcesim suam degente. Rectè tamen & ordinatè se geret tum indigena, tum qui extra propriam Diœcesim ad tempus notabile morari debet, si Diœcesis in quâ actu versatur, Officium recitet, juxta hoc S. Augustini consilium: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè devenerit.* Ep. 54 n. 2.

Sed possuntne advenæ uti breviario Diœcesis ex quâ sunt oriundi, si illud Romanum non sit?

Negant aliqui. Facilè tamen non credam eos qui ad natale solum, etiam post tempus notabile reversuri, propriæ suæ Diœcesis Breviario uti pergunt, peccare, quandiu ei in quâ actu commorantur Ecclesiæ, non sunt specialiter mancipati.

Unde colliges Canonicum Senonensem, qui Senonis degit, solo Diœcesis suæ Breviario non autem alio quocumque in conscientiâ uti posse; eundem verò si Parisiis longum tempus transigere teneatùr, & Senonensi, & Parisiensi ad meliùs, & Romano absolutè uti posse.

Quæres 2°. an qui in aliâ Parochiâ, vel Diœcesi, per breve tempus versatur, ibique loci Officium recitat, teneatur privatim repetere loci sui Officium.

R. salvo meliori judicio, hìc aliquâ opus esse distinctione. Si quis enim, ut vicino suo patroni festum, aut quodvis aliud peragenti opem ferat, aut aliâ justâ de causâ aliud à proprio Officium recitet, putà quia diem transigit in Monasterio, vel in Parochiâ, quæ magnam eâdem die solemnitatem habet, non debet ad repetendum obligari; quia nemini pietas sua incommodum afferre debet: qui verò absque necessitate ullâ aliquam alterius Officii partem

recitasset, tutiùs ageret repetendo, aut id quod de propriis Horis omisit supplendo.

Quæres 3°. an Monialium Director secularis, vel regularis, possit se ad illarum Officium conformare. R. affirmat. si de iis sermo sit qui Missam conventualem celebrant. Ratio est, 1°. quia fatentur omnes Missam quantùm fieri licet, Officio conformem esse debere; Ergo cùm ille Sacerdos Missam canere debeat conformiter ad Officium Monialium, potest & utcumque debet, earum Officio se conformare; 2°. quia Regularis, qui ad tempus notabile seculari Ecclesiæ præficitur, potest imò & teneri videtur ad dicendum hujus Ecclesiæ Officium; Ergo à pari.

Quæres 4°. quid dicendum de eo qui Officium de Sancto, pro Officio de Feriâ; vel Officium unius Sancti pro alterius Officio recitavit.

R. Vel hoc fecit cum advertentiâ, vel incogitanter. Si primum, communior & melior sententia docet eum mortaliter peccare, & non satisfacere præcepto: idque magis adhuc indubium est de eo qui recitaret Officium notabiliter brevius, vel notabiliter difforme. Ratio est 1°. quia Ecclesiæ præceptum nec quoad modum implet, ut evidens est, nec quoad substantiam. Ecclesia enim non præcipit solùm recitationem divini Officii in genere, sed etiam in particulari, ut scilicet tali die, tale recitetur Officium, cujus obligatio utpotè diei affixa, cum ipsâ die transit; Ergo qui tale Officium non recitat, substantiam præcepti non adimplet: atque etiamsi eam impleret, posset mortaliter peccare, omittendo aliquid quod ad præcepti integritatem notabiliter pertinet, prout peccat mortaliter qui Missam celebrando, pusillum aquæ vino non immiscet: & tamen hæc mixtio non magis pertinet ad substantiam sacrificii, quàm qualitas & quantitas ad substantiam Horarum.

2°. quia alioqui sequeretur eum nonnisi venialiter peccare, qui Officium idem valdè breve singulis diebus recitaret, relicto alio multùm longiori quod idem

tidem occurreret : Atqui hoc falsum est ; is enim tam graviter peccaret, quàm qui magnam singulis diebus pecuniæ summam solvere coactus, nonnisi levem exsolveret. Hæc doctrina certior nunc esse debet post censuram hujus propositionis, *In die palmarum recitans Officium paschale satisfacit præcepto.*

34 Alexand. VII

Dices : Non peccat qui sciens & volens unam Missam legit pro aliâ ; Ergo nec qui unum pro alio Officium recitat.

R. 1°. neg. ant. si generaliter sumatur. An non enim gravissimè peccaret qui Missam pro defunctis diceret in Festo Sanctorum omnium, aut qui Missam de Sanctis diceret in die Defunctorum ?

R. 2°. neg. conseq. Sicut enim Ecclesia aliquando libertati nostræ relinquit omissionem Missæ, sic eidem libertati relinquit ut Missa celebretur, vel votiva, vel de feriâ, vel pro defunctis ; & id probat piorum consuetudo : atverò probari non potest hanc ab Ecclesiâ libertatem relinqui circa Officii recitationem ; imò contrarium patet ex probationibus nostris.

Si quis verò incautè & inadvertenter, (modò inadvertentia hæc culpabilis non sit, ut esse potest in iis qui præ negligentiâ *Ordinem* non consulunt) unum Officium pro alio recitaverit, communior & probabilior opinio docet eum non teneri ad repetendum, si errorem non animadvertat nisi post peractam totius Officii recitationem. Si verò post recitatum, v. g. Matutinum errorem detegat, probabilius crediderim cum Lugo & Ethicâ amoris residuum ex istius diei Officio posse & debere recitari ex benignâ interpretatione mentis Ecclesiæ.

Quòd si Officium jam recitatum longè brevius esset eo quod recitandum erat, facienda est compensatio. Unde qui loco Officii Dominicæ octodecim Psalmos continentis, Officium fecisset de Sancto, deberet Psalmos novem primi nocturni Dominicæ recitare, nè tanta subsit inæqualitas. Imò melius fuerit totum repetere, si Officium totaliter differat, vel saltèm id supplere quo ambo Officia magis

inter se differunt, hymnos v. g. capitula, lectiones, responsoria, modò tamen id sine gravi incommodo fieri possit: id quidem sub pœnâ peccati necessarium non esse judicant viri scientiâ & pietate conspicui, sed dissentiunt Toletus & Navarrus.

Quæres 5°. an qui hodie legit de Sancto postridie occurrente, teneatur adhuc die sequenti Officium ejus recitare. R. affirmat. 1°. quia primus error non dat jus intervertendi ordinem Officiorum Breviarii; 2°. quia per Ecclesiæ legem tale Officium pro tali die determinatum est. Unde ulteriùs sequitur, Officium de Sancto quod die suo omissum est, non debere primâ die non impeditâ recitari, quia Officia sicut jejunia diebus suis alligata sunt, neque ex privatorum nutu mutari debent.

Quæres 6°. an qui Breviarium Romanum recitant, teneantur ad Psalmos Graduales, Pœnitentiales, Officium defunctorum, & alia similia quæ pro certis diebus præscribuntur. R. non teneri extra Chorum, prout declaravit Pius V. suâ Constitutione 64.

Tenentur tamen iidem, & quidem sub mortali ad Officium Defunctorum die 2. Novembris; itèm ad Litanias in festo S. Marci, & diebus Rogationum si Processioni non intersint: quia hæc censentur esse partes Officii harumce dierum; atque id satìs probat tum unanimis consuetudo, tum quòd exceptio firmat regulam pro casibus non exceptis: porrò Pius V. auferendo obligationem Officii B. Virginis, Defunctorum, &c. non abstulit obligationem vel Litaniarum in prædictis diebus, vel Officii Defunctorum die 2. Novembris.

Quæres 7°. an qui prædictæ Processioni assistunt, sed non recitant nisi preces quæ ab iis dicuntur qui Processionibus non intersunt, ceteras verò vel omittunt, vel non recitant satìs piè, quæres, inquam an ii satisfaciant Ecclesiæ præcepto.

Affirmat Bonacina, tum quia nemo ex diligentiâ suâ damnum reportare debet: reportaret autem, si eo quòd Processioni interesse velit, ad plus obligaretur

quàm privatim obligatus fuisset : tum quia censetur hujusmodi Clericus Processioni non interesse formaliter : tùm denique quia id omne facit quod Ecclesia sub pœnâ peccati fieri præcipit. Atque hinc colligit idem Theologus, eum qui Jubilæi tempore Processioni interest, & non præstat ea quæ præscribuntur iis qui Processioni intersunt, benè verò ea quæ absentibus indicta fuêre, Jubilæi gratiam consequi.

Ego quidem existimo duo hîc esse consideranda; 1°. verba legis quæ certas preces imperat; 2°. conditionem personarum, quæ huic legi subjacent; fieri enim potest ut Canonicus aut Pastor qui Processioni interesse tenetur, ad plus obligetur quàm ille cui liberum est quidem Processioni non interesse. Si lex non ità apertè loquatur, ut colligi possit an strictè præcipiat, vel non, consulendus est legislator, aut videndum quo sensu eam intellexerint & intelligant viri docti perinde & timorati.

ARTICULUS TERTIUS.

Quo tempore & ordine recitandum sit Officium.

CIrca tempus tria inquiri possunt : 1°. quo tempore meliùs sit & perfectius Horas recitare : 2°. quo tempore id fieri debeat, ut vitetur peccatum etiam veniale : 3°. demum quando recitandæ sint, ut saltèm vitetur mortale peccatum : quæ ut solvantur,

Dicendum 1°. optandum quidem fore, ut Horæ suis temporibus & intervallis etiam extra Chorum recitarentur ; inde enim *Horæ* dictæ sunt, quia certis diei partibus alligari debent. Matutinum ergo mediâ nocte, vel sub crepusculum diei recitandum esset ; Prima, inter ortum Solis & nonam matutinam ; Tertia, inter nonam & meridiem ; Sexta, meridie, vel circiter ; Nona circa tertiam vespertinam : Vesperæ, ad Solis occasum, unde dicebantur Hora lucernaria ; Completorium, sub finem diei. Sed quia *perperam* tentaretur renovatio hu-

jusce consuetudinis, cui olim viri & feminæ principes intentissimi erant.

. p. tit. 1. c. 4. Dicendum 2°. cum S. Antonino, quòd *non videtur de se esse mortale, quandocumque quis tardè dicat Officium, dum non transeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem.* Ratio est quia sic recitans, etsi minùs perfectè, implet tamen substantiam præcepti.

Malè tamen docuerunt aliqui, eum qui incipit hodiernum Officium paulò ante mediam noctem die isequentis, recitandi præceptum implere, etiamsi notabilem hujusce partem, post noctem mediam prosequatur & absolvat. Nam ex communi Ecclesiæ & Doctorum sensu, si pauculos excipias, totum diei hujus Officium sub mortali absolvendum est ante finem hujus diei mathematicè sumptum: unde qui aliquam Officii partem transactâ mediâ nocte recitat, non magis satisfacit quoad illam partem, quàm satisfaceret quoad totum, si totum post mediam noctem recitaret.

Dicendum 3°. quòd ex usu & sententiâ communi vitetur peccatum etiam veniale, si Horæ parvæ quâvis ferè horâ ante meridiem privatim recitentur. Sexta post meridiem dici potest; sic tamen ut non multùm differatur. Vesperæ, à meridie ad Solis occasum extra Quadragesimam recitari debent; satius enim est, prout docet Nat. Alexander, ut ii etiam qui Quadragesimali tempore Officium privatim recitant, Vesperas ante refectionem persolvant; prout faciunt Canocici, & Regulares, qui Officio publico defunguntur: tum quia semper expedit ut minor Ecclesiæ pars ei quæ præcipua est concordet; tum quia sic admonentur juniores Clerici, nè prandii horam anticipent; tum demum quia hoc modo aliquid servatur veteris disciplinæ, quæ jejunium nonnisi post Vesperas solvi permittebat. Completorium ad occasum Solis laudabiliter differtur, haud tamen necessariò, ut patet ex timoratorum praxi.

[atutinum cum laudibus pridiè recitari potest, o circiter tempore quo Sol propior est ad occa-, quàm ad meridiem, juxta Tabulam sequen-, quæ anno 1706. Romæ edita est typis Ca-æ Apostolicæ, quamque hîc exhibemus galli-s horologiis accommodatam, ut quisque norit tempore Officium pro die sequenti inchoare it.

anuarii,	horâ secundâ cum quadrante.
ebruarii,	horâ sesqui-secundâ.
Martii,	horâ secundâ cum tribus quadr.
Martii,	horâ tertiâ.
Aprilis,	horâ tertiâ cum quadrante.
Aprilis,	horâ sesqui-tertiâ.
Maii,	horâ tertiâ cum tribus quadr.
Junii,	horâ quartâ.
ulii,	horâ tertiâ cum tribus quadr.
Augusti,	horâ sesqui-tertiâ.
Septemb.	horâ tertiâ cum quadrante.
Septemb.	horâ tertiâ,
Octobris,	horâ secundâ cum tribus quadr.
Octobris,	horâ sesqui-secundâ.
Novembris,	horâ secundâ cum quadrante.
Decembris,	horâ secundâ.

)icendum 4°. cum Bellarmino & aliis penè iibus, eum peccare, qui in Officii recitatione mpore canonico multùm recedit, ut qui Ves-is manè, aut vesperè Horas omnes recitat. seo tamen Vesperas manè recitari posse ab iis iter facturi, aut magnis per diem ambagibus licandi, prævident se nonnisi ægrè, aut pa-devotè Officio suo in diei decursu functuros In genere, quando *Officium propriis horis non potest, propter occupationes, melius est,* S. Antoninus, *prævenire, quàm tardare*; quia *venire est providentia, tardare vero est negli-ia.* Sive verò prævenias, sive tardes, *non tur,* ait S. Doctor, *de se esse peccatum mor-. De se*, inquam, quia ratione contemptûs scandali, fieri posset mortale. Ut tollantur

ceteræ difficultates quæ ad præsentem materiam pertinent,

Quæres 1°. an Horæ parvæ possint pridie dici, saltèm cùm subest causa. R. negat. obstat enim communis sententia, & totius Ecclesiæ praxis, quæ solùm permittunt ut Matutinum & Laudes pridie persolvantur. Hinc qui prævidet futurum ut die sequenti Horas recitare nequeat, ad easdem pridie recitandas non tenetur.

Quæres 2°. an major studendi commoditas, legitima sit ratio cur Horæ in tempus vespertinum differantur. R. posse id tolerari, si agatur de studio quod admodum urgeat, ut putà concionis sacræ quæ paucos intra dies memoriæ mandanda sit. Si verò de studio communi sermo sit, aliter sentiendum: quia non decet ut tempus aptius studio detur, & minùs aptum tribuatur Deo, cui optima quæque in sacrificium impendi debent. Atqui id evincit historia sancti Coloniæ Antistitis Severini qui Clerico apparuit post mortem, eique confessus est se ardoris purgatorii supplicium ferre, eò quòd regiorum negotiorum pondere oppressus, *Canonicæ synaxis Officia per distincta horarum spatia non persolvisset, sed malè omnia coacervans*, omnes uno tractu Horas recitasset. Ex quibus obiter colliges, 1°. quanta sit jam pridem in Ecclesiâ recitandi Officii necessitas; 2°. quantùm allucinentur qui sine ullo scrupulo Officium vel nimis differunt, vel anticipant, quasi nunquam satìs citò ab immani onere immunes esse possint.

Baron. an. 2.

Jam dicendum de Horarum ordine, qui is est, ut Matutinum uno cursu simul cum Laudibus, & utrumque sive ante Missam, sive ante Primam recitetur. Dubium est autem an non aliquando ab eâ Officiorum dispositione recedi possit; quòd ut distinctè magis expendatur,

Quæres 1°. an liceat Horarum ordinem invertere, v. g. Laudes ante Matutinum recitando.

R. id, si sine causâ fiat, esse quidem peccatum,

ed veniale duntaxat; quia talis inordinatio, ex ommuni Doctorum sensu non est notabilis; & *Ordo Horarum non est de præcepto* rigoroso, ut ex ylvestro ait Pontas, v. *Office*, cas. 23.

Nullatenus autem peccat, qui ordinem hunc ex egitimâ causâ invertit, ut si Religiosus qui mediâ octe surgere non potuit, Primam (quod certè meiùs est) cum aliis canat, & deinde matutinum reciet privatim; vel si quis ab infirmo, aut viro gravi, ui resisti non conveniat, quive differre non possit, ivitetur ad dicendum cum eo Matutinum diei seuentis, nondum lecto Completorio diei præceentis. Idem dicendum tum de eo qui Sextam reciando, meminit se oblitum Tertiæ; tum de Clerico, ui actu Breviarium non habens, aut legere non alens, v. g. in rhedâ publicâ, scit memoriter Horas iinores: is enim eas, cùm venit ipsarum tempus, ecitare potest, & deinceps Matutinum. Ità Auor Theoriæ & Praxis Sacram. qui idem dicit de eo ui etiam culpâ suâ Breviarium non haberet. Tom. 3. D. 167.

Quæres 2°. possitne Matutinum à Laudibus searari. R. affirmat. 1°. quia certum est hæc à se inicem olim separata fuisse, ut patet ex regulis S. enedicti & Ordinis Cistersiensis, quas approbavit ccclesia; 2°. quia nulla stat lex aut consuetudo, uæ divisionem hanc prohibeat sub peccato, salem cùm subest rationabilis causa, ut putà studeni; 3°. quia licèt Matutinum & Laudes unâ eâdemue oratione terminentur, habent tamen distincta itia, ut norunt omnes; 4°. quia cùm Rubricæ omanæ jungunt Laudes Matutinis, supponunt raque præscripto antiquitùs tempore persolvi; on attendunt autem ad concessionem postremis mporibus factam, matutinum Officium tam lon intervallo anticipandi; 5°. quia meliùs utcumie videtur Laudes separari ab iis qui Matutinum ro præcedenti recitant; pleraque enim Laudum erba matutino tempori magìs congruunt, ut ista: *eus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, &c. Ecce jam

noctis tenuatur umbra. Aurora jam spargit Polum.

Circa hanc separationem, tria notanda; 1°. quòd tunc Matutinum debeat oratione concludi; 2°. quòd Laudibus præmitti debeat *Pater noster*; 3°. quòd cùm in Vigiliis aliisque Adventûs & Quadragesimæ temporibus recitandæ sunt preces flexis genibus, eædem post Matutinum, si separatim à Laudibus legatur, dicendæ sunt, quæ post singulas minores Horas. Ita monet *Ordo Parisiensis.*

Quæres 3°. an Nocturni Matutinorum ab invicem separari possint.

Affirmat Henricus à S. Ignatio cum aliis quos citat, quia antiquitùs Nocturni à se invicem separabantur. Idem docet Collator Rupellensis, q. 6. post Durandum. Eadem est opinio S. Thomæ in I. ad Corinth. cap. 14. Lect. 6. Unde reprehendere non ausim, qui ob justam causam Nocturnos à se invicem dividunt; modò, aiunt aliqui, separatio hæc non plus quàm tribus horis perduret; quia primitiva Nocturnos separandi consuetudo, eosdem ultra tres horas non dividebat.

Excusantur etiam à nonnullis, qui cùm actu Breviarium non habeant, nec proinde Lectiones recitare possint, recitant tamen alias Matutini partes, Lectiones posteà recitaturi. Hoc equidem facere malim in intinere, quàm totum Officium differre in multam noctem, illudque inter diversorii tumultus, & somni gravitatem exsolvere. Extra hujusmodi casus qui raró eveniunt, Ecclesiæ praxi constanter inhærendum est. Certè cùm hæc deordinatio sit gravior, gravior quoque ad eam requiritur causa.

Quæres 4°. an peccet qui Matutino & Laudibus nondum persolutis Missam celebrat.

R. 1°. Fatentur omnes non peccare eum qui justâ de causâ Missam Officio præponit: ut si Missa dicenda sit, nè Viaticum infirmo desit; nè plebs diutiùs expectet; nè ipse Sacerdos statim profecturus, omittat Missam in die Festo; aut si eam debet ex justitiâ.

R. 2°. Seclusis hujusmodi casibus, non possi

Missam sinè peccato celebrari ante recitationem Matutini & Laudum, saltèm de jure communi.

Prob. 1°. ex Majorum traditione : siquidem, teste Azorio, omnes ad unum veteres Theologi ac Canonistæ eum peccati reum dixêre, qui absque rationabili causâ, Missam celebrat ante Matutini & Laudum recitationem.

2°. ex generali & diuturnâ omnium, qui Deum timent, Sacerdotum consuetudine.

3°. ex rubricis Missalis Romani, & validiùs ex Constitutione Innocentii IV. emissâ an. 1254. ubi sic : *Sacerdotes*, tum Græci, tum Latini, *dicant Horas canonicas more suo ; sed Missam celebrare, priusquàm Officium matutinale compleverint, non præsumant :* quæ quidem Constitutio pluribus Gallorum Præsulum statutis confirmata est.

Objiciuntur duo ; 1°. quòd Matutinum inter & Missam nulla sit connexio, præsertim hoc nostro tempore ; quo Matutinum cùm pridie recitari queat, haberi non potest ut præparatio ad Missam ; 2°. quòd olim etiam constitutum sit ut Prima diceretur ante Missam ; quod tamen hodie non est in usu. Sed hæc non nocent. Unde

Ad 1. etsi nulla Matutinum inter & Missam sic connexio ex naturâ rei, est tamen sufficiens ex Ecclesiæ consuetudine quæ vim legis habet, Majorum Traditione & Theologorum saniorum consensu. Adde quòd serotina ad Missam præparatio, non debeat pro nihilo computari.

Ad 2. si Ecclesiæ disciplina quibusdam in punctis læsa est, non ideò in aliis infringi debet, cùm præcipuè pii magis & docti resistunt.

Quæres 5°. quale committat peccatum qui Missam absque rationabili causâ celebrat nondum lecto Matutino. R. non deesse qui hominem hunc mortalis peccati incusent. Ità inter alios S. Antoninus, cujus opinio satìs confirmatur ex pœnâ suspensionis aut excommunicationis quam variæ Ecclesiæ decernebant, *aut saltèm* comminabantur iis qui Mis-

ſam ante matutini Officii lectionem celebrabant.

Hæc tamen deciſio pluribus videtur rigidior; unde hìc nonniſi veniale peccatum agnoſcunt Soto, Sylveſter, Toletus, Navarrus, Bellarminus, Suarez, Henricus ipſe à S. Ignatio, doctus neque is laxior Caſuiſta Rupellenſis : 1°. quia opinio quæ hìc peccatum mortale ſubeſſe dicit, nullo nititur juris textu qui vim legis generalis obtineat : Statuta verò particularia, quæ gravem ſuſpenſionis aut excommunicationis pœnam comminabantur, ad ſummum non obligarent, niſi in Diœceſibus in quibus edita fuêre : imò neque iis in Diœceſibus magis obligant quoad Matutinum quàm quoad Primam; unde dici poteſt ea jam dudum obſoleviſſe, & quantùm ad pœnam & quantùm ad peccati gravitatem. Imò Pariſiis ſi celebretur Miſſa ante ſolis ortum, ſufficit hodie matutinum etiam ſine Laudibus perſolviſſe.

2°. quia non peccat mortaliter qui Matutinum poſt minores Horas recitat; Ergo nec qui dicit Miſſam ante Matutinum; ſiquidem major eſt connexio Matutinum inter & Horas, quàm inter Matutinum & Miſſam.

3°. Ideò mortaliter peccat Sacerdos qui Miſſam dicit ante Matutinum, quia communi Eccleſiæ conſuetudini reſiſtit : Atqui hæc ratio peccatum mortale non probat. Qui enim Miſſam dicit poſt recitatum totum hujus diei Officium, agit etiam contra totius Eccleſiæ conſuetudinem, neque tamen mortalis peccati inſimulatur.

Ob hæc momenta propendet Pontas in partem mitiorem : ſed fatetur tamen, quod & cum eo quilibet Deum timens fatebitur, ſatìs gravia eſſe alterius partis momenta, ut qui à communi Eccleſiæ conſuetudine ſine rationabili causâ recedit, redargui mereatur. Unum addo, Sacerdotem qui poſt elapſum Primæ aut Tertiæ tempus Miſſam celebraturus eſt, id curare debet ut jam utramque Horam Deo perſolverit.

Quæres 6°. an peccet, qui diebus Dominicis aut Feſtis Officium recitat per tempus Miſſæ.

R. Duplex eſt eâ de re Theologorum opinio. Prima negat, idque triplici de causâ. Et quidem 1°. quia *hîc reperitur corporis & animi præſentia quæ ad Miſſam exigitur, quoties per devotas preces mens ad Deum erigitur, ut fit in recitatione ſatisfactoriæ pœnitentiæ aut Officii divini, cùm ad utramque obligationem una eademque attentio poſſit ſufficere.*

Cabaſſus. T. 2. c. 32.

2°. Quia illi actus ad unum ordinantur finem, nempe ad laudem Dei, gratiarum ejus implorationem, & præcepti per Eccleſiam impoſiti adimpletionem. Non enim præcipit Eccleſia ut Fideles verbis Miſſæ intendant, ſed ut verbis etiam non auditis Sacrificio piè & devotè interſint; alioqui non ſufficeret generalis tametſi vera ad Deum attentio, cujus solùm capaces ſunt idiotæ, muti, iique omnes qui è loco remotiori ſacro adſunt, unde Sacerdotis verba nec audiunt, nec ceremonias vident.

Hæc momenta tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco ſatis gravia ſunt, ut non auſim eos tanquam Eccleſiaſtici de audiendâ Miſſâ præcepti tranſgreſſores haberi, qui Officium per Miſſæ tempus recitaſſent: hîc enim facilis eſt bona fides. Exiſtimo tamen graviter monendos eſſe qui in tali conſuetudine verſantur, ut ab eâ recedant; cùm hæc magnam tepiditatem & parum amoris in Deum exhibeat: quòd adhuc verius apparebit, ſi attendas hujuſmodi Eccleſiaſticos, qui omnibus eodem momento Officiis fungi vellent, ſolitos eſſe tempus cui pepercerunt, in otio, nugis & aliis etiam pejoribus miſerabiliter fallere.

ARTICULUS QUARTUS.

Quomodo recitari debeat Officium divinum.

QUatuor afferri poſſunt Officii recitandi conditiones: eæ verò ſunt ut Officium diſtinctè, integrè, devotè & attentè recitetur.

Certum eſt Officium recitandum eſſe diſtinctè

voce, non gutture inter dentes & *sincopando*; ut loquitur Concilium Basileense; unde ulteriùs constat, eum qui solâ mente legeret, seu solis pervolveret oculis, non esse satisfacturum.

Etsi porrò docent multi Officium voce tam clarâ recitari debere, ut qui recitat, semetipsum audire possit, si nihil obstet, ut si non sit surdaster, aut positus in loco in quo propter strepitum, semetipsum audire nequeat: censent tamen Sylvius in Resol. v. *Horæ* 3. & alii plures, eum qui attentè & distinctè loquitur, tametsi semetipsum non audiat, verè satisfacere: 1°. quia nullo jure probatur recitantem Horas, teneri ad se audiendum, cùm præceptum obliget ad dicendum, non audiendum Horas; 2°. quia oratio potest ore & voce fieri, etiamsi non audiatur ab ipso recitante, & ex se est sonus quidam formatus ex allisione aëris ad dentes & labia; 3°. quia viri doctiores & sapientiores, modò distinctè recitent & attentè, parum curant an ab aliis vel à semetipsis audiantur.

Sylvius.

Quod spectat ad 2. conditionem de integritate;

Dico 1°. nihil ad Officii integritatem referre, an qui solus Officium recitet, an alternis versibus cum alio: imò erit in alternis recitandi modus melior, utpotè Chori similior.

Dixi, *alternis versibus*: quia non satisfacerent duo qui sic Officium partirentur, ut alter legeret Psalmos, alter lectiones; aut primus Psalmum primum, secundus secundum. Neque etiam quatuor recitantes, quorum primus primum versum diceret, secundus secundum, tertius tertium, &c. quia id repugnat totius Ecclesiæ consuetudini, quæ Hymnos & Psalmos quoad versus & strophas duplici Choro dici præcipit. Aliud est de Lectionibus, ut statim dicam.

Neque etiam interest, ut socius tecum recitans ad Officium obligatus sit, necne: unde cum Scholari, cum famulo recitari potest, modò distinctè loquantur, & desit scandali periculum. Nec minùs satisfacies si alter recitando non attendat, quia obli-

gationem tuam imples partim dicendo, partim audiendo; benè autem audiri potest quod malè ab alio recitatur: sed integrè percipi debet quidquid dicitur ab alio. Unde peccant juxta materiæ quantitatem, sive in Choro sive extra, qui resumunt necdum finito socii versiculo: peccat itèm, nec satisfaceret surdaster, qui socii secum recitantis verba non audiret.

Aliter, juxta Henno, sentiendum de surdis qui Choro intersunt, tum quia præsumi nequit velle piam matrem Ecclesiam, ut ii vel Officium privatim repetant, vel submissè recitent id omne quod ab aliis dicitur; alias enim vix possent inter psallendum respirare: (quæ ratio efficax est pro iis Officii horis quæ pleno & celeri ductu canuntur) tum quia oratio Chori, utpotè corporis mystici, censetur moraliter oratio privati cujusque, qui nullum culpabiliter obicem apponat. Unde etiam satisfacit qui vel involuntariè distractus, vel ob exurgentem strepitum, vel propter exilitatem vocis illius qui legit, non id omne percipit quod dicitur ab aliis. Hæc Dei & Ecclesiæ pietatis consona videntur: sed neutiquam eos juvare possunt, qui quoquo versum oculos movent, ingredientes & egredientes intuentur &c. & quibus proinde quidquid excidit, suâ culpâ excidit.

Si plures simul recitent, Lectiones omnes ab omnibus successivè, vel ab uno solo ceteris audientibus dici possunt, ut in Choro frequenter evenit.

Dico 2°. Conveniunt omnes quamcumque ex septem Horis etiam minimam, esse regulariter loquendo, partem sufficientem, ut ejus omissio sit letalis. Ratio est, quia reipsâ per hanc omissionem Officium notabiliter mutilatur.

Addit Navarrus, in unâquaque Horâ dimittere notabilem ejus partem, grave esse peccatum: notabilem verò partem eam censet cum S. Antonino, quæ tertiam Horæ partem facit, quia hæc tertia pars, est *quid notabile* respectu uniuscujusque

Horæ. Verùm doctrina hæc etiam de' mediâ Horæ minoris parte intellecta, æquo rigorosior videtur Pontasio, v. *Office*, cas. 5. Verius igitur apparet habendam hîc esse rationem non partis ut est pars, sed secundùm quantitatem suam absolutam considerata. Unde si Matutinum cùm Laudibus una sit Hora, omissio unius Nocturni, etiamsi vix sit quarta pars, ad mortale peccatum satis esse meritò judicabitur; è contrario autem primarum Paschæ Vesperarum omissio, etiamsi sit Horæ totius, culpæ venialis lineam non excedet. Sed quidquid sit, vir pius nullam usquam Officii partem eo prætextu omittet, quòd ejus omissio nonnisi venialem reatum importet. Unum addo, omissionem dimidiæ vel tertiæ partis Horæ, longè faciliùs argui peccati mortalis in Choro, quàm extra Chorum.

Sed quid facto opus, si quis dubitet an Officium aliquamve ejus Horam recitaverit?

R. eum si ex probabili aliquâ ratione dubium deponere non possit, ad hujus Horæ recitationem teneri, quia ex jure, *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Si quis verò de aliquo Psalmo, Lectione vel Antiphonâ dubitat an ea recitaverit, non tenetur ad repetendum; 1°. quia sufficiens est ratio deponendi dubium, nempè, quòd non soleat facilè prætermitti Psalmus, vel Lectio; 2°. quia alioqui daretur occasio infinitis scrupulis, cùm multi nolentes mente evagentur. Hîc tamen pensandæ sunt circumstantiæ; faciliùs enim præsumet se aliquid omisisse, qui interruptus fuit; qui tam parum suî compos est, ut errante oculo à paginâ in paginam evolet, &c.

Quæres an qui totum omittit Officium, tot committat peccata mortalia quot sunt Horæ.

R. 1°. eum qui interiùs multoties renovaret propositum non recitandi, multoties peccaturum esse.

R. 2°. quòd apud Deum, si cetera sint paria, non minùs peccat, nec minorem pœnam meretur iste transgressor, sive semel dicatur peccasse, sive sep-

ies : quia unicum quod admisit peccatum septem dis-
inctis peccatis æquivalet ; unde in confessione expri-
ii debet quot Horæ omissæ fuerint, & quoties recur-
erit propositum easdem omittendi : porrò peccatum
oc omissionis non consummatur exteriùs nisi quan-
o jam transiit Officii recitandi tempus. Unde cen-
ura quæ adversùs non recitantes lata esset, tunc de-
num incurreretur, cùm jam recitare non possent ;
uamvis multoties iterassent consilium non re-
itandi.

Ut intelligatur quæ devotio ad Officii recitatio-
em necessaria sit, notandum devotionem esse tri-
licem : externam, quæ in reverenti corporis com-
ositione consistit ; internam, quæ sita est in pio
nentis ad Deum affectu ; & mixtam, quæ utram-
ue complectitur.

Fatentur omnes requiri devotionem externam.
Cui enim præcipitur oratio, eidem etiam præcipi-
ur, ut se habeat per modum orantis ; quod non
acit qui cum exteriori indevotione orat, ut faciunt
ot clerici, qui eodem situ & tono Deum allo-
uuntur, & famulos suos. Hâc occasione,

Quæritur 1°. an Officii penso verè satisfaciant,
ui inter recitandum exterioribus actionibus vacant.

R. duplex esse actionum exteriorum genus. Aliæ
um attentione ad Officium requisitâ non compa-
iuntur, ut si quis pingat, aut *coquinam* faciat ; &
is vacare *videtur mortale*, ait S. Antoninus. Aliæ
um prædictâ devotione & attentione stare possunt,
t ambulare & similia, quæ propter faciendi assue-
udinem, attentionem non dividunt, & hæc non
mpediunt nè quis Officii obligationi satisfaciat.
Hinc Sacerdos manus lavans, & ornamentis se in-
uens, certas debet preces recitare.

Quæritur 2°. quis convenientior sit in recitando
rivatim Breviario corporis situs. De recitatione
ublicâ, nihil est difficultatis ; standum est enim,
edendum, flectendum genu, cùm id rubricis aut
horum consuetudine præscribitur.

R. 1°. *cum Augustino, Lib.* 2. ad Simplicianum,

q. 4. *Non est præscriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut scriptum est:* Publicanus de longè stabat; *& flexis genibus, sicut in Actibus Apostolorum; & sedentes sicut David & Elias.*

R. 2°. cum Collatore Rupellensi, meliùs tamen esse ut quis Officium stans dicat; 1°. quia hæc corporis dispositio ei magis congruit, quam Synodi plures (*) in Choro servandam esse sanxerunt; 2°. quia licèt dispositio illius qui flexis genibus precatur plena sit humilitatis, adeoque laudanda, non tamen satis convenit recitationi Psalmorum quibus majori sui parte coalescit Officium; quia Psalmi in lætitiâ & ut jubilo cani debent, quod meliùs fit si mente & corpore ad Deum elevatis recitentur. Hîc notandum eas preces quæ in Choro flexis genibus recitantur, eodem extra Chorum situ persolvi debere.

Etsi autem Officium etiam sedendo aut ambulando recitari potest; cavendum tamen, nè scandalum detur astantibus, seu per indecentem corporis situm, seu per ambulationem quæ ratione loci aut festinationis attentionem excludere videatur. Quâ, ut opinor, de causâ recitatio inter ambulandum prohibita est à Concilio Trevirensi, an. 1549.

Quæritur 3°. quid de iis dicendum qui Horæ alicujus recitationem interrumpunt.

R. 1°. cum omnibus interruptionem hanc si sit notabilis, & sine rationabili causâ, non fieri sine peccato; 1°. quia ex Ecclesiæ sensu unitas Horæ cujuslibet ad ejus ritum & formam pertinet; ea autem unitas tollitur, aut saltèm multùm minuitur per hanc interruptionem; 2°. quia qui colloquium cum Deo habens, illud levi de causâ interrumpit, multò se gerit irreverentiùs, quàm qui gravem cùm terreno Principe sermonem habens, eum levi, vel nullâ de causâ abrumperet, ut v. g. cum homine plebeio confabularetur.

(*) *In Ecclesiâ cum timore & veneratione stantes aut orent, aut canent, aut audiant.* Concil. Aquisgran.

R. 2°. inter ruptionem hanc majus aut minus esse
ccatum, prout major aut minor est mora, habitâ
tione 1°. illius partis Officii quæ dicitur : nam
terruptio in recitatione Tertiæ notabilior cense-
r, quàm si fiat in recitatione Matutini; 2°. rei
opter quam fit interruptio; qui enim Officium
terrumpit, ut vana vel mala cum alio misceat
lloquia, longè graviùs peccat, quàm si inter-
mperet ob quædam quæ licèt haud necessaria,
hil tamen haberent mali.

R. 3°. Si interruptio fiat cum rationabili causâ,
m quis à personâ multùm superiore invisitur,
llum esse peccatum, nec obligationem repeten-
, si rigorosè loqui velis, nisi fortè interruptio
ngo tempore ut unâ & ampliùs horâ perdurasset;
io in casu, si non absolutè necessarium, ut non
uci putant, saltem tutiùs esse repetere; exceptâ
men interruptione quâ Nocturni Matutinorum à
invicem divisi essent; de quo suprà.

R. 4°. eum qui sine rationabili causâ per notabile
mpus, etiam unâ horâ brevius, Officium inter-
pisset, graviter peccaturum, & fortè mortaliter
non repeteret. Fateor multos esse qui hìc nonnisi
nialem culpam agnoscant, quia talis defectus
n est in substantiâ, sed solùm in modo acciden-
rio, cùm singuli Psalmi, Lectiones, aliæque pre-
s per se suam habeant completam significatio-
m : at potest incertum videri, an ex Psalmis &
ctionibus divisis ea exurgat Officii species quam
quirit Ecclesia.

Quod spectat ad devotionem internam, non mi-
s certum est eam Clerico necessariam esse, ne in
adducat hoc Christi improperium, Matth. 15.
*pulus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè
à me.* Porrò ad hanc devotionem quatuor requi-
ntur : 1°. præparatio; 2°. intentio; 3°. attentio,
â distractiones excludantur; 4°. talis animæ status
i orationem nostram non faciat in peccatum.

Et quidem 1°. opus est aliquâ præparatione, ut

Officium dignè persolvatur. Tum quia id docet Scriptura, Eccli. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Tum quia qui aliquod aggreditur opus magni præsertim momenti, non ab abrupto in ipsum fertur; quanto magìs igitur indiget præparatione, qui *opus Dei* aggreditur?

Ad hanc porrò præparationem varia præstanda sunt: 1°. postulandum est à Deo ut in nos effundat *spiritum gratiæ & precum*, quem Fidelibus suis promisit, Zacharias 12. 2°. profundè credendum est eum quem oraturi sumus non esse Deum *de longè* sed *è vicino*; 3°. & id cavendum, nè sacrificium laudis quod Deo offerimus, inordinato retributionis & lucri amore corrumpatur: unde S. Augustinus in Psalm. 53. Si, inquit, *propter pecuniam laudas Deum, non voluntariè sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas; quia præter illum nescio quid aliud amas.* Neque hîc deest labes simoniaca juxta doctrinam Angeli Scholæ; de quo alibi.

Jerem. 23.

Secundò ad implendum Officii præceptum, requiritur ex parte voluntatis intentio actualis vel virtualis, explicita vel implicita ejusdem præcepti adimplendi. Ratio est, quia Officii recitatio præcipitur prout ad debitum Dei cultum ordinata est: Atqui ut impleatur quatenus talis, aliquâ opus est intentione seu Deum laudandi, seu obligationi suæ satisfaciendi; non verò sufficit omnis recitatio quæcumque ea sit; alioqui qui per modum studii Psalmos, Lectiones, & Patrum Homilias legeret, Officii recitandi præcepto faceret satìs, quod nemo dixerit.

Nemo autem circa hanc intentionem sollicitus esse debet; ad eam enim sufficit ut quis ex consuetudine velit actionem Officii recitandi, tanquam muneris sui & obligationis expletivam, vel eam velit facere ut solet.

Quæres an qui Horas ex aliquâ devotione persolvit cum expressâ voluntate præcepti non implendi, &

& cum formali secundæ recitationis proposito, obligationi suæ satisfecerit.

R. negat. cum multis contra multos: 1°. quia actio quæ cùm facta est, non habuit conditiones ad implendum præceptum requisitas, non potest eas induere, nisi iterum fiat; unde qui sacrilegam tempore Paschali communionem fecit, ad novam tenetur, quantumvis doleat de primâ: Atqui prima recitatio caruit conditione ad implendum præceptum requisitâ. Nam impletio præcepti ut talis debet esse voluntaria, vel saltèm non debet esse non volita; cùm exigat jus ipsum naturale ut subditus non habeat affectum contrarium obligationi præcepti: Atqui hæc prima recitatio nedum volita fuerit ut impletiva præcepti, fuit expressè non volita quatenus talis; Ergo.

2°. quia qui centum debens, totidem gratis dat, adhuc tenetur ad reddenda centum: porrò si homo cui lex naturalis imponit restituendi præceptum, possit totum qui sibi præceptus est actum ponere, nec tamen implere præceptum; quidni possit homo qui ecclesiasticâ lege ad Officii recitationem tenetur, id quod præceptum est materialiter implere, & tamen non satisfacere præcepto, quia eidem satisfacere non vult?

Ex his colliges eum qui timere potest nè à priori proposito discedat, ità semper Officium recitare debere, ut præcepto satisfacere velit, si posteà contingat ut Officium repetere non possit aut nolit.

Nunc de attentione dicendum: est autem attentio, voluntaria animi applicatio ad id quod agitur; eaque spectari potest, vel ratione subjecti in quo est, vel ratione objecti in quo fertur.

Attentio ex parte subjecti, dividitur in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. Attentio *actualis*, est præsens animi applicatio ad opus quod agitur, ut ad orationem. Attentio *virtualis*, est animi ad opus applicatio, non quidem actu, sed virtute remanens; nempè propter atten-

tionem actualem quæ antè habita est, nec per actum contrarium aut incompossibilem revocata vel interrupta. Talis attentio in eo esse potest qui distrahitur, modò involuntariè. Attentio *habitualis*, ea est in præsenti, quâ quis Officium legit ex habitu, nihilo ferè plus ad illud advertens, quàm attenderet ebrius aut mentis impos. Attentio *interpretativa* est animi dispositio, quâ quis attendisset, si advertisset esse attendendum : talis in eo supponi potest qui cum alio recitat Horam, quam à se jam recitatam fuisse credens, non satis attendit.

Attentio considératâ ratione objecti esse potest ; 1°. ad verba ; 2°. ad sensum verborum ; 3°. ad Deum, aut res quas orando petimus, ut cùm inter orandum contemplamur Dei misericordiam, propriam nostram egestatem, aut generatim volvimus aliquod fidei mysterium. His præmissis,

Dico 1°. ad debitam Horarum recitationem necessaria est attentio interior.

Prob. 1°. ex Concilio Lateranensi IV. ut sic : *Districtè* præcipimus *ut divinum Officium nocturnum & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè pariter celebrent & devotè* : Atqui studium illud & devotio sinè seriâ attentione consistere non possunt. Devotio enim purè externa, non est devotio, sed hypocrisis, juxta id Matth. 15. *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaïas, dicens : Populus hic labiis me honorat, &c.*

Prob. 2°. Qui tenentur ad Breviarii recitationem, eo ipso tenentur ad orandum : Atqui oratio essentialiter involvit & importat attentionem ; est enim oratio ex naturâ suâ, ascensus mentis in Deum, & petitio decentium legitimè facta. Meritò igitur Clerus Gallicanus anno 1700. hanc Caramuelis propositionem, *Præcepto satisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non mente orat*, damnavit ut *absonam, verbo Dei contrariam, hypocrisim inducentem, à Prophetis & Christo damnatam his verbis*: Populus hic labiis, &c.

Obj. 1°. Ecclesia non præcipit actus internos, neque enim judicat de internis : Atqui attentio actus est interior; Ergo.

R. neg. maj. Quia etsi supponeretur Ecclesiam actus internos indirectè non præcipere, certum est quòd eos saltèm indirectè præcipiat, cùm præcipit actus quosdam exteriores, qui sinè interioribus subsistere non possunt. Sic Ecclesia cùm præcipit ut fideles peccata sua saltèm tempore Paschali confiteantur, præcipit indirectè examen interius conscientiæ. Etverò qualis esset sponsa Christi, cujus præcipua gloria *ab intus* est, si potestas ejus ea tantùm quæ foris patent, attingeret?

Ceterùm Beneficiarii adhuc tenentur ad attentionem, tametsi supponeretur eam ab Ecclesiâ imperari non posse. Potest enim quis obligare se ad actus internos, v. g. eleemosinam accipere, cum pacto orandi pro iis qui eam largiuntur; sed qui Beneficium acceptârunt, obligaverunt se ex pacto saltèm virtuali, ad fundendas orationes pro Fundatoribus quæ iisdem utiles esse possint; Ergo ad attentionem internam, si non Ecclesiastico, saltèm naturali jure obligantur.

Obj. 2°. Ex vulgari axiomate, modus legis, sub legem non cadit : Atqui attentio modus est legis quæ Officium præcipit; Ergo.

R. neg. maj. Modus enim legis, si legis anima sit, sub præceptum cadere debet; neque enim lex rejecto spiritu corticem solùm imperat.

Hinc colliges eum qui per notabilem Officii partem voluntariè distrahitur, nisi quod malè recitavit repetat, mortaliter peccare & ad restituendum teneri, perinde ac si partem illam omitteret. Ratio est, quia sic distractus nec religionis actum exercet, nec verè orat. Fieri tamen posset ut talis distractio propter defectum perfecti voluntarii, non nisi veniale peccatum esset.

Distractio voluntaria esse potest in se, vel in causâ. Distractio *tunc in se* voluntaria est, cùm homo

ſciens & volens extraneis cogitationibus mentem paſcit. Idem ferè eſt cùm homo Horas recitat in loco diſtractionibus expoſito, putà in cubiculo vel rhedâ ubi habentur diſputationes, cantilenæ, aliaque recollectioni interiori inimica. Hic tamen ſpectandæ ſunt circumſtantiæ perſonarum, temporis, &c. Alii enim aliis faciliùs diſtrahuntur; alii negotiis neceſſariò immerſi, tempus ſi quod liberum occurrit, arripere tenentur.

Diſtractio voluntaria eſt in causâ, cùm quis etſi diſtractus eſſe nollet, quod pauci volunt, ea tamen liberè facit ex quibus ſecuturam diſtractionem videt. Sic peccant qui poſt inania cum omni perſonarum genere colloquia; poſt ludum & pecuniam in eo deperditam; poſt apertum pluries murmuri & imprecationi os, in hæc irrumpunt verba: *Aperi, Domine, os meum.* Aliter de iis ſentiendum qui labori neceſſario dediti, inviti mente revolvunt dum orant, quæ ante didicerunt: neque enim ea Deus in culpam vertet, quæ nonniſi propter eum ſuſcipiuntur: & iſti tamen tempus orationi magis opportunum eligere debent, & ad cor ſuum pauliſper reverti antequam Officii penſum aggrediantur. Ceterùm nec iis neque ſcrupuloſis permittendum eſt ut Officium repetant, etiamſi non recordentur ſe hunc vel illum Pſalmum dixiſſe: tum quia repetitiones illæ nihil proſunt, cùm ſecunda non ſit melior primâ; tum quia ex repetitionibus ſcrupuloſorum, innumera ſequuntur incommoda, angor conſcientiæ, capitis dolor, & aliquando neceſſitas recurrendi ad Pontificem qui eos ab Officio diſpenſet. Interim qui ſe diſtractos eſſe advertunt, attentionem ſuam ſuſcitare & revocare debent, alioqui diſtractio voluntaria fieret.

Dico 2°. non requiritur attentio actualis, non ſufficit habitualis; ſed requiritur & ſufficit virtualis.

Prob. 1. pars, tum ex unanimi Doctorum ſaniorum conſenſu, tum quia attentâ humanæ mentis levitate, vix ac ne vix quidem fieri poteſt ut homo ad id quod agit ſemper actu cogitet, & imaginationem conſtanter coërceat.

Prob. 2. pars. Attentio merè habitualis, prout sumitur in præsenti, ea est quâ quis ex habitu solùm fundit preces, nullo præmisso actuali proposito, vel saltem eo moraliter extincto, sive quia revocatum est actibus contrariis, sive quia renovatum non est: Atqui hæc attentionis species non sufficit ad actum religionis, qualis est Horarum recitatio; Ergo.

Prob. 3. pars, ex præcedentibus. Si quæ enim requiratur attentio, & non sufficiat habitualis, nec penes nos sit actualis, superest ut sufficiat virtualis: intentio enim interpretativa, vel ad virtualem reduci potest, vel si non possit, locum hîc non habet.

Dico 3°. non requiritur attentio *litteralis*, seu ad sensum verborum, sed requiritur & sufficit attentio spiritualis, seu attentio tum ad verba ut debitè & integrè recitentur; tum etiam ad Deum, aut rem ab eo postulatam cum respectu ad ipsum.

Prob. 1. pars, quia multi ad Officium tenentur, ut juniores Clerici & Moniales, qui verborum sensum intelligere non possunt.

Prob. 2. pars quia Officii recitatio debet esse vera oratio vocalis: atqui ad hoc duo requiruntur; 1°. ut qui recitat, verba debitè pronuntiet; 2°. ut mentem ad Deum, *quantùm* ipse *Deus dederit*, elevatam habeat. Neutrum autem fieri potest absque interiori intentione tum ad verba, tum ad Deum minùs aut magis explicitè consideratum.

Cap. De lentes.

Quæres an Beneficiarius qui in habituali ad mortale peccatum affectu constitutus, Officium recitat, satisfaciat Ecclesiæ præcepto, adeòque faciat suos Beneficii fructus.

R. 1°. fieri posse ut satisfaciat, quia fieri potest ut homo peccator piè oret, licèt non meritoriè de condigno, ut suprà dixi, pag. 432.

R. 2°. Vel ille Beneficiarius aliquod tametsi adhuc debile habet desiderium à peccato suo exeundi, & ad Deum revertendi; vel actuale habet propositum peccandi ut anteà. Si primum, utiliter & piè orat; talisque *oratio Spiritu Dei non* quidem inhabitantis,

sed moventis & pulsantis animatur. Si secundum; ad minùs dubium est an satisfaciant; quia ad minùs dubium est an verè & piè oret, qui nedum aliquid sancti desiderii animo gerat, flagitium & iniquitatem *actu* meditatur in corde. Ita senserunt Sorbonici quidam Doctores, quos eo de casu inter juniores Clericos non satis raro consului; & à quibus qui in hâc perpetuæ impietatis dispositione Officium recitaverant, ad restituendum obligati sunt.

ARTICULUS QUINTUS.

De Officii recitatione in Choro.

DUæ hîc non levis momenti proponuntur quæstiones. Prima, an peccent Beneficiarii Choro addicti, qui sine rationabili causâ absunt à Choro dum canitur Officium. Secunda, an non solùm Officio interesse, verùm etiam & cum aliis, prout possunt, psallere teneantur. Sit

CONCLUSIO I. Canonici, aliique Choro addicti, qui Officio non intersunt, nisi materiæ lævitas excuset, graviter peccant, & ad restituendum tenentur. Ità omnes.

Prob. 1°. ex cap. unico *De Clericis non residentib.* in 6. quod à Concilio Trid. renovatum est, ubi sic: *Statuimus, ut distributiones quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis Beneficiatis, & Clericis ipsarum Ecclesiarum, qui iisdem Officiis in ipsis Ecclesiis adfuerunt, tribuantur. Qui verò aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, exceptis iis quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret, rerum sic acceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; imò ad omnium restitutionem.... teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis, idem decernimus observandum.*

Sess. 24. 12.

Prob. 2°. Qui ex officio & propter stipendium aliquam actionem facere debet, peccat si eam non

fecerit, & ad restituendum tenetur: Atqui Canonici ex officio tenentur Horas canere; & propter id stipendium accipiunt; Ergo.

Dixi, *nisi materiæ levitas excuset*, quia Concilium Basileense Sess. 21. art. 1. & Pragmatica Sanctio Caroli VII. tit. 11. statuunt ut ii solùm pro totâ Horâ absentes reputentur, *qui in Matutinis ante finem Psalmi* Venite exultemus; *in aliis Horis, ante finem primi Psalmi; in Missa, ante últimum* Kyrie eleison, *usque in finem divino Officio non interfuerint.* Porrò verisimile non est negligentiam hanc à mulctâ liberam futuram esse, si foret mortale peccatum: quanquam hîc subsit venialis culpa, quia partem officii sui omittere cùm impleri potest, non vacat à peccato. Imò, ut scitè annotat Suarez, *Si quis haberet formale aut virtuale propositum semper omittendi in singulis Horis partes illas quas sine mulctâ omittere potest, certè non videtur securus in conscientiâ, tum quia illud objectum simul sumptum grave est, tum etiam quia ille affectus ostendit quemdam servilem animum inserviendi Choro solùm timore pœnæ, vel affectu lucri, quandoquidem quoties sinè jacturâ lucri omitti potest, ex deliberato animo omittitur.*

Lib. Hor. ca. 13. n. 7

Quanta verò requiratur à Choro absentia ut quis mortaliter peccet, definiri facilè nequit. Censet contra Suarem Habertus eum qui die unâ aut alterâ abesset à Choro, non peccaturum mortaliter; quia hæc omissio levis est si comparetur cum assistentiâ per ducentos & ultra dies continuatâ. Ceterum graviùs peccat Canonicus ex cujus absentiâ grave damnum patitur Ecclesia, v. g. quia Officium eo absente cadit, aut longè segniùs perficitur: quod de iis præcipuè & indubiè verum est qui ratione muneris sui specialem Chori curam gerere tenentur.

Hinc colliges 2°. peccare & ad restituendum pro ratâ teneri Canonicum, qui non solùm ab omnibus Horis minoribus, sed etiam ab unâ integrâ abest. Et id verum est, etiamsi per hujusdem Horæ tempus, Missam celebret, nisi celebret ob aliquam

necessitatem, aut ex præcepto eorum ad quos id præcipere pertinet, aut demùm *nisi à Sede Apostolicâ aliter concessum fuerit.* Ità Concilium Mediol. IV. part. cap. 13.

Colliges 2°. pessimè alicubi sancitum esse ut Canonicus lucretur diei totius distributiones, modò ex septem Horis, tribus intersit; vel ut unâ per hebdomades singulas die abesse possit, ultra tempus à Concilio Tridentino, aut speciali locorum lege, eâque approbatâ constitutum; tum quia inde minuitur cultus Dei, tum quia Synodus Trid. hoc prohibuit. Sess. 24. *De Reform.* cap. 12.

Colliges 3°. irritum pariter esse Statutum quo Capitula quædam Belgii & Galliæ constituerunt, ut Canonici jubilati, seu qui per annos 30. Canonicatum in aliquâ possident Ecclesiâ, ab omnibus dispensentur Officiis, præterquam in diebus Dominicis & Festis. Ratio est, quia nullum Capitulum per Statuta sua derogare potest juri communi quo sancitum est, ut Canonici omnes extra tempus induciarum Choro accuratè intersint, nisi obstet infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas.

Colliges 4°. Archidiaconos, Theologales, Pœnitentiarios, eosque Canonicos qui sunt *de comitate* Episcopi, & ut tales à Chori præsentiâ eximuntur, peccare, nec fructus facere suos, si Officio non intersint, quoties non sunt legitimè impediti: quia intentio Ecclesiæ non est, ut ii percipiant reditus, qui Officii defectum, labore non compensant.

Obj. 1°. Fatentur omnes Canonicum non teneri interesse *obitibus* ut aiunt, id est, iis Officiis quæ pro mortuis dicuntur; Ergo nec ceteris adesse tenetur.

R. Vel Officium mortuorum, ex consuetudine legitimè introductâ, facit partem Officii diei, vel non facit, ut cùm dicitur ex speciali gratiâ pro aliquo ad preces ejus, vel ratione fundationis sic acceptatæ, ut Canonici qui Officio adesse voluerint, manuales percipiant distributiones, iisdem privandi

si adesse nolint. Si 1. peccant Canonici qui à tali Officio se dispensant, & qui sinè justâ causâ absunt, idem privatim recitare tenentur, etiamsi studiis vacent in Universitatibus, prout docet S. Thomas, quodlib. 6. art. 8. Si 2. non tenentur quidem Canonici interesse prædictis mortuorum Officiis, utpotè quæ Officii Canonici partem non faciant; at inde colligi nequit eos pariter abesse posse à ceteris Officiis, cùm ideò Canonici sint, ut ea decenter persolvant.

Obj. 2°. Multi Fundatores Ecclesiam reditibus auxêre, quo tempore noverant persuasum esse Canonicis se non teneri ad assistendum Horis illis; Ergo nunquam intenderunt hoc onus iisdem imponere.

R. neg. conseq. Ea enim fuit & esse debuit Fundatorum intentio, ut Canonici Officium celebrarent meliori quo fieri posset modo, conformiter ad Canones; Ergo & intenderunt ut Canonici à nullo se dispensarent Officio absque verâ & rationabili causâ. Et certè fuerunt qui fundationes fecerint quo tempore noverant multos esse è Clero, qui nec piè, nec attentè satis altari deservirent: an ergo non peccabit Canonicus, qui vivet ut vixerunt qui hujusmodi fundationes acceptavêre?

Saltèm, inquies, Canonici qui Cantores habent conductitios, non tenentur in Choro cantare, quia nihil Fundatorum interest an Officium divinum per hunc aut per illum impleatur; ut patet ex iis qui Beneficia simplicia habent, quibus satis est si Missas per alios celebrari faciant.

R. Eam agendi rationem quæ Cantoribus quæstu conductis Dei laudandi curam dimittit, repugnare tum Conciliis, tum Fundatorum intentioni, tum æquitati naturali. 1°. Repugnat Conciliis: *Omnes verò*, ait Trident. ubi suprà, *divina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia.* Concilium Cameracense an. 1565. *In Choro*, inquit, *cùm psallitur, Canonici omnes...... psallant; nec putent se functos Officio, si vicariâ tantùm operâ cultum divinum celebrari curent.* Idem præceperunt Concilia

Burdigalense & Turonense anni 1183. cum aliis pluribus : certè non desunt hìc Canones, sed Canonum executores ; 2°. expressè repugnat Fundatorum intentioni, quæ fuit, prout ex actis fundationum penè omnium liquet, ut divinum Officium ageretur decenter & dignè Deo : an verò dignè Deo peragitur Officium, quod cùm à viginti & ampliùs personis celebrari deberet, peragitur à quatuor aut quinque Clericis, imò Laïcis, vitæ aliquando parum integræ, & qui tam rapidè currunt, ut juxta Concilii Trevirensis verba, non tam laudare Deum videantur, quàm insanire ? 3°. demum æquitati repugnat hæc Officii divini per mercenarios obeundi ratio. Si enim meritò proscripta sit ab Alexandro VII. proposito hæc : *Potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ*, ut favens avaritiæ, turpi lucro, & injustitiæ ; quid dicendum de Canonicis qui retento sibi pingui stipendio, vix ullum Ecclesiæ obsequium præstant ?

Nec juvat quod additur de possidente Beneficium simplex : cùm enim Fundatores hæc Beneficia conferre soleant juvenibus, qui per se eorum onera implere non possunt, satis indicant sibi sufficere si munia hæc per alios impleantur, donec à Titularibus impleri possint. Aliud porrò est de Canonicis, nisi publicè doceant, vel studeant in Scholis : Unde colliges Punctatorem cui cura incumbit eos notandi qui vel seriùs ad Officium accedunt, vel citiùs egrediuntur ; si quibusdam parcat, teneri ad restituendum *tantumdem de suo, pro prætermissæ, omissæve cujuslibet notæ aut punctationis ratione.* Idem sancit Concilium Mediolanense I. part. 2. c. 41. de Thesaurario, *si distributiones eorum, qui errati vel absentiæ causâ notati fuerint, persolvat.* Indubiè autem & Punctator & Thesaurarius ad restituendum de suo tenerentur, si vel is aliquem immeritum notaret, vel iste eidem scienter debitum stipendium denegaret.

Id. Sess. c. 1. *Trident.*

CONCLUSIO II. Non sufficit ut Canonici modestè & assiduè Choro assistant, sed & necessarium est ut psallant quantùm possunt; & nisi faciant, ad restituendum obligantur.

Prob. 1°. ex Concilio Basileensi Sess. 21. cap. 3. ubi sic: *Cùm Canonici in Chorum psallendi gratiâ conveniant, juncta & clausa labia tenere non debent; sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur..... Nemo ibidem, dum Horæ in communi publicè cantantur, legat vel dicat privatim Officium;* sic enim *obsequium quo obnoxius est, Choro subtrahit.... horum autem transgressores, illius Horæ in quâ circa prædicta excesserint, vel alia majori prout transgressionis gravitas exegerit, plectantur pœnâ.* Atqui verba hæc quæ in Pragmaticâ Caroli VII. Sanctione repetuntur, vim legis in Galliâ & alibi habere debent; Ergo.

Cap. 1 Pragm.

Prob. 2°. quia vera imposita est Collegio Canonicorum Officii canendi obligatio; ad hoc enim reditus percipiunt: Atqui obligatio hæc ità totum corpus afficit, ut afficiat singulos, nec est cur unus potiùs obligetur, quàm alter. Ergo sicut Parochi non præsentiam solùm, sed & ministerium suum Beneficio suo impendere tenentur; sic & Canonici servitium suum Choro debent, & contra justitiam peccant, si se ab eo dispensent.

Nec dicas consuetudinem in hoc puncto, sicut in aliis pluribus, juri communi derogasse. Nam 1°. nulla consuetudo præscribere potest contra jus naturale: Atqui jure naturali qui stipendium recipit propter aliquod munus, munus illud implere tenetur; 2°. non usque adeò invaluit prætensa hæc consuetudo, ut Canonici quotquot sunt pietate & doctrinâ graves, eandem non improbaverint velut abusum: Atqui consuetudo cui pars sanior resistit, pro verâ consuetudine haberi nequit. Quòd autem multi pro eâ certent, non nocent; quippe *non minus peccat qui cum multis peccat, nec minus ardebit qui*

Albert Magn.

cum multis damnabitur ; 3°. quia consuetudinem hanc semper impugnaverunt Concilia, ut patet ex iis quorum verba citavimus, & aliis pluribus quæ congerit Pontas, v. *Chanoine*, cas. 6. Ergo tenendum in praxi cum Paludano, Majore, Adriano, Cajetano, Navarro, Comitolo, Covarruviâ, & aliis pluribus, eos qui Choro muti intersunt, distributiones non facere suas, adeòque pro ratione culpæ ad restituendum obligari.

Quæres 1°. an Canonici censeantur integrè Officium persolvisse, si eas Officii partes quæ in organo luduntur, privatim non recitent. R. negat. unde necesse est ut vel submissâ voce recitent id quod pulsatur in organo, vel ut idipsum altâ voce recitet aliquis Chori qui ab omnibus intelligatur.

Notat tamen S. Antoninus, 2. p. tit. 9. quòd *si quis Lectionem vel aliud quod in Choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodò conetur intelligere saltèm verba.* Imò, ait Innocentius IV. in cap. 9. *De celebr. Missarum. Si aliquem versum omittat, non peccat, nec etiam à capite Psalmi propter hoc revertendum est : quia, si fieret, posset aliquibus scandalum generari sine magnâ causâ.* Idem dicendum de iis qui pauculo tempore pulsandis campanis, volvendis libris, aut thurificando sunt occupati, & paucos aliquot versus omittunt, qui non possunt facilè resumi. Sed si propter hæc exercitia notabile quid omitterent, tenerentur repetere ; aliàs pro quantitate ejus quod omissum fuisset, venialiter aut etiam letaliter peccarent. Organista Beneficiarius, nisi privatim recitet id quod alii canunt, mortaliter peccat. Quod sponte ampliavero, etiamsi internâ attentione aliorum verba subsequatur. Ratio est quia sublatâ oratione vocali, prout tollitur in hoc casu, tollitur & Officium ecclesiasticum.

Quæres 2°. quid de his sit sentiendum qui tam præcipitanter canunt, ut alii versum sequentem inchoent, antequam præcedens ab aliis fuerit abso-

lutus. R. cum S. Antonino, eos mortalis peccati reos se facilè constituere : 1°. quia sæpè grave Laïcis scandalum ingenerant ; 2°. quia hæc recitandi ratio magnam continet irreverentiam adversùs Deum, ad quem homo pulvis & cinis eo loquitur modo, quo terrenos Principes alloqui non ausit.

ARTICULUS SEXTUS.

De causis ab Officii recitatione excusantibus.

PRima causa est impotentia, seu *physica*, cùm quis absolutè Officium recitare nequit, putà quia caret Breviario, nec memoriter scit ; seu *moralis*, cùm Officium persolvi non potest, sinè magnâ difficultate ; putà sinè magno capitis vel corporis incommodo aut dolore. Idem est si inter infideles degens, graves ab ipsis cruciatus probabiliter metuas, si ex Horarum recitatione agnoscant te Sacerdotem esse vel Religiosum. Ad pleniorem primæ hujus causæ intelligentiam,

Quæres 1°. an qui ex gravi febre, vel morbo convalescit, teneatur statim recitare. R. neg. Potest enim prudentis Medici vel Confessarii arbitrio, Horas per aliquot dies omittere, ob periculum reincidentiæ, & virium imbecillitatem. Quòd si Medicus vel in ejus defectum Superior judicet dubium esse, an Officii recitatio notabiliter nocitura sit, censent Casuistæ etiam stricti, nullam esse recitandi necessitatem, quia pia mater Ecclesia non intendit filios suos notabili periculo exponere.

Quæres 2°. an febris tertiana vel quartana, præsertim si per aliquot menses perduret, sufficiens sit Officii intermittendi ratio. R. neg. & ità fert communis sententia, quia hujusmodi febres, nisi multùm defatigent, satis relinquere solent intervalli & virium, ut quis Horis suis perfungi possit. Tandiu porrò infirmitas vel febris non censetur ab Officio dispensare, quandiu non impedit nè homo alia negotia gravia pertractet.

Hîc quædam notanda ; 1°. eum qui totum præ morbo Officium persolvere nequit , teneri ad eam partem quam potest : hinc damnata fuit ab Innocent. XI. hæc propositio : *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes , potest autem reliquas Horas , ad nihil tenetur , quia major pars trahit ad se minorem ;* 2°. eum qui non potest Horas legere ipsâ accessûs die , regulariter teneri ad recitationem aliis diebus quibus febri nōn corripitur , quia tunc cessat aut suspenditur causa non recitandi ; 3°. tutius & probabilius , ac consequenter necessarium esse , ut qui prævidet futurum ut propter febrim aut aliud impedimentum , die sequenti recitare non possit , pridie recitet Matutinum & Laudes : qui enim ad munus aliquod strictè obligatur , eo fungi debet cùm potest ; 4°. eum qui non potest solus recitare , teneri socium sibi adsciscere , si commodè possit. Idque verum est , etiamsi non teneatur ad Officium nisi vi Ordinis aut Professionis. Tunc tamen non tenebitur stipendio , nisi modico quodque sibi grave non sit , socium conducere. Major est sanè Beneficiarii cæcitate aut alio impedimento laborantis obligatio. Unde tenetur conducere socium quicum recitet , si sufficientes ad hoc fructus ex Beneficio percipiat. Quia qui socium non ità difficilè habere potest quicum recitet , verè potens est ad recitandum. Ceterùm qui socium habere non potest , eam debet partem recitare quam memoriter tenet ; quia præceptum quod ex toto nequit , saltèm ex parte impleri debet.

Ex hisce principiis colligunt aliqui , 1°. Canonicum surdum & cæcum , adhuc teneri Choro interesse , ibique mentaliter orare , aut ea quæ memoriter tenet , secum recitare : quia licèt cum aliis canere nequeat ; cum aliis Choro interesse potest , & magnum ædificationis exemplum præbere : 2°. eum qui Breviario careret , nec sciret memoriter , debere id compensare oratione vocali , aut piis meditationibus : quia quisque tenetur facere id quod potest

ut Deo secundùm Ecclesiæ intentionem servitium præstet.

Secunda causa est caritas, seu quælibet gravis & honesta occupatio, quæ sinè notabili sui vel proximi incommodo differri vel omitti non potest; ut si quis periculosè ægrotantis confessionem ad medium noctis protrahendam excipere debeat: si quis ad concludendam pacem, & finem seditioni imponendum vocatus, per diem totam impediatur. Ratio est, quia caritati, ut quæ virtutum regina sit, ceteræ virtutes cedere debent. Idem est de eo, qui in magni Festi die, vel tempore Jubilæi, tantâ obruitur Pœnitentium multitudine, ut iis omnibus simul & Breviario satisfacere non possit. Caveant tamen Confessarii, nè qui recitandi Officii tempus non inveniunt, pulsquàm par sit temporis inveniant ut somno & refectioni vacent.

Quæres, an Concionatores, ii præsertim qui memoriam felicem à naturâ sortiti non sunt, ab Officii recitatione immunes sint.

R. negat. nisi fortè quis paulò pòst concionem habere debeat in die admodum solemni, eamque sinè notabili tum suì infamiâ, tum affluentis populi murmure & scandalo omittere nequeat, & ipsam ob gravia quibus obrutus est negotia, memoriæ mandare non possit, nec mandaturus sit si Officium recitet. Et is quidem casus satis est metaphysicus; cùm parum illud temporis quod ad privatam Officii lectionem sufficit, vix ità concionis studio necessarium esse possit, ut alioqui concio memoriæ committi nequeat.

Tertia causa, est dispensatio: hæc à Romano Pontifice justâ de causâ concedi potest ipsis etiam Beneficiariis de quibus major est difficultas; quia non desunt casus in quibus nè ipsi quidem Fundatores ab iis exigerent Officii recitationem, ut si, quod rarissimum est, Beneficiarius in gratiam fidei debeat aliquid magnum aggredi, quod cum recitatione Horarum non cohæreat: aut si oculorum

debilitas, dolor capitis, vertigines, recitationis cessationem postulent; item, si Clericus evaserit conscientiæ tam scrupulosæ, ut nisi ab Officio cesset, amentiæ periculum incurrat, & tamen ad victum suo opus habeat Beneficio. Extra hos aut similes justæ necessitatis casus non prodesset Breviarii dispensatio etiam à Romano Pontifice concessa.

Episcopi verò ab Officii recitatione dispensare non possunt; quia inferior in lege superioris non dispensat, nisi de ejusdem consensu; porrò Ecclesia, Romanusve Pontifex, nullibi leguntur hujusce dispensationis facultatem Episcopis concessisse. Possunt tamen iidem junioribus Beneficiariis permittere, ut studiorum causâ parvum B. Virginis Officium loco majoris Breviarii recitent; prout contra Pontas docet Autor Collat. Andeg. ob communem Episcoporum Galliæ praxim, quos nemo nisi imprudens temeritatis transgressionisve insimulaverit. Sed duo addit idem Scriptor; 1°. commutationem hanc non concedi ordinariè, nisi iis qui Beneficia habent reditûs tam modici, ut non adæquet summam ad titulum Ecclesiasticum diœcesanâ lege requisitam. (Si non idem titulus cunctis constitutus sit, in computando Beneficiis reditu habetur ratio minoris taxæ.) 2°. eandem commutationem non concedi iis qui jam annorum 15. ætatem attigerint, idque si interim studiis vacent, & hæc est Curiæ Romanæ praxis; quamquam dispensatio concessa juniori Beneficiario, qui valetudine satis infirma uteretur, eidem etiam si annos 15. excederet, continuari posse videretur.

Tom. 2. de Contract. p. 374.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Ad quid teneantur qui Officium omiserunt.

DIco 1°. Qui hodie Officium etiam culpabiliter omisit non tenetur idem cras legere. Ratio est, quia Officii hujus obligatio, huic diei est affi-

a; Ergo transactâ hâc die nulla est obligatio reci-
indi, superest tamen magna peccati hujus per pœ-
itentiam reparandi obligatio. Monet autem S. Tho-
ias, quodl. 3. q. 13. *non esse* à Confessario *injungen-
um ei qui omisit dicere divinum Officium, quòd Horas
isdem repetat*, quia eæ sæpiùs tempori non con-
ruerent, *sed aliquid ad laudem divinam pertinens,
ità ut dicat septem Psalmos, vel unum psalterium,
el aliquid amplius secundum qualitatem delicti.*

Dico 2°. *qui Horas canonicas uno vel pluribus die-
us intermiserit, omnes Beneficii seu Beneficiorum
orum fructus, qui illi vel illis diebus responderent,
quotidie dividerentur; qui verò Matutinum, tantùm
midiam; qui ceteras omnes Horas, aliam dimidiam;
ui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem
ei amittere debet.* Ità Pius V. Constitutione *Ex
roximo.* Quæ ut melius intelligantur,

Quæres 1°. an qui Officium omisit, ratus incul-
abiliter seipsum recitasse, teneatur ad restitutio-
em pro ratâ partis quam omisit. R. negat. 1°. quia
eritò præsumitur Fundatores non intendisse eos
l restitutionem obligare qui aliquam Officii par-
m inculpatè omitterent, cùm pœna quæcumque
sta culpam præsupponat; 2°. quia Pius V. eos
lùm ad restituendum teneri decernit, qui *legitimo
cessante impedimento* Officium omittunt: porrò obli-
o naturalis, quæ ignorantiæ invincibili compara-
r, legitimum est & non culpabile impedimentum;
ut legitimum est impedimentum illius cui fures
reviarium arripuêre, & qui aliud invenire nequit.
uòd si oblivio culpabilis foret, putà quia prævi-
eri debuerat, ut quæ jam non semel contigisset,
nc omissio recitandi esset veri nominis peccatum,
eoque restituendi obligationem induceret.

Quæres 2°. an qui hodie omisit Officium, faciat
actus suos si cras utriusque diei officium recitet.
. negat. Ratio est, quia talis reverâ non satisfacit,
ım Officii sicut & jejunii onus diei affixum sit.

Nec dicas Capellanum qui feriâ tertiâ Missam in

aliquo Sacello celebrare debet, esse à restituendo immunem, si eam die sequenti celebret. Nam 1°. id falsum erit, si legitimâ de causâ stipulatus sit Fundator ut Missa tali prorsùs die celebretur. Sic qui stipendium recepit, ut pro obtinendâ moribundi sanitate Missam celebret, tenetur ad restituendum si eam differat donec alter è vivis excesserit; 2°. si Capellanus in casu proposito à restitutione eximatur, utique quia censetur Fundator Missam huic præcisè diei non necessariò alligare voluisse: Atqui officium de hoc Sancto, vel de hâc feriâ, huic diei annexum est ex communi sententiâ; Ergo.

Quæres 3°. an Beneficiarius ad restituendum teneatur ante Judicis sententiam. R. affirm. quia obligatio restituendi in iis qui pacto suo desunt Officium non recitando, juris est naturalis; ac proinde ex naturâ rei, & independenter ab hominibus adimplenda. Hinc meritò proscripta fuit ab Alexandro VII. propositio ista, *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiariis recitantibus, non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.* Etverò quot Beneficiarii nunquam restituerent?

Hic obiter repeto quod jam dixi, & plurimos terrere debet, parem esse conditionem illius qui non recitat, & qui non eo recitat modo quo recitandum est, v. g. sinè attentione actuali vel virtuali, &c.

Quæres 4°. an is etiam Beneficiarius qui primis sex mensibus non recitat, teneatur ad restituendum. Ratio dubitandi desumitur ex citatâ Pii V. Bullâ, quæ restitutionem iis solùm imponit, qui *post sex menses ab obtento Beneficio Officium non recitant.*

R. tamen affirm. 1°. quia Beneficiarius recitationem debitam omittens peccat contra justitiam commutativam; cùm Stipendiarius illud ex justitiâ facere teneatur, pro quo stipendium accipit: porrò qui justitiam commutativam lædit, eo ipso tenetur ad restituendum; 2°. quia Bulla Pii V. non excusat positivè à restituendo Beneficiarium de quo agitur, sed negativè tantùm quatenùs nihil contra ipsum

decernit ; Ergo relinquit res in eo statu in quo anteà erant ; Ergo non minùs post eam Bullam quàm ante , restitutioni subjacet, qui Officio deest.

Quæres 5°. an Beneficiarius qui omisit Officium, sed alia Beneficii sui munera implevit , Parochus, v. g. qui Sacramenta ministravit, ægros invisit, temporalium Beneficii bonorum curam egit, ad eandem obligetur restitutionem , ac si nihil horum effecisset.

R. neg. quia qui partem laboris quem debet, præstitit, partem stipendii retinere potest, nisi eâ privetur per legem quæ sit in vigore : porrò Bulla Pii V. quæ Beneficiarium Horas omittentem toto Beneficii reditu privare videtur, cum tanto rigore recepta non fuit , ut docent saniores Theologi. Quotam verò pro obsequiis suis partem sibi retinere possit Beneficiarius, ex eorumdem obsequiorum naturâ & quantitate judicari debet.

Quæres 6°. unde & cui facienda sit prædicta restitutio.

R. ad 1. eos qui Beneficii reditus consumpserunt, ex bonis patrimonialibus, si quæ habeant, restituere debere ; quia quidquid percipiunt detractâ legitimâ sustentatione , stricto jure pauperibus debitum est ; Ergo si restituerent ex fructibus Beneficii, restituerent ex eo quod jam debent, quæ restitutio non valet. Quòd si nullos habeant reditus nisi Ecclesiasticos, impensis etiam legitimis parcere tenentur, ut obligationi huic, quantùm poterunt, faciant satis. Si verò modici sint eorum reditus, à restituendi onere immunes erunt, satisque erit si culpam admissam congruâ pœnitentiâ reparent, v. g. plus orando pro Fundatoribus, Missas ad quas non tenentur, celebrando pro iisdem, &c.

R. ad 2. restitutionem pauperibus locorum in quibus sita sunt Beneficia, faciendam esse, vel eorumdem Ecclesiis, si reparationibus indigeant, &c.

Duo hic addenda : 1°. damnatam fuisse ab Alexandro VII. hanc Casuistarum propositionem,

Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosinas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit; 2°. id quod dictum est de restitutione pauperibus facienda non habere locum in Canonicis, qui distributiones sibi indebitas recepissent : ii enim tenentur ad restituendum aliis Canonicis, qui bene & ut par est Officio interfuerint. Hi verò si illis remiserint jus suum, remissio illa, (nisi, quod rarum est, concedatur Canonico absenti tanquam pauperi) non eximit à restitutione denuò faciendâ, Canonicis qui præsentes fuerint, nisi eam ipsi pauperibus fieri consentiant. Ratio severitatis hujus fuit necessitas vitandæ collusionis : facilè enim qui interfuit Officio mulctam remitteret ei qui abfuit, ut is vicissim sibi remitteret, cùm voluerit abesse.

Nat. Alex.

CAPUT QUARTUM.

De Juramento.

HUjusce Capitis septem erunt Articuli. In primo juramenti essentiam & divisiones expendemus. In secundo, videbimus an juramentum sit licitum sit. Tertius, juramenti conditiones, & peccata quæ ex earum defectu contingunt, expendet. Quartus dicet de juramento cum amphibologiâ & restrictione mentali. Quintus juramenti obligationem indagabit. Sextus erit de interpretatione juramenti. Septimus de causis quæ ejus obligationem impediunt aut tollunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentiâ & divisione juramenti.

JUramentum, quod & Sacramentum dicitur, definiri potest, *Invocatio Dei in testem eorum quæ asseruntur aut promittuntur,*

: 1°. *invocatio Dei*, id eſt, actio quâ Deus
ritas vocatur, quantùm in eo eſt qui jurat,
omni exceptione major, rogaturque ut in-
io teſtimonio veritatem latentem aperiat;
em hìc & nunc, hoc enim eſſet tentare
ed quando ei viſum fuerit, & ſaltèm in
ii, *cùm illuminabit abſcondita tenebrarum*,
h. 4.
r 2°. invocatio *in teſtem*; unde eæ voces;
eo loquor, Deus ſcit ità eſſe ut dico, &c.
juramenta, ſi enuntiativè tantùm profe-
uia ſignificant duntaxat, veritatem rei quam
, Deo cognitam eſſe: ſi verò invocativè
ut ſæpiùs contingit, veri ſunt nominis ju-
, quia tunc adducitur Deus in teſtem. Hinc
li ad Galat. 1. *Ecce coram Deo quia non*
pro juramento haberi ſolet.
r 3°. in teſtem *eorum quæ aſſeruntur, &c.*
amenti finis eſt ut confirmentur ea quæ
ur, vel promittuntur.
es an ad juramentum requiratur intentio
id eſt, non ſolùm proferendi verba quibus
teſtem adducitur, ſed ea proferendi ex
Deum invocandi in teſtem.
irmat. 1°. quia non magis juramentum, ſine
ntentione verum eſt juramentum, quàm
inè vovendi intentione: Atqui ſinè vovendi
e votum non ſubſiſtit, etſi exteriùs expri-
Ergo 2°. quia juramentum debet eſſe actus
, non ſolùm quatenus eſt quædam locutio
is, ſed etiam quatenus eſt juramentum:
ramentum non poteſt eſſe actus humanus in
uramenti ſinè intentione jurandi; 3°. quia
muni ſententiâ prolatio ejuſdem verbi, ali-
juramentum eſt, aliquando non, ut patet
i aliquid aſſerunt per ſuam fidem; Ergo ju-
m ab intentione pendet.
ctis colliges quaſdam eſſe loquendi formulas,
amentum diſertè continent, quaſdam quæ



dicantur.

3°. Iſtæ Juramentum eſſe non cenſer *certiſſimè*, *ſinè dubio*, *verè*, ſeu *in verit* *ritate meâ*; ſecùs ſi dicatur, *in verita* *Dei*. Hîc tamen conſulenda eſt loqu quæ plerumque eſt jurandi; & optim iis loquendi modis abſtinere: tum q ſunt, tum quia exponunt ſcrupulo; culæ quibus familiaria ſunt hæc ve facti juramenti accuſare.

Negant multi hæc verba, *in fide*, *p* juramentum eſſe; quia eæ voces, ſi citer proferantur, de fide tantùm hu ſolent: & verò nullus putat id ſibi promiſſum fuiſſe, quod quis promiſe Res adhuc clarior eſt, cùm aliquid ad hæc ad humanum determinetur, ut ſ *viri probi*; *in fide regiâ*, vel *viri r* verò etiam interiùs dicat, *In fide Dei* vel *chriſtianâ*, aderit juramentum ſec quia chriſtiana fides eſt res valdè ſacra tatio per rem ſacram, eo ipſo eſt ju

n homine christiano. Eo sensu dicit Cleri-
e *Clerici*, & Religiosus *in fide Religiosi*,
iotetur fides divina, sed ut commendetur
ex circumstantiâ personæ. Hæc tamen,
;ore vera sunt, consulenda semper est
ɔquentis; & multò satiùs est hos loquendi
ritare, qui dubium relinquunt, scandalum
& in foro exteriori pro juramentis haberi

dæ eæ voces quibus nimiùm utuntur &
nobiles, *Caput* aut *venter Dei*, *Deum ne-*
s sunt blasphemiæ quàm juramenta.
ntum dividitur 1°. ex parte materiæ in
n & promissorium. Primum illud est quo
ı Dei attestatione asserimus aliquid esse
Secundum verò illud est quo confirmamus
ollicemur, unde juramentum hoc necessa-
ım respicit. Sub promissorio continetur
:orium quo pœnam minamur, & alteri in-
. promittimus.
amentum ex parte modi dividitur in expli-
ɹo Deus disertè invocatur in testem, ut
um; & implicitum, cùm quis jurat per
. Quod fit 1°. cùm considerantur prout in
iter elucet, vel apprehenditur numen di-
2°. cùm considerantur ut aliquod nostri
ɹuod sub hoc respectu Deo obligari veli-
unc est juramentum execratorium, ut dum
oseph, Genes. 42. *per salutem Pharaonis*:
amenti is est sensus: Conservet Deus
m, si verum; non conservet, si falsum
. cùm falsò existimatur inesse creaturis di-
& tunc non tam est juramentum, quàm
ia, aut quædam idololatriæ species.
amentum dividitur in simplex & solemne.
illud est quod fit per simplicem Dei invoca-
verbis, signisve æquivalentibus expressam;
verò, quod fit peculiari ritu aut ceremoniâ
ı legem aut consuetudinem verbis additâ.

Tale eſt juramentum quod fit tactis Evangeliis, Arâ, Cruce, vel etiam coram Notario, teſtibus, &c.

4°. Juramentum aliud eſt judiciale quod præſtatur in judicio, ſeu coram Judice legitimè interrogante; aliud extrajudiciale quod fit extra judicium.

Juramentum judiciale vel eſt voluntarium, quod ex partium conventione præſtatur; vel neceſſarium, quod à lege vel à Judice præcipitur ad finiendam litem, ad purgationem criminis, ad probandum te ſatisfeciſſe debito quod exigitur. Hoc juramentum deferri ſolet reo (*au défendeur*,) niſi res agatur apud Mercatorum Conſules, ii enim ſolent juramentum deferre actori (*au demandeur.*)

Rurſus juramentum judiciale vel præſtatur initio litis, & tunc vocatur juramentum *calumniæ*, quo nempe proteſtantur ii qui inter ſe litigant, ſe litem non ſuſcipere, niſi quia exiſtimant juſtitiam è partibus ſuis ſtare; & hoc juramenti genus jampridem in Galliis exploſum eſt : vel præſtatur in litis progreſſu vocaturque *deciſorium*; & tanti eſt ponderis, ut tranſactionis vim habeat, unde judicium quod conſequenter latum eſt, ſub nullo etiam perjurii prætextu reſcindi poteſt.

5°. Juramentum aliud eſt verbale, quod verbis exprimitur; aliud reale quod fit adhibitis ſignis vice verborum; aliud mixtum, in quo verbis adjungitur actio corporalis, ut ſi verbis accedat Aræ, vel Evangeliorum tactus; quæ ſolemnitas adhibetur, ut quis majori cum deliberatione & reverentiâ juret.

6°. Juramentum dividitur in conteſtatorium, & execratorium. Conteſtatorium illud eſt in quo Deus ſimpliciter vocatur in teſtem, ſinè ſuî vel alterius obligatione ad pœnam, ut *Teſtis eſt mihi Deus.* Execratorium, illud eſt quo Deus vocatur non in teſtem duntaxat, ſed & in punitionem noſtrî, vel alterius ad nos pertinentis, ſi verum non loquimur: & hoc juramenti genus vel fit explicitè, ut ſi quis dicat, *Si mentior, moriar in loco;* vel implicitè, ut cùm quis jurat per vitam ſuam, aut alterius ſibi chari. Hujus juramenti

ramenti exemplum habes, I. Reg. 14. *Hæc fa- t mihi Deus & hæc addat.* II. ad Corinth. 1. *Testem voco Deum in animam meam.*

9°. Dividitur juramentum in absolutum & con- ionale, sincerum & dolosum, apertum & am- guum; quæ per se intelliguntur.

Quæritur an juramenta præcedentibus divisioni- s assignata, à se invicem specificè differant.

R. neg. quæ enim conveniunt in eâdem ratione rmali, specificè conveniunt: Atqui prædicta jura- enta conveniunt in eâdem ratione formali, cùm his omnibus Deus sub eâdem ratione invocetur, mpè ut prima veritas. Quòd autem in juramento ecratorio Deus invocetur ut vindex, itèm quòd promissorio invocetur ut fidejussor, materiale : ad rationem juramenti; sicut ad rationem voti ateriale est quòd Deo promittatur paupertas vel ntinentia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Juramenti usu.

Uramenti usum licitum esse negavit post alios plures Wiclefus, cujus error 43. in Concilio onstantiensi proscriptus is erat, *non esse licitum rare ad firmandos humanos contractus.* Idem sen- unt exorti seculo xv. Anabaptistæ: contra quos nnes sit

CONCLUSIO. Juramento uti licet, si adsint re- uisitæ conditiones. Est de fide.

Prob. 1°. Quod Deus ipse fecit, cujus faciendi odum præscripsit; quod viri sancti tùm in anti- uo, tum in novo testamento fecisse leguntur; quod emum Traditio & Ecclesia licitum esse docent, il- d pro malo & illicito haberi non potest, sed è con- à pium & sanctum reputari debet: Atqui tale est ramentum. Prob. minor per partes.

1°. quidem *juravit Dominus*, uti docet Rex Pro-



Isaac & Jacob, Genes. 21. 26. & 32.
phetis, quibus familiaris fuit hæc formul
minus; sed etiam tempore legis evangeli
major est difficultas. Sic S. Paulus Rom.
est mihi Deus. II. Corint. 1. *Testem Deu*
animam meam. Meritò igitur S. August
180. *Invenimus*, inquit, *jurasse Sanctos*
sum Dominum in quo non est peccatum..
est peccatum jurare, sed magis pejerare.

4°. Denique licitum esse juramenti
Ecclesia, quæ sæpè juramenta exigit vel
ut constat ex titulis *De jurejur.* & *de te*
ejurandam hæresim, ut patet ex Conci
no & Constantiensi, ex Bullâ Martini
mulario Alexandri VII. &c.

* Prob. 2°. quia principium, finis,
juramenti, bona sunt, si debitæ occur
tiones. Nam juramento utimur, 1°. ob
divinâ infallibilitate existimationem :
principium liquet optimum esse; 2°. ut
siis finem faciamus, prout dicitur Heb
etiam finis bonus est; 3°. demùm, ut e
mus quæ cognosci aut confirmari expedit

iquis : Non perjurabis, reddes autem Domino ju-
ıenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omni-
, *&c.* Idem expressissimè docet S. Jacobus c. 5.
ıte omnia, inquit, *nolite jurare, neque per cælum,*
ıue per terram, neque aliud quodcumque juramen-
ı. Sit autem sermo vester, est, est; non, non, ut
ı sub judicio decidatis: Atqui hæc verba omne
ɔrsùs & quodcumque juramentum prohibent.
R. ad 1. neg. min. & dico Christum non prohi-
iisse juramentum simpliciter, sed facilitatem, adeò-
e & temeritatem juramenti. Salvator enim duos
arisæorum errores arguit. Primus erat juramen-
n per creaturas, non esse juramentum, cujus
ıculo quis obstringeretur; *Væ vobis*, ait Christus
atth. 23. *duces cæci, qui dicitis, Quicumque ju-*
verit per Templum, nihil est. Secundus erat, verba
ec, *Non perjurabis, reddes autem Domino jura-*
nta tua; ab iis solùm violari, qui falsum jurarent:
de pessima leviter & sinè causâ jurandi consue-
do passim inoleverat apud Judæos. Utrumque
rorem refellit Christus, ostendendo & verè jurari
r creaturas; & non esse ullâ ratione, aut ullo
ramenti genere *leviter jurandum.* Christum verò
rumce errorum confutationem sibi proposuisse,
tet ex ipso sermonis ejus initio, *Nisi abundaverit*
stitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum,
:. Porrò potuit Christus hasce opiniones confu-
re, absque eo quòd omne juramenti genus pro-
beret: satìs enim fuit ei, si juramenta quæ levi-
r & sinè causâ fiunt, prohiberet.

* Inst. 1°. Christus illud vetat juramentum, *
ıod permissum erat antiquis: Atqui solum jura-
entum ex causâ & necessitate permissum erat
ıtiquis; Ergo hoc ipsum prohibet Christus.
R. dist. maj. Vetat Christus illud juramentum quod
ıtiquis permissum erat, secundùm Traditiones
ıarisaïcas, C. quod permissum erat in rei veritate,
. Christus itaque non intendit eo loci revocare
ıncessam Judæis jurandi licentiam, quæ in ipso

naturali jure fundatur, & ad latriam pertinet, sed vel aliquas tollere imperfectiones quæ in ipsis *ad duritiam cordis* hactenus toleratæ fuerant, non secus ac libellus repudii; vel pravas circa quædam præcepta expositiones Pharisæorum abigere. Sic ex eo quòd dictum esset, *Non occides, non mæchaberis*, colligebant Pharisæi, eum non peccare qui vel simpliciter irasceretur, vel à crimine exteriori abstineret: *Ego autem dico vobis*, ait Christus, *quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*; atque hinc nova nobis exoritur probatio in hunc modum: Non magìs hæc verba, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, omne prorsùs juramentum prohibent, quàm ista, *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur... reus erit judicio*, omnem prorsùs iram prohibeant: Atqui posteriora hæc verba, tametsi quoad litteram generalia, non omnem prorsùs iram prohibent; sunt enim qui irascuntur & non peccant; Ergo nec ex citatis Christi verbis inferri potest omne prorsùs juramentum quocumque in casu prohibitum fuisse.

Psalm. 4.

Hæc solutio sufficit ad textum S. Jacobi. Addit tamen S. Thomas non hîc prohiberi juramentum simpliciter, sed juramentum per creaturas, tanquam per numina. *Judæi* enim, ait S. Hieronymus, *per Angelos & cetera jurantes, creaturas venerabantur Dei honore.*

2. 2. q. 575. a. 6.

† Inst. 2°. Juxta Christum quidquid dicitur ultra *est, est; non, non, à malo est*: Atqui quod à malo est, in nullo casu licitum esse potest; Ergo.

R. neg. min. Juramentum enim non dicitur esse malum, sed *à malo*, quia supponit infirmitatem, tùm ex parte illius cui juratur, tùm ex parte illius qui jurat: neque enim opus esset juramento, si homines hinc quidem satis creduli, illinc satis fideles essent. Porrò quod à malo est, sensu mox exposito, licitum, imò & quadantenùs necessarium esse potest in hoc infirmitatis statu. Solutio est Augustini Lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 17.

* Obj. 2°. Multi Patres docuerunt juramentum in

se malum esse. Ità inter alios S. Hieronymus in cap. 5. Matth. & refertur can. 8. XXII. q. 1. *Judæis*, ait, *quasi parvulis fuerat lege concessum* ut jurarent... *non quòd rectè hoc facerent, sed quòd meliùs esset Deo id exhibere quàm dæmonibus.* Tertullianus Lib. *de idololatriâ* cap. 11. *Taceo de perjurio*, inquit, *quando nec jurare quidem licet ;* & alii apud Suarem cap. 2. n. 2.

Respondent aliqui apud Suarem, nonnullos Patres hoc in puncto materialiter errasse, ut aliis in capitibus & aliquando majoris momenti erraverunt S. Papias, S. Cyprianus, &c. Verùm hujusmodi solutiones admitti non debent, nisi sint necessariæ. Itaque

R. cum aliis, existimasse Hieronymum juramentum etiam frequens & sinè magnâ necessitate, aliquando Judæis fuisse permissum, ut minùs malum, nè nempè per idola jurarent : quo posito citatus locus nihil habet difficultatis ; permissio enim non cadebat in juramentum purè & simpliciter sumptum, sed in ejus modum, frequentiam scilicet & crebriorem usum ; hunc autem jurandi modum non recipit Lex Evangelica, ut ibidem docet S. Hieron.

Quod ad Tertullianum attinet, is loquendo moraliter, illicitum dixit, quod rarum esse debet, multumque exigit circumspectionis.

Obj. 3°. Si juramentum sit actus religionis, meliùs quis faciet quantò plùs jurabit ; ut meliùs facit qui sæpiùs orat : Atqui falsum consequens.

R. 1°. neg. maj. Quia juramentum bonum non est, nisi comites habeat veritatem, justitiam & judicium ; quæ difficilè admodum occurrerent in juramento frequentiori.

R. 2°. neg. min. Reipsâ enim meliùs facit qui jurat, quàm qui abstinet à jurando ; unde peccaret qui nollet jurare, cùm juramentum exigit legitima autoritas. Neque tamen sæpe jurandum est, quia una è conditionibus ad juramentum legitimum requisitis, est ut nunquam juretur nisi cùm vera adest jurandi necessitas.

Quod additur melius facere eum qui sæpiùs orat; 1°. verum non est, nisi oratio fiat in debitis circumstantiis; malè enim faceret, qui diutiùs vacando orationi penè omnem rei domesticæ curam omitteret: 2°. ideò melius est orare, quàm non orare, quia non orare non est actus virtutis: non jurare autem actus est virtutis, simplicitatis nimirum quam sæpè commendat Scriptura. Porrò inter varias quæ secum pugnare videntur virtutes, eæ aliis præferri debent, quæ minùs habent periculi: sic matrimonio licèt bono anteferri debet virginitas, ut quæ hominem minus dividat, eique majorem uni Deo placendi libertatem largiatur.

1. *Cor.* 7.

---

† ARTICULUS TERTIUS.

De conditionibus ad licitè jurandum requisitis, ubi de peccatis in juramento contingentibus.

UT undique licitum sit juramentum, variæ requiri solent conditiones: 1°. ex parte illius qui jurat; 2°. ex parte illius per quem juratur; 3°. ex parte tùm modi, tùm materiæ; 4°. & ex parte eorum à quibus exigitur juramentum. De hoc ultimo agemus §. 2. de ceteris §. 1.

§. I.

Ad licitè jurandum, sufficit ex parte jurantis, si solùm jus naturale spectes, ut is & rationis usum habeat, & juramenti gravitatem non ignoret: utrùm verò hæc sufficiant in judicio, eorum est expendere qui juramenta exigunt. Certè non una est aut semper fuit eâ de re jurisprudentia.

Quod spectat ad eum per quem juratur, necesse est, ut is sit verus Deus, quia jusjurandum est actus latriæ; actum verò latriæ cuipiam impendere nisi Deus sit, letale est peccatum.

Sed hinc nascitur difficultas; an scilicet & quo modo liceat juramentum ab eo petere qui per falsos Deos juraturus est?

R. 1°. Nunquam licet petere determinatè ab aliquo ut per falsos Deos juret : tum quia qui hoc facit, consulit ac petit actum malum, & sic est ejus causa, quod nunquam licet : tum quia non licet ab aliquo petere quod is licitè præstare nequit ; nulli autem per falsos Deos jurare licitum est.

R. 2°. licitè peti posse juramentum ab eo quem constat per falsos Deos juraturum ; modò intercedat necessitas, vel gravis utilitas ; & non petatur determinatè ut per idola juret, ut statim dictum est.

Prob. quia tam licet petere juramentum ab aliquo, quamvis prævideatur ipsum jurando peccaturum esse, quàm liceat mutuum ab usurario petere, quamvis constet eum non daturum esse mutuo nisi sub usurâ, ideòque cum peccato : Atqui posterius licet ; Ergo & prius. Ratio ulterior est, quia in utroque casu petitur ab altero res in se licita, & quæ sinè peccato præstari potest : quòd autem res ea malè fiat, vitium est non petentis, sed agentis. Certè nè idololatra quidem unius Dei existentiam invincibiliter ignorat ; atque etiamsi eam ignorasset, desineret ignorare cùm testis est juramenti per unum verum Deum à Christiano emissi.

Jam dicendum de conditionibus quæ necessariæ sunt ut juramentum ex parte modi & materiæ licitum sit ; ex his porrò aliæ præcipiuntur jure ecclesiastico, quas omittemus quia obsoleverunt ; aliæ jure divino & naturali, & eæ tres recensentur à Jeremiâ c. 4. ubi sic : *Jurabis* : *Vivit Dominus*, *in veritate*, *& in judicio*, *& in justitiâ.* Enimverò si eæ conditiones desint, jam assumitur nomen Dei in vanum, dum ejus invocatione confirmatur id vel quod non est, vel tali confirmatione non indiget.

Ad *veritatem* juramenti requiritur, ut jurans credat certò & prudenter, non autem ex levibus conjecturis illud verum esse quod jurat : unde perjurus non est qui falsum jurat bonâ fide, & postquam inquirendæ veritati diligenter incubuit. Contrà verò perjurus erit, 1°. qui quod reipsâ verum est jurat,

si id falsum esse ex errore crediderit, aut si verum credat, sed ex levioribus conjecturis; 2°. qui dubius de rei veritate, rem jurat ut certam; quia ultra periculum perjurii cui se exponit, falsò jurat in actu exercito, cùm juret se certò scire id de quo dubitat, aut quod non nisi probabiliter cognoscit; 3°. qui, præsertim in judicio interrogatus jurat se id non fecisse, quod per alium fecit; quia quis dicitur fecisse quod per alium fecit; 4°. qui jurat sinè certitudine requisitâ, ut si jures aliquid esse, quod non videris fieri, cùm tamen ejus qui viderit juramentum requiratur.

15. ff. injur.

Ut juramentum fiat cum *judicio*, oportet ut non nisi ex necessitate, christianâ prudentiâ, & pro re gravi juretur: ut autem fiat cum *justitiâ*, debet esse de re licitâ & honestâ. Juramentum cui deest veritas, est & vocatur strictè perjurium: juramenta verò quibus deest judicium & justitia, non nisi latiori sensu ut plurimùm, perjuria dici possunt.

Certum est juramentum omne cui deest aliqua è recensitis conditionibus esse peccatum; quia in eo saltem irreverenter assumitur nomen Dei. Sed quæritur, an peccatum illud semper sit mortale: sit

CONCLUSIO I. juramentum solo judicii defectu vitiosum, non est nisi veniale peccatum, modò absit contemptus, scandalumve & periculum jurandi falsum. Ità omnes.

Prob. Quod levem duntaxat irreverentiam contra Deum continet, non est peccatum letale: Atqui tale est juramentum cui non deest nisi judicium. Hoc enim juramentum id solùm habet vitii, quòd in eo divina autoritas interponatur ad confirmandam rem parvi vel nullius momenti, non verò ad confirmandam falsitatem: Atqui irreverentia hæc non videtur esse omninò gravis; Ergo.

Nec nocet id Exodi 20. *Non habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà:* 1°. quia *frustrà, & in vanum*, idem est hìc ac mendaciter, ex communi Interpretum sensu; 2°. quia Dominus non habet insontem eum qui

etiam venialiter delinquit ; & nemo est qui nesciat peccatum etiam veniale gravissimis in hâc vitâ, & æternis in alterâ pœnis aliquando puniri.

Dixi , *modò absit contemptus ;* quia ratione contemptûs , solent peccata fieri mortalia. Idque adhuc evidentius est in præsenti , ubi contemptus in ipsum Deum per quem juratur , directè cadit ; contemptus enim Dei est gravissima illius injuria.

Dixi 2°. *& scandalum* ; gravis enim peccati fontes sunt , qui quod est in Religione sacratissimum , ut Christi mortem & sanguinem , sive per iram , sive in joco pronuntiant. Itèm , verba quæ in Laïcis non multùm arguuntur , in Religiosis & Sacerdotibus scandalum parere solent : de quo vide cap. 1. *de juram. calumn.*

Dixi 3°. *Si absit periculum jurandi falsum.* Quia periculum graviter peccandi , jam grave est peccatum.

Hinc colliges quid de iis sentiendum sit qui ex pravâ consuetudine jurant. Nam 1°. si mentiri non consueverint , sed juramenta confirmandæ veritati applicent sinè necessitate , sunt in statu venialis peccati , secluso ut diximus contemptu , qui multò faciliùs quàm credunt multi, irrepit in iis quæ fiunt ex habitu ; 2°. qui , ut sæpius evenit , promiscuè & indifferenter verum jurat , & falsum , is si advertentia sufficiens adsit , sinè mortali non jurat. Tales & ii judicari debent qui mentiuntur frequenter , & quibus , ut cum Salviano loquar , nomen Dei non videtur *sacramentum esse* , *sed sermo.* Tales & ii utcumque sunt , qui ità ex animo aliquid promittunt , ut si plusculùm attenderent , facilè perciperent se non servaturos esse promissum : sic mercator ferè statim jurat se mercem pretio viliori traditurum non esse , qui paulò pòst judicat è re suâ esse ut tradat.

Dixi , *si adsit advertentia sufficiens.* Nam 1°. inadvertentia invincibilis , qualis censetur in eo qui jurandi consuetudinem retractavit , & de eâ seriò dolet , ab omni peccato excusat ; 2°. inadvertentia

leviter culpabilis, excusat à gravi peccato, non à veniali. At inadvertentia verè voluntaria, qualis est in iis qui non retractant jurandi consuetudinem, ex quâ advertere possunt se multa miscere perjuria, nullatenus à mortali excusat : ac proinde iis qui illâ detinentur, negari debet absolutio, nisi pravam consuetudinem pro virili minuere satagant.

CONCLUSIO II. Juramentum cui deest justitia, seu quod fit de re malâ & illicitâ, sæpissimè est peccatum mortale.

Antequam probetur Conclusio, notand. juramentum de re malâ, vel esse assertorium, ut si jures Titium mentitum esse; vel promissorium, ut si jures te mentiturum esse. Utrumque vel est de re malâ venialiter, vel de re mortaliter malâ. Promissorium autem vel fit cum animo rem malam implendi, vel sinè eodem animo. Ut Conclusio per partes probetur.

Dico 1°. Qui sinè intentione faciendi jurat se facturum esse, rem etiam venialiter illicitam, mortaliter peccat.

Prob. quia is strictè perjurus est, utpotè qui Deum vocet in testem falsi : atqui strictum perjurium est peccatum mortale, ut infrà dicam, Ergo.

Dico 2°. Qui jurat se rem mortaliter malam esse facturum, sive cum animo, sive sinè animo ejusdem implendæ, mortaliter peccat.

Prob. 1. pars, quia qui adducit Deum in testem voluntatis efficacis quam habet mortaliter peccandi, se habet sicut servus cui non satis est transgredi grave domini sui mandatum, nisi insuper eum vocet in testem transgressionis suæ : Atqui hæc agendi ratio, quæ rebellioni addit contumeliam, à gravi noxâ excusari nequit; Ergo.

Prob. 2. pars, quia qui jurat sinè animo id exequendi quod jurat, strictè perjurus est, Deumque omnimodè assumit in testem falsi; Ergo ex hoc capite graviter delinquit.

Dico 3°. Probabile est eum qui jurat se pecca-

tum veniale facturum, nonnisi venialiter peccare, si animum habeat promissum implendi; alioqui enim esset strictè perjurus & mortaliter peccaret. Ità S. Antonin. 2. p. tit. 10. cap. 4. & alii multi contra multò pauciores.

Prob. quia tale juramentum nec infert gravem divinæ veritati injuriam, cùm supponatur factum ex intentione ejus implendi, nec divinæ bonitati graviter adversatur; cùm qui sic jurat, solùm velit interpositâ Dei autoritate testari se veram habere intentionem id faciendi quod jurat; quam quidem intentionem exequi potest sinè peccato mortali; cùm ècontra qui juravit se mortaliter peccaturum, non possit id sinè letali culpâ exequi, adeòque sit strictè & necessariò perjurus.

Dices: Qui jurat de re venialiter illicitâ, tenetur habere vi juramenti propositum peccandi venialiter; alioqui jurando contra veritatem mortaliter peccaret: Atqui gravis est irreverentia in eo quòd divini nominis assumptio hominem cogat ad habendum peccandi propositum; Ergo.

R. dist. Qui jurat, tenetur habere, id est reipsâ habet tale propositum, illudque vult per juramentum exhibere, C. tenetur habere consequenter ad juramentum, N. Porrò cùm inordinatio talis propositi sit solùm venialis, exhibitio ejus per juramentum, venialem malitiam superare non videtur. Quòd si quis vellet se in tali proposito per juramentum confirmare, ut ii solent qui execratoriè jurant, tunc utique videretur mortalem culpam admisisse.

Duo hìc notanda; 1°. etsi juramentum de re venialiter malâ non pertingat ad malitiam peccati mortalis, certum est tamen illud intra latitudinem peccati venialis, grave peccatum esse: longè enim pejus est jurare de re malâ, quàm de honestâ vel indifferenti sinè necessitate; quod tamen non fit sinè peccato veniali; 2°. juramentum hoc multis in casibus à mortali excusari non potest, quia proferri solet ex impotenti iræ impetu; porrò homo iratus

facilè judicat leve esse quod minatur, cùm reverâ grave sit: deinde sæpe advertere posset se post sedatam iram non esse illaturum malum quod minatur, adeòque strictè perjurus est. Adde quod hæc juramenta proferri soleant cum verbis blasphemiæ, quæ nunquam sunt sinè gravi peccato, ut docet Concilium Trecense anni 1427.

Dico 4. Juramentum cui deest justitia, si sit assertorium rei mortaliter malæ, est peccatum mortale.

Prob. quia qui jurat ut asserat illicitè rem mortaliter malam à proximo peractam, assumit nomen Dei ad cooperandum gravi injustitiæ, nempe ad efficiendum ut sibi de fratre suo detrahenti plena fides habeatur; hoc autem est grave peccatum.

Dixi, si *sit assertorium rei mortaliter malæ*: si enim asserat quis rem levem, non peccat mortaliter: utpotè qui nec Deo nec proximo gravem inferat injuriam. Imò nec peccaret, qui justâ de causâ confirmaret juramento hoc vel illud crimen à proximo peractum fuisse; nec graviter delinqueret, per se loquendo, qui revelaret cum juramento grandem proximi culpam, quæ paulò pòst ad omnium notitiam deventura sit.

CONCLUSIO III. Juramentum assertorium cui deest veritas, id est perjurium propriè sumptum, semper & in omni materiâ est peccatum mortale, nisi excuset inadvertentia. Conclusio summi est momenti, quia nihil perjurio frequentius est, præsertim in commercio.

Prob. 1°. ex S. Augustino, Serm. 180. *Perjurium*, inquit, *peccatum esse & grande peccatum nemo dubitat.*

Prob. 2°. ex gravibus quæ in perjuros sancitæ sunt pœnis, de quibus statim; eæ enim gravissimam esse perjurii culpam supponunt.

Prob. 3°. Si perjurium esset aliquando peccatum simpliciter veniale, maximè cùm est in materiâ levi: Atqui tunc etiam mortale est. Quod enim ex genere suo veniale est, aut etiam bonum, illud si

in Dei contemptum fiat, est peccatum mortale: Atqui *perjurium de suî ratione importat contemptum Dei; quia per hoc datur intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testari velit.* Ergo *ille* etiam *qui jocosè perjurat, non excusatur à peccato mortali.*

S. Thom. q. 98. a. 2. & 3.

Prob. 4°. ex censurâ hujusce propositionis quam perstrinxit Innocentius XI. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Dixi, *nisi excuset inadvertentia*, quæ sicut aliâ peccata, sic perjurii peccatum notabiliter minuere potest, & intra venialis culpæ limites coërcere.

Aptiora verò remedia quibus fieri potest ut quis deponat inveteratam jurandi consuetudinem, sunt ex parte jurantis, frequens confessio, eleemosyna, oratio brevis pro singulis juramentis quæ temerè prolata fuerint; ex parte Confessarii prudens absolutionis dilatio.

Quæres quibus subjaceant pœnis perjuri.

R. has statui in Jure canonico: 1°. qui pejeravit, aut alios sciens in perjurium duxit, *quadraginta dies* pœnitere debet *in pane & aquâ, septem sequentes annos; & nunquam* esse *sinè pœnitentiâ.* 2°. Perjurus debet Beneficiis quæ jam habet privari per Judicem, & ad futura judicari inhabilis, ex cap. 10. & 11. *de jurejur.* in quibus agitur de perjurio promissorio; 3°. perjurus nequidem post peractam pœnitentiam admittitur ad ferendum testimonium, licèt admitti possit, qui in alia cecidit crimina, si de iis pœnitentiam egerit, cap. 54. *de testibus, &c.* 4°. perjurus incurrit infamiam, si crimen ejus sit notorium.

XXI q. 5. c.

CONCLUSIO IV. Perjurium promissorium est vulgò peccatum mortale; sive absit intentio jurandi, dum exteriùs profertur juramentum: sive jurans non habeat actu intentionem implendi id quod promittit: sive intentionem quidem hanc habeat de facto, sed eam posteà mutatâ voluntate adimplere nolit, etiam in materiâ levi.

Prob. 1. pars; quia gravis est irreverentia, quòd quis Dei nomine utatur ad alios decipiendos, & Deum exteriùs in mendacii testem adducat; meritò igitur Innocentius XI. hanc anno 1677. reprobavit propositionem, n. 25. *Cum causâ licitum est jurare sinè animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Hæc nostra assertio vera est, sive juramentum legitimè postuletur, sive non; quia semper verum est quòd Deus exteriùs vocetur in testem falsi, quod sine gravi piaculo fieri non potest.

Prob. 2. pars. Peccat mortaliter qui strictè perjurus est, & Deum vocat in testem mendacii: sed qui jurat sinè intentione id quod juravit adimplendi, strictè perjurus est, etiamsi materia levis fuerit, ut patet ex dictis de perjurio assertorio.

Prob. 3. pars; quia ex dictis mortaliter peccat, qui in re etiam levi Deum quantùm in se est, facit testem falsi; sed qui non implet juramentum promissorium de re licitâ, quantulacumque ea sit, facit quantùm in se est Deum testem falsi. Sicut enim Deus efficitur testis falsi, quando sub ejus testimonio asseritur ut actu existens, id quod non est actu; ità efficitur testis falsi, quando non impletur, id quod sub ejus testimonio affirmatum fuit esse aliquando licitè implendum; quia Deus, quantùm fuit in voluntate jurantis, jam testatus est hoc esse suo tempore implendum. Ergo sicut qui jurando asserit id esse actu quod actu non est, peccat mortaliter, etiamsi materia levis sit; ità à pari peccat mortaliter, qui non implet id quod quantùm in se fuit, Deus ab ipso esse implendum testatus est.

Obj. 1°. ex S. Thomâ, q. 89. art. 8. Major est obligatio voti quàm juramenti: Atqui hoc non esset, nisi juramentum saltèm in materiâ levi sinè gravi peccato violari posset; cùm voti obligatio nonnunquam ad veniale peccatum decrescat, ob materiæ levitatem; Ergo fieri etiam potest ut juramentum sub peccato solùm veniali obliget.

R. dist. maj. Major est obligatio voti extensivè;

quia in voti violatione semper occurrunt irreverentia & infidelitas, cùm in perjurio sola occurrat irreverentia, C. major est intensivè, N. irreverentia enim perjurii gravior est, quàm irreverentia & infidelitas, quæ violationi voti connexæ sunt; parum enim læditur Deus, si factum ei parvi momenti promissum non servetur: atverò quis eum leviter lædi dicat, si nomen ejus *sanctum & terribile* ad mendacii etiam minutim confirmationem assumatur? Imo quò facilius erat promissum implere, & non mentiri, eò gravior est in Deum irreverentia, ut docet S. Thomas.

Obj. 2°. Juramentum de peccato veniali faciendo, non est probabiliter peccatum mortale, ut diximus; Ergo nec violatio juramenti de re levis momenti faciendâ; non enim major est in uno quàm in alio irreverentia.

R. ad 1. neg. conseq. ad 2. neg. ant. Qui enim jurat se facturum rem licitam etsi levem, Deum invocat non solùm ut ostendat actuale quod habet propositum rei hujus faciendæ, sed etiam ut se se per autoritatem Dei obliget ad hujus rei executionem si possibilis remaneat, & de facto interponitur divina autoritas: qui verò jurat se venialiter peccaturum, id unum vult ut actualem quam habet peccandi voluntatem significet: unde nec intendit se per autoritatem Dei obligare ad peccandum: nec reipsâ interponitur in ejus promissione divina autoritas, quia juramentum, iniquitatis vinculum esse nequit; Ergo longa est inter utrumque disparitas.

Obj. 3°. Quotidie contingit ut pater juret se filium pœnâ aliquâ, v. g. flagris mulctaturum esse; item ut ex duobus qui in ingressu domûs honore se præveniunt, juret alter se non ingressurum priorem, qui tamen alterius importunitate victus prior ingreditur: Atqui vix credi potest in materiis tam levibus esse perjurium mortale; Ergo. Etverò quis aureos centum debens æstimet se etiam post juramentum de solvendo, mortaliter peccare, si summam hanc uno asse minorem solvat?

R. 1°. hominem non minus damnari, quia damnatur cum multis; nec minùs peccare, quia cum multis peccat. An ergo innoxii sunt qui falsum jurant, eò quòd tot sint hodie qui falsò jurent?

R. 2°. eos qui juramenta sua non implent excusari nonnunquam à peccato mortali, non propter materiæ levitatem, sed quia juramenta hæc vel tacitam habent conditionem, cujus defectu necesse non est ut impleantur, vel fiunt in favorem tertii qui ea impleri non curat. Sic pater malum aliquod filio minitans, hanc censetur conditionem apponere; nisi alioqui pax domûs turbetur, nisi se opponant parentes vel amici; tunc enim juramenti executio esset utcumque illicita. Sic qui jurat se non ingressurum priorem, subaudit, cum probis omnibus, nisi importuniorem me reddam: pariter qui minimam summæ partem non solvit, sæpe præsumere potest creditorem id non esse curaturum. Ità Cajatenus, nec repugnat Habert qui tamen meritò advertit multò tutius esse ut quis vel non juret, vel nè minimam quidem hujus quod juravit partem omittat.

§. II.

Superest ut dicamus de iis qui à proximo juramentum exigunt: quâ de re certum est 1°. graviter peccare qui ab alio petit ut pejeret; unde Concilium Matisconense I. *Si quis convictus fuerit alios ad falsa testimonia vel perjuria attraxisse... ipse usque ad exitum vitæ non communicet.* Et id verum est, etiamsi jurans putet se verum jurare; quia qui eum ad pejerandum sollicitat, causa est cur Deus vocetur in testem alicujus reipsâ falsi; quòd sinè gravi Numinis injuriâ fieri non potest.

XXII. q. 5. c. 7.

Certum est 2°. non peccare, qui juramentum ab eo petit quem nescit pejeraturum esse. Ratio est, quia non debet malum de quopiam præsumi sinè legitimâ causâ. Peccat tamen qui juramentum sinè necessitate petit, sicut peccat qui jurat sinè necessitate.

Tota igitur difficultas est an peccet, qui juramentum exigit ab eo quem probabiliter credit pejeraturum esse? Sit

CONCLUSIO I. Non potest privatâ autoritate exigi juramentum ab eo qui certò vel probabiliter creditur pejeraturus.

Prob. 1°. est S. Augustino, Serm. XI. de SS. ubi sic: *Scribite in cordibus vestris quod dico. Ille qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam.*

Prob. 2°. quia qui juramentum exigit, aut recipit ab eo quem scit aut probabiliter judicat esse pejeraturum, offert ei peccandi materiam, ut satis patet; eamque offert sinè causâ, cùm nihil inde sit emolumenti percepturus, ut supponitur & evidens est. Si enim exigas ut debitor tuus juret, & prævideas eum juraturum esse nihil ab eo tibi deberi, non magis debitum tuum recuperaturus es, quàm si non jurasset; Ergo.

Porrò censetur quis scire alium esse pejeraturum, cùm vidit eum hoc vel illud facientem, quod tamen paratus est jurare, à se factum non fuisse. Itèm cùm certus est debitorem suum sic affectum esse ut velit jurare se nihil debere, vel solvisse quod debebat. Censetur verò opinari alium esse pejeraturum, qui scit eum non multi facere perjurium, aliàs pejerasse, largioris esse conscientiæ.

Saltèm, inquies, non peccabit qui juramentum petet ab eo qui jam ad pejerandum dispositus est.

R. neg. antec. 1°. quia utcumque falsum supponit, & sæpiùs supponere potest. Plerique enim homines etiam corrupti, actualem pejerandi voluntatem non concipiunt, nisi dum actu urgentur ad jurandum; unde qui juramentum exigunt, sunt sæpè causa totius peccati quod alter admittit; 2°. quia qui peti tjuramentum ab eo etiam qui paratus est ad jurandum, est saltèm causa cur nomen Dei exteriùs violetur; sicut ergo mortaliter peccat qui parato ad

adulterium, adulterii exteriùs consummandi materiam & occasionem præbet; ita & in proposito.

S. Thom. CONCLUSIO II. *Si aliquis exigat juramentum tanquam persona publica, secundùm quod exigat ordo juris ad petitionem alterius, non videtur esse in culpâ; si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum; quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit;* & is proinde solus peccat.

Obj. Non magis inservire potest perjurium respectu judicis, quàm respectu privati; Ergo sicut non potest privatus, sic nec potest Judex juramentum exigere à perjuro.

R. neg. conseq. Judex enim ostendere tenetur, se sententiam servato juris ordine tulisse, ad quod requiritur ut juramentum exigat, cùm adversa pars id juridicè petit; Ergo legitimam habet exigendi juramenti causam, quam non habet homo privatus.

Debet tamen Judex seriò monere juraturum nè pejeret, actoremque urgere ut juramentum remittat, si videat eum esse certum de futuro alterius perjurio: debet insuper testes ad pejerandum dispositos à testimonio quantùm poterit repellere.

Etsi verò censent aliqui, judicem de alterius perjurio moraliter certum, peccare juramentum exigendo, ad instantiam actoris; quia sic acquiescit petitioni quam scit divinæ majestati injuriosam esse: hæc tamen doctrina non videtur facilè posse conciliari cum citatis S. Thomæ verbis. Nam docet S. Doctor posse judicem exigere juramentum ab altero, *sive sciat eum falsum* juraturum, sive nesciat: docet insuper in hâc hypothesi non peccare Judicem, sed eum *ad cujus instantiam* exigitur juramentum; Ergo supponit utrique constare de futuro alterius perjurio. Quidquid sit, rarò exigere videtur *ordo juris* ut Judex petat juramentum ab eo, quem tum ipse, tum actor pejeraturum esse præscirent.

Hîc duo notanda: 1°. non esse licitum judici in ullâ causâ juramentum exigere ab utrâque parte: hæc enim consuetudo *impia est*, quia *sinè dubio ex duobus contra se jurantibus, unus perjurus efficitur*.

Concil. Valent. III.

2°. Aliquos esse gravis necessitatis casus in quibus possit etiam privatus juramentum ab eo exigere quem scit pejeraturum : putà si in aliquo contractu exactio juramenti necessaria sit vel utilis, ut contrahens per Judicem cogi possit ad standum contractui. Si verò nulla similis causa subsit, non est exponendus quispiam periculo perjurii. Hinc meritò vetitum est cap. 3. *de cohabit. Clericorum*, &c. nè Episcopi à Clericis exigant juramentum de dimittendis concubinis, cùm vehemens præsumptio sit, futurum ut non stent juramento; unde improbanda est agendi ratio Confessariorum, qui compellunt pœnitentes ad jurandum se ab iis abstenturos delictis in quæ facilè labuntur.

ARTICULUS QUARTUS.

De juramento cum amphibologiâ & restrictione.

AMphibologia, seu æquivocatio, est sermo ambiguus, sive est locutio habens sensum duplicem, v. g. *Aio te Æacida Romanos vincere posse.*

Restrictio mentalis, est sermonis externi determinatio ad alium sensum quàm quem præ se ferunt verba nudè & absolutè prolata. Duplex est restrictio : altera strictè, altera latè mentalis. Prima residet in sola mente, nec exteriùs verbis, signis, aliisve circumstantiis manifestatur; ut si mutuum petenti respondeas, *Non habeo pecuniam*, subaudiendo interiùs, *quam tibi dare velim.* Secunda, vel ex modo loquendi, vel ex circumstantiis, vel ex usu percipi potest ab audiente; ut si interroganti an pœnitens tuus tale crimen commiserit, respondeas, *Nescio.* Jam quæritur an æquivocatio licita sit.

CONCLUSIO. Usus restrictionum purè mentalium semper & pro quocumque casu est illicitus, sive in judicio, sive extra; & qui iis utitur cum juramento, perjurii reus est. Idem dicendum de juramento cum amphibologiâ.

Prob. 1°. ex Scripturâ, Psal. 14. *Domine quis,*

habitavit in tabernaculo tuo? .... qui loquitur veritatem in corde suo.... qui jurat proximo & non decipit. Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini?* qui non *juravit in dolo proximo suo.* Sed qui jurat cum amphibologiâ & restrictione, proximum decipit, & jurat in dolo; Ergo perjurus est, *cùm perjurium sit nequiter decipere credentem*, ex Can. I. XXXII. quæst. 2.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Augustinus, Epist. 125. aliàs 224. *Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus jurandum est deceperint*: Atqui expectationem hanc decipiunt, qui ità ambiguè jurant, ut aliud sentiant, aliud ab aliis intelligi velint; Ergo.

* Idem S. Doctor Lib. contra mendacium, c. 18. hunc sibi casum proponit: *Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus & charissimus filius nuntietur; à te quærit an vivat, quem vitam finisse tu nosti. Quid respondebis? quandò quidquid aliud dixeris, præter unum de tribus, aut mortuus est, aut vivit, aut nescio, nihil aliud credit ille quàm mortuum....* Ex illis autem tribus *duo falsa sunt, vivit, & nescio, nec abs te dici possunt nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est, mortuum esse si dixeris, & perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus esse clamabitur.* Atqui si Augustinus licitum credidisset restrictionis mentalis usum, saltèm cùm agitur de impediendâ hominis morte, non dixisset ex tribus illis duo esse falsa, *vivit*, & *nescio*, eaque dici non posse *nisi mentiendo*: jam enim falsa non essent, si sinè mendacio dici possent cum restrictione mentali, verè enim diceretur moribundo patri, *Vivit* filius tuus, intelligendo *secundùm animam*; verè diceretur, *Nescio*, subaudiendo, *ut tibi dicam*; Ergo æquivocationum subtilitatem nesciebat Augustinus, cujus responsio ad propositum casum tota hæc est: *Non me movet.... quòd, nobis mentiri nolentibus, & hominibus vero audito morientibus, homicida dicatur veritas.*

† Prob. 3°. ex censurâ adversùs sequentes propositiones latâ ab Innocentio XI. anno 1679. & à Clero Gallicano an. 1700. Prima sic habet : *Si quis vel solus vel coram aliis , sive interrogatus , sive propriâ sponte , vel recreationis causâ , sive quocumque alio fine , juret se non fecisse aliquid quod reverâ fecit , intelligendo intra se aliquid quod non fecit , vel aliam viam ab eâ in quâ fecit , vel quodvis aliud additum verum , reverâ non mentitur , nec est perjurus.* Secunda hæc est : *Causa justa utendi his amphibologiis , est quoties id necessarium est aut utile ad salutem corporis , honorem , res familiares tuendas , vel ad quemlibet alium actum virtutis ,* &c. Tertia sic habet : *Qui mediante commendatione , vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est , poterit cum restrictione mentali præstare juramentum , non habito respectu ad intentionem exigentis.* Prædictæ verò propositiones sunt juxta Clerum Gallicanum , *temerariæ , scandalosæ , perniciosæ , erroneæ ; mendaciis , fraudibus , & perjuriis viam aperiunt , & sacris Scripturis adversantur.* Hanc quoque Sanderi propositionem , *Patriarchæ & Prophetæ , Angeli , ipse Christus , amphibologiis & restrictionibus mentalibus usi sunt ,* sic notavit idem Clerus Gallicanus : *Hæc propositio scandalosa est , temeraria ; mysticè , propheticè , parabolicè dicta , vel tacita , cum vulgaribus gestis confundit , SS. Patrum acta ludibrio vertit , ipsis etiam Angelis injuriosa , erga Christum contumeliosa & impia.*

Prob. 4°. ratione. Mendacium nullo in casu licitum esse potest : Atqui restrictiones purè mentales vera sunt mendacia. Nam ex S. Augustino , Lib. *de mend.* cap. 3. *Ille mentitur qui aliud habet in animo , & aliud verbis ,* vel quibuslibet significationibus enuntiat : sed qui restrictionibus mentalibus utitur , aliud habet in animo , &c. imò non utitur restrictionibus , nisi ut alter aliud concipiat , quàm ipsemet concipit.

Confirm. quia usus hujusmodi restrictionum non minùs societati , & vocum institutioni adversatur ,

quàm ipsummet mendacium. An non enim æquè me fallit qui dicit, *Non habeo pecuniam*, subintelligens, *tibi dandam*, quàm qui rotundè & palàm dicit: *Non habeo pecuniam?*

Obj. 1°. Illud licitum est, quo usi sunt viri sancti, Deo non redarguente; quodque usurpatum est ab ipso Christo: Atqui... Prob. min. 1°. enim, *Cùm* Abraham *propè esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Saraï uxori suæ: Dic, obsecro te, quòd soror mea sis ut bene sit mihi propter te, &c.* Idem fecit Isaac, Genes. 26. *Nè fortè interficerent eum* Ægyptii: Atqui hìc Abraham & Isaac in ambiguo sororis nomine ludunt. Abraham enim prævidebat quod reipsâ venit futurum scilicet ut sua hæc verba, *Soror mea est*, alio ab Ægyptiis sensu intelligerentur quàm quo ab ipsomet proferebantur; nec prævidebat modò, sed & intendebat, nè ab Ægyptiis interficeretur. Neque tamen hanc servi sui agendi rationem improbavit Deus, sed è contrà *flagellavit Pharaonem plagis maximis.... propter Saraï* quam tulerat.

Gen. 12.

2°. Genes. 27. Jacob matris consilium secutus, ut benedictionem Esaü arriperet, dixit patri suo: *Ego sum primogenitus tuus Esaü: feci sicut præcepisti mihi: comede de venatione meâ, &c.* Atqui hæc nonnisi æquivocationis & restrictionis mentalis ope, à mendacio excusari possunt. Jacob enim nec erat Esaü primogenitus Isaac, nec impleverat præceptum patris, cùm nihil ei ab Isaac imperatum fuisset nec ullam attulerat venationem.

3°. Idem exemplum sæpiùs à Christo datum est. Marci 13. interrogatus à Discipulis de die Judicii, respondet: *De die illo vel horâ nemo scit neque Angeli in cœlo, neque Filius*, subaudiendo mentaliter, *ad prodendum*, ut ipse interpretatur Augustinus; quidni ergo interrogatus homo à sicario qui alium ad mortem quærit respondere queat, se nescire ubi sit, subaudiendo, *ad manifestandum?*

Joan. 11. dixit Jesus: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum:* Atqui hæc

propositio æquivoca est, & sciebat Christus eam aliter à Discipulis suis intelligendam esse, ac ipse intelligeret. Loquebatur enim de *morte ejus; illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.*

Joan. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Porrò vox hæc, *templum*, in significatione obviâ tam ad minùs significabat templum Hierosolymitanum, quo sensu eam accepêre Judæi, quàm ipsum Christi corpus.

R. generatim, 1°. hisce argumentis grande hinc creari præjudicium quòd iisdem prorsùs uterentur Priscillianistæ, strenui mendaciorum defensores; prout docet S. Aug. Lib. contra mendacium cap. 2.

2°. ex facto Abrahæ & Jacob, nihil firmi concludi posse, quia certum non est eos ab omni etiam veniali mendacio immunes fuisse. Non desunt quidem Patres, ut Augustinus, qui hos Patriarchas nihil admisisse mali contendant; sed neque etiam desunt, qui cum SS. Chrysostomo & Ambrosio, eos plùs aut minùs deliquisse putent.

R. 2°. agendi rationem Abrahæ posse à mendacio excusari. Non enim mentitur, qui reticet aliquid veri, sed qui falsum dicit: Atqui Abraham solùm suppressit aliquid veri; *Neque enim*, ait Augustinus L. 23. contra Faustum c. 3. *utrum ejus uxor esset interrogatus, non esse respondit; sed cùm ab eo quæreretur quid ei esset illa mulier, indicavit sororem, non negavit uxorem:* quod tam facere potuit illæsâ veritate, quàm possit qui *incognitò* peregrinatur, se Marchionem dicere, cùm sit Marchio; non autem se Regem profiteri, licèt Rex de facto existat.

R. 3°. ad factum Jacob, illud nè ipsis quidem adversariis inservire posse; quia si res litteraliter intelligatur, Jacob patrem suum in materiâ justitiæ decipere voluit, quod omnes illicitum fatentur. Necessum est igitur ut in totâ Jacob agendi ratione grande agnoscant mysterium, prout agnoverunt SS. Patres & ipse Isaac, qui benedictionem à Jacob quasi subreptam, eidem his confirmavit verbis;

Benedixi ei, & erit benedictus. Sed quare in his mysteriis nihil suberit mendacii? Quia ut homines verbis nunc naturali, nunc figurato sensu utantur sinè mendacio; sic Deus ipsâ Patriarcharum personâ, atque eorum actionibus tanquam rerum futurarum figuris utebatur: & has quidem figuras Israëlitæ spirituales à Domino edocti facilè intelligebant. Hæc *si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ.... in* quibus *aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia; quod absit omnino*, ait Augustinus Lib. de Mend. cap. 10. Verè igitur & æquè sentiunt qui docent ex rebus adeò sublimibus & propheticè gestis nihil colligi posse in gratiam eorum quæ fiunt in commercio civili; prout docuit Clerus Gallic. an. 1700. Etverò an non simplex Judæus credidisset mentiri Davidem, cùm aiebat Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos... diviserunt sibi vestimenta mea, &c.*

Quod spectat ad textus ex Evangelio desumptos, nego ex iis quidquam colligi posse quod amphibologiis aut restrictionibus mentalibus faveat.

Quod dicit Christus se nescire Judicii diem, quia scilicet non expediebat ut eum manifestaret, nè umbram quidem habet restrictionis mentalis, quia horumce verborum sensum statim intelligere debuerunt Apostoli, utpotè qui scirent nihil esse quod Christum lateret; quemadmodum cùm dixit Deus ad Abraham: *Nunc cognovi quòd times Deum*, statim sentire debuit ille Patriarcha, non tunc tantùm Deo notum fuisse amorem quo ipsum prosequebatur.

Nihilo validius est argumentum quod desumitur ex Joan. 2. Christus enim dicendo, *templum hoc*, corpus suum aliquo signo, ut manu ad pectus admotâ demonstrabat, ut notant Interpretes.

Quod attinet ad verba Christi de Lazaro, 1°. nihil à consueto Judæis sermone recessit Christus, quia Hebræi mortem dormitionis nomine exprimere solebant, hinc illud frequens in Scripturis: *Dormivit cum Patribus suis*: 2°, usque adeò clara

erant Christi verba, ut mirum sit hic aberrasse discipulos: an enim probabile videri poterat Christum confecturum esse longum & periculosum iter, ut hominem à communi somno excitaret? 3°. Statim ut sensit Christus verba sua non intelligi ab Apostolis eo quo dicebat sensu, mentem suam aperuit: *Tunc ergo dixit eis Jesus manifestè, Lazarus mortuus est.* Ità se gerant adversarii, & eas tantùm permittant æquivocationes quæ statim explicentur; difficultas præsens multùm imminuetur, vel potiùs nulla erit.

Obj. 2°. Doctrina quæ restrictiones mentales prohibet, innumera invehit incommoda. Nam v. g. ex eâ sequitur 1°. Confessarium interrogatum de crimine quod in confessione audivit, peccare si respondeat se nihil de hâc re audivisse; 2°. peccare feminam nobilem, quæ cùm vult manere sola, præcipit famulis ut dicant eam exiisse domo, sub intelligendo, *manè* vel *heri*; 3°. innocentem qui morte damnandus est, non posse negare se tali noctis horâ fuisse tali in loco, ubi erat cadaver, subaudiendo se hîc non fuisse ut occideret; 4°. & is quoque culpæ reus erit à quo repetitur certa summa quam solvit, quique ad hanc iterùm solvendam damnabitur nisi æquivocè dicat se mutuum non accepisse, intelligendo se non accepisse ad mentem Judicis qui non interrogat de mutuo simpliciter, sed de mutuo quod adhuc restituendum sit.

R. doctrinam quæ mendacia officiosa vetat, magnis quoque incommodis obviam esse, & tamen tenendam. Quod spectat ad incommoda in objectione recensita.

Dico 1°. Confessarius vel interrogatur ab homine, qui confessionis sigillum tangere nolit, vel ab impio, qui de iis etiam interroget quæ in confessione audiri potuerint. Si primum, quod quidem inter Catholicos supponi debet, negare debet se quidquam de tali crimine audivisse, neque id negando mentietur, quia nec interrogatio, nec responsio attingunt res ex solâ confessione cognitas. Si secundum

Confessarius hoc unum respondere debet, se nihil respondere posse, idque etiam si pœnitens tale crimen confessus non esset: quia alioqui consentiret impiæ interrogationi.

Dico 2°. nunc saltèm in his partibus, inter viros probos usu communi & omnibus noto receptum esse ut hæc verba, *Dominus*, vel *Domina domi non adsunt*, hoc solùm significent eos actu videri non posse. Quòd si hoc receptum non esset, mentirentur tum domini, tum famuli qui dominos adesse negant; ut & dubio procul mentiuntur qui ut dominos magis excusent, addunt eosdem in hunc vel illum locum se contulisse.

Henno. Dico 3°. hominem mori potiùs debere quàm mentiri; mentitur autem qui dicit se tali horâ, tali in loco non fuisse, quia utitur restrictione purè mentali, quam Judex ex nullâ potest circumstantiâ detegere. Eâdem de causâ non licet injectâ in peram manu dicere non esse hîc eum qui ad mortem quæritur.

Dico 4°. perjurum esse eum qui accepto mutuo, jurat se mutuum non accepisse, quia illud reddiderit; non enim interrogatur an reddiderit, sed an acceperit. Cùm autem negat simpliciter se recepisse, nulla est circumstantia quæ restrictionem ejus Judici manifestet.

Quod spectat ad restrictiones latè mentales, eas Theologi etiam strictiores, pro licitis habent; quia nempè vel ex consuetudine, vel modo loquendi, vel ex circumstantiis deprehendi possunt; unde non impediunt quominùs sermo exterior, attentis omnibus circumstantiis omnino verus sit, & cum animo consentiat. Hic tamen cavendum 1°. nè in praxi nimia hujusmodi restrictionibus detur extensio, & nè latè mentales dicantur quæ sunt verè & strictè mentales; 2°. ut qui interrogat possit reipsâ detegere ex circumstantiis. putà ex modo quo jocosè vel ironicè loqueris, aut personæ circumstantiâ, nolle te nudè aperire quid sentias: 3°. ut non passim, sed gravibus ut plurimùm de causis ad eam artem confugias; quia

faciliùs in materiâ levi deciperes, quàm in graviore, ubi qui interrogat statim advertere potest curiositatis suæ injustitiam; 4°. & ut aliter extricare te nequeas; simpliciter enim accipiuntur verba illius qui quà voluerit vià elabi potest.

ARTICULUS QUINTUS.

De causis & obligatione Juramenti.

Certum est 1°. causam finalem juramenti esse, tum Dei cultum, quia qui per Deum jurat profitetur Dei testimonium omni testimonio majus esse, quod in Dei honorem vergit; tum veritatis confirmationem, quia ex Hebr. 6. *Omnis controversia* hominum *juramento finitur.*

Certum est 2°. juramenti causam efficientem esse, tum Deum, qui *quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum*, Hebr. 6. tum Angelos bonos, qui Apocal. 10. jurant *per viventem in secula;* tum homines, ut hodierna, eaque frequentior experientia docet. Athei tamen, si qui sint, & Pagani, ratione statûs in quo sunt, non jurant, quia veri Dei nomen invocare non possunt; unde nec verè perjuri sunt, sed tantùm ratione conscientiæ erroneæ.

Certum est 3°. nec verba, nec alios speciales ritus ad juramentum absolutè requiri; quia hæc neque necessaria sunt in ordine ad Deum qui mentium inspector est; neque in ordine ad hominem, cui sufficiant signa verbis æquivalentia.

Certum est denique, juramenti materiam esse aliquid contingens, & non manifestum: res enim necessariæ aut evidentes non indigent confirmari juramento.

Superest igitur ut dicamus de obligatione, præcipuo juramenti effectu. Hìc verò non agitur de juramento assertorio, quod solùm obligat ad dicendas res ut sunt vel fuerunt, sed de promissorio, circa quod quæritur, 1°. quâ ex virtute obliget; 2°. in

quâ materiâ; 3°. an etiam obliget cùm sit ex metu, errore aut dolo; 4°. an obliget eum qui juravit sinè intentione se obligandi, vel rem juratam exequendi; 5°. demum an obligatio juramenti sit personalis necne. Quæ antequam solvantur,

Not. 1°. juramentum promissorium duplex secerni, unum quod dicitur *confirmatorium*; aliud quod dicitur *per se stans*. Primum supponit aliquam obligationem præviam, ut cùm quis juramento confirmat votum quod emisit; secundùm nullam præviam supponit obligationem, ut cùm quis jurat se executurum id quod simpliciter proposuit, aut id ad quod aliundè non tenetur, ut v. g. se soluturum usuras.

Not. 2°. materiam triplicem hîc distingui; malam scilicet, bonam & indifferentem.

Not. 3°. metum justè vel injustè incuti; errorem esse vel circa rei substantiam, vel circa accidentia. Vide suprà p. 209. & 214.

Not. 4°. Triplex in juramento promissorio distinguitur intentio; prima est jurandi; secunda, se obligandi; tertia, exequendi. Sit jam

Conclusio I. In juramento per se stante unica solùm reperitur obligatio; in confirmatorio autem duplex aut triplex.

Prob. quia prius juramentum obligat solùm ex virtute religionis; posterius verò obligat ad aliquid ad quod jurans jam anteà obligabatur; Ergo in hoc juramento, vel potiùs in actu de quo juratum est, multiplex occurrit obligatio.

Conclusio II. Juramentum de re bonâ obligat; secùs si sit de re malâ vel indifferenti, nisi hæc vergat in commodum tertii.

Prob. 1. pars; quia juramentum vel nunquam, vel saltèm in materiâ bonâ obligat; Ergo.

Porrò materia bona quæ jurata est, aliquando in meliorem pro jurantis voluntate mutari potest; aliquando non. Potest quidem, si juramentum cadit in promissionem Deo factam; quia juramentum cadens in votum, debet sequi naturam actûs cui jungi-

tur, ex c. 15. *de jurejur.* Votum autem mutari potest in quid melius, ut infrà dicam. Et verò meritò præsumitur Deum prioris voti & juramenti obligationem relaxare, ut aliquid sibi gratius & melius præstetur. Non potest verò, si promissio jurata cedat in commodum tertii, & ab eo acceptata sit; quia promissio simplex statim ac fuit acceptata, ità obligat ut sinè peccato violari non possit; Ergo à fortiori obligabit si juramento fuerit confirmata. Hinc qui juravit se certam alicui daturum esse pecuniæ summam, non potest hinc negare, ut eandem pauperibus conferat, licèt hoc in se melius sit, quia jam alii strictè debita est.

Aliud esset si quis jurasset se matrimonium cum aliquà contracturum esse: is enim non obstante hoc juramento, imò & sponsalibus juratis, posset Religionem ingredi; quia ex communi Ecclesiæ sensu, inest huic promissioni tacita hæc conditio, nisi vocet me Deus ad perfectiorem statum.

Quòd si promissio jurata, acceptata non fuerit, ea utique non obligabit, quia juramentum easdem paritur exceptiones, ac ipsa res quæ eo confirmatur; Ergo cùm promissio semper fiat sub hàc conditione, *si acceptetur*, non potest obligare cùm acceptata non est; Ergo nec obligat juramentum eidem promissioni superadditum.

Prob. 2. pars, tùm ex Reg. 58. Juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*; tum quia si juramentum de re malâ obligaret, jam obligaretur quis ad peccandum saltèm venialiter; quod repugnat.

Obj. 1°. Levit. 5. præcipitur ut *anima quæ juraverit ut malè quid faceret, vel bene*, si non fecerit, *agat pœnitentiam pro peccato;* Ergo juramentum de re malà obligat.

R. neg. conseq. Hæc enim verba, *ut malè quid faceret*, non intelligunt de malo culpæ, sed de malo pœnæ, ità ut sensus sit pœnitentiam ab eo faciendam esse qui sibimetipsi aut aliis, putà filiis, domes-

ticis, peccatoribus, justam quam juraverat pœnam non intulit.

Obj. 2°. Juramentum à Josue factum in fœdere cum Gabaonitis inito, erat de re malâ, & à Deo prohibitâ, Deuter. 7. Atqui tamen Josue existimavit se eo juramento teneri; Ergo.

R. neg. maj. Neque enim prohibitum erat Israëlitis fœdus omne cum Gentibus, sed cum iis tantùm quæ populo Dei resisterent; tales autem non erant Gabaonitæ, qui ad Dei cultum parati erant.

Eodem modo solvitur argumentum quod aliqui depromunt ex facto Israëlitarum, qui Judicum cap. ult. sese jurejurando obligant ad non dandas filiis Benjamin filias suas in uxores: dici enim potest vel juramentum hoc fuisse de re licitâ, ut sentiunt multi; vel si fuerit de re illicitâ, graviter peccasse eos qui illud emiserunt; nec reipsâ, sed solùm ex erroneâ conscientiâ, ad illud implendum fuisse obligatos.

Ex his colliges non obligatum iri juramento, 1°. eum qui promisisset latroni se eum non esse Judici denuntiaturum, si eum denuntiare præcepti esset; quia non denuntiare furem quem lex justa denuntiari jubet, verum est peccatum; 2°. qui juramentum emitteret contra votum aut juramentum præcedens, nisi tamen posterius juramentum esset de re Deo magis acceptâ; 3°. qui jurasset contra leges in gratiam boni publici conditas, quales eæ sunt quæ vetant ne arma ad hostes deferantur. Aliter dicendum si lex nonnisi in favorem privatorum introducta fuerit, quia potest quisque iis quæ in gratiam sui constituta sunt, renuntiare. Hinc tametsi mulier quæ pro alio fidejubet, non obligetur, quia id vetat Senatusconsultum Velleianum, obligabitur tamen si fidejussionem suam juramento confirmaverit.

Prob. 3. pars. Juramentum de re indifferenti, id est, quæ honestum finem non habet, est eo ipso de re malâ, ut docet sanior opinio: Atqui tale juramentum non obligat ex dictis; Ergo.

Confirmatur; quia ut juramentum *non est vinculum*

uitatis, sic neque rerum vanarum vinculum , nec velle potest Deus eas ob sui nominis rerentiam fieri; Ergo.

Aliud esset, si res in se indifferens, bona esset ex e. Sic qui juravit se alterius ædes non ingressun, nè in eisdem peccet, juramento tenetur. Idem si res ex se indifferens, cedat in favorem tertii, si jurasti te nullas merces empturum nisi à Titio, ia honestum est servare promissionem proximo tam quæ eidem utilis & grata est : porrò juramntum de opere honesto obligat.

CONCLUSIO III. Juramentum non obligat, si t ex errore vel dolo circa rei substantiam.

Prob. Non valet juramentum cui deest consens substantialis, sed ubi est dolus aut error circa bstantiam rei... jurans enim non habet intentiom jurandi rem circa quam errat, sed aliam diver naturæ. Unde si jures te daturum vas quod ieum credis cum sit aureum, non teneris juraento: & id verum est, sive error sit antecedens, io nempe sublato non jurares; sive sit concomins, quo etiam sublato jurares; quia uterque error llit consensum actualem.

Error verò circa circumstantias communiter non ritat juramentum, sicut nec irritat contractus. Si men circumstantia aliqua intenderetur per mom intrinseci, tunc irritum esset juramentum, ia deesset consensus in aliquid primariò intenm. Hinc licèt divitiæ & virginitas sint circumsntiæ quarum defectus matrimonii contractum non ritat, si quis tamen eas circumstantias ità intendet, ut iis sublatis nollet valere contractum, reipsà : coram Deo non staret talis contractus, etiam iramento confirmatus.

CONCLUSIO IV. Juramentum sinè intentione irandi non obligat per se; obligat verò si adsit itentio jurandi, quamvis absit intentio se obliandi, vel implendi id quod juratum est.

Prob. 1. pars, quia ut suprà diximus, juramentum

sinè jurandi intentione, non est verum juramentum, sed fictio juramenti. Ergo reipsâ non obligat; sicut non obligat *promissio quæ Deo fit ore & non corde*, quia *talis* promissio *apud Deum non est votum*, ut docet S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1.

Dixi non obligat *per se* seu in ratione juramenti verè interioris: quia plerumque obligat ex alio capite nimirum ut vitentur injustitia & scandalum. Imò tale juramentum ex virtute etiam religionis impleri debet, hoc sensu quòd præceptum naturale religionis obliget ad tuendum Dei honorem: quod non fiet, nisi præstetur quidquid rationabiliter ab aliis credi potest divino testimonio confirmatum fuisse.

Prob. 2. pars. Qui vult causam, necessariò vult ejus effectum, si effectum hunc impedire non possit; sed qui jurat, ponit causam à quâ sive velit, sive nolit, sequitur obligatio. Qui enim jurat cum verâ jurandi intentione, eo ipso adducit Deum in testem assertionis suæ de futuro. Atqui eo ipso quo Deus adducitur in testem assertionis alicujus de futuro, vera incumbit obligatio faciendi assertionem hanc veram; Ergo nemo ab hâc obligatione liberari potest per quamcumque voluntatem se se non obligandi.

Confirm. Qui vult jurare assertionem de præsenti vel præterito, reipsâ perjurus est, quantumcumque obligari nolit ad dicendum verum; Ergo & qui jurat assertionem de futuro, non potest non obligari ad eam faciendam veram, etiamsi maximè velit ad id non obligari.

Obj. Homo per proprios actus non obligatur, nisi voluntate suâ; Ergo si voluntas resistit, non potest induci obligatio.

R. dist. antec. Homo non obligatur nisi voluntate suâ, si de iis agatur contractibus, quorum substantia consistit in ipsâ obligatione, & qui consequenter sine voluntate se obligandi subsistere non possunt, C. si sermo sit de iis actibus quorum ratio & substantia non consistit in obligatione, & ex quibus obligatio sequitur tanquam effectus, N. Tales enim

actus obligationem inducunt, etiam renitente hominis voluntate: sic qui vult proximo damnum inferre, restituendi obligationem contrahit etiam invitus; qui vult peccare, eo ipso, velit, nolit, obligationem contrahit pœnitendi; Ergo & à pari qui vult jurare, vult reipsâ obligari: neque verò voluntas ejus quæ circa obligationis fundamentum non resistit, circa consectaria juramenti resistere potest.

Prob. 3. pars: 1°. quia si veram contrahit obligationem qui jurat cum animo se non obligandi; à fortiori eam contrahit, cui solùm deest voluntas id quod jurat adimplendi; 2°. quia sicut contractus emptionis non desinit obligare, quamvis desit intentio solvendi; ità nec desinit juramentum obligare, quamvis desit intentio exequendi.

CONCLUSIO V. Aliqua juramenti obligatio transit ad hæredes, aliqua non transit.

Prob. In juramento promissorio de quo agimus, duo secerni possunt: 1°. ipsa promissio alicui facta; 2°. divini nominis invocatio ad faciendam fidem. Atqui promissio, si licita & acceptata fuerit, transit ad jurantis hæredes; ut qui succedant in onera realia defuncti: invocatio verò Dei quæ jurantem obligat ex religione, est vinculum personale, quod quâ tale ad hæredes non transit; unde si hæredes jurata defuncti pacta non servent, perjuri non erunt, sed injusti duntaxat.

Quæres an per procuratorem jurari possit.

R. affirm. 1°. quia potest quis per alium quod potest per seipsum, nisi lex resistat, ut nulla hìc resistit; 2°. quia tam juramentum per procuratorem fieri potest, quàm matrimonium, cùm hujus obligatio maximè sit personalis: Atqui, &c.

Hic nota procuratorem juramenti non posse sinè speciali mandato, quod mandans non revocaverit. Ceterùm procurator, nisi doli particeps sit, non erit perjurus, si is cujus nomine juravit, juramentum non servet.

An & prout obliget juramentum conditionale, inferes ex iis quæ dicam de Voto art. 6.

ARTICULUS SEXTUS.

De Juramenti promissorii interpretatione.

CIrca juramenti interpretationem quasdam tra-demus regulas cum Suare, c. 32.

Prima. Quoties aliquis certus est de intentione quam jurando habuit, nullâ opus est interpretatione in conscientiæ foro, quia juramenti obligatio potissimùm à jurantis intentione pendet. Interpretatio igitur tunc tantùm necessaria est, cùm jurans satis explicare non potest quam habuerit intentionem, tuncque verba quibus inter jurandum usus est, pensari debent, & intelligi prout statim dicemus.

Secunda. Juramentum explicandum est juxta naturam actûs cui adjungitur. Ratio est, quia juramentum non facit ut obligatio ad plura se extendat objecta, sed solùm ut sit intensivè major circa objectum, quod promissum est; Ergo illud objectum easdem post juramentum conditiones & exceptiones habet quas ante juramentum habuit: unde si sponsalia juraveris, non magis teneris ad ea si sponsam postea fornicari contingat, quàm si non jurasses. Si juraveris te soluturum quod debes, imples juramentum utendo justâ compensatione, quâ ante juramentum uti potuisses. Excipe nisi intùs aut exteriùs compensationi cuilibet renuntiasses, nisi etiam sponsa ante sponsalia in fornicationem tibi notam incidisset, quia, qui probavit alterius mores, non potest posteà reprobare, ait Glossa.

Ep. 25. jurej.

Hìc notanda duo: Primum si promissio cedat principaliter ad cultum Dei, putà si agatur de dandis Ecclesiæ ornamentis, aut de servandâ inter conjuges castitate, nullam esse subintelligendam conditionem, sed debere servari juramentum, licèt vel Parochus malè se gerat erga promittentem, vel alter conjux castitatem non servet. Secundum, id quod dictum est, juramentum sequi naturam actûs

cui adjungitur, non ità intelligi ut si actus in se nullus sit, juramentum etiam sit nullum; sed ità ut actus qui nudè sumptus certas habet conditiones, easdem patiatur etiam cùm juramento confirmatus est. Quod autem valere possit juramentum, etiamsi non valeat actus circa quem interponitur, patet ex iis quæ dixi suprà p. 227.

Tertia. Juramentum quoad obligationem suam strictè interpretandum est, quantùm materia ejus & verba promissionis permiserint. Ratio est, quia onera quantùm fieri potest restringenda sunt; porrò magnum est onus juramenti, ob perjurii periculum.

Hinc colliges, 1°. juramentum servandi statuta Communitatis, intelligi tum de iis quæ vigent actu, aut necessariò vigere debent, tum de iis quæ jam edita sunt, non de edendis, nisi aliud aliunde constet: hæc enim restrictio rationi & prudentiæ consentanea est, cùm futura valdè incerta sint. Si tamen novum statutum ad solam statuti veteris declarationem conderetur, tunc novum, utpotè quòd reipsâ novum non esset, eâdem quâ vetus religione servari deberet. Aliud esset de statuto, Superioris vel consuetudinis autoritate renovato; esset enim verè novum statutum, ejusque conditionem sequi non deberet.

2°. eum qui jurat se alteri pariturum, non teneri ad illicita, vel ad ità difficilia, ut verisimiliter cadere non potuerint in jurantis intentionem.

3°. eum qui juravit residentiam, abesse posse in casibus jure concessis, ex c. 13. *De Clericis non resid.*

4°. juramentum de servando secreto in Capitulo, vel Conventu, intelligi si materia secretum postulet, vel si secretum servari possit sinè gravi alterius detrimento. Unde qui gestam in Capitulo rem gravis momenti pervulgat, graviter, qui levem, leviter delinquit; non quòd leviter solùm in levi materiâ obliget juramentum, sed quia cùm sit in favorem tertii, pro gradu voluntatis ejus, & non aliter obligat.

Quarta. Juramentum interpretandum est juxta conditiones eidem ex communi prudentum sensu affixas, ut sunt istæ: Hoc faciam *si potero*, *si licitum sit*, *si juramentum non relaxetur ab eo in cujus gratiam factum est*, *si servari possit salvo superiorum jure*, *si materia notabiliter mutata non fuerit*, &c.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De causis quæ Juramenti obligationem impediunt vel tollunt.

Causarum quæ impediunt nè juramenti obligatio contrahatur, aliæ se tenent ex parte materiæ, ut si res de quâ juratur sit impossibilis, indifferens, aut conjuncta peccato, de quibus suprà: aliæ se tenent ex parte personæ; & hæ duæ sunt, nempè defectus libertatis, & resistentia legum.

Defectus libertatis impedit nè juramentum promissorium obligationem inducat, quia obligatio illa, utpotè quæ fit sub peccato mortali, requirit deliberationem quæ ad peccandum mortaliter necessaria est. Sed quia voluntarium & libertas ad peccandum mortaliter necessaria, subsistere possunt cum vi & metu; sequitur juramentum quod à latrone v. g. per vim vel metum extortum est, impleri debere, nisi ejus relaxatio à superioribus obtineatur, ut obtineri facilè potest. Quod si fur solers exegerit juramentum, quo sponderetur ullam unquam petitum iri dispensationem, sequendum est id quod docui in Tract. de Contractibus, loco citato.

Resistentia legis impedit etiam nè juramentum obliget, quia efficit ut juramentum sit de re legitimè prohibitâ, sive juranti, sive illi cujus in gratiam juratur. Sic Trid. Sess. 25. cap. 16. *De Regularibus*, vult ut *nulla renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentiâ Episcopi, sive ejus Vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem*, &c.

Quod ſpectat ad cauſas quæ efficiunt ut juramentum obligare deſinat, eæ ſolent quinque recenſeri.

Prima eſt notabilis mutatio materiæ ; porrò materia notabiliter mutata præſumitur, quoties veriſimile eſt ex communi ſapientium judicio, hominis prudenter jurantis intentionem ſe ſe non extendiſſe ad eam pro ſtatu in quo nunc eſt. Quapropter cùm in his facilis ſit error, jurans nihil determinabit inconſulto viro prudente : quin & Confeſſarius ipſe in dubio recurret ad Epiſcopum, cujus eſt juramenta interpretari. Interim generaliter loquendo, materia notabiliter mutata dici poteſt, ſi facta ſit impoſſibilis phyſicè aut moraliter, ſi illicita, aut majoris boni impeditiva. Unde non tenetur juramento, qui promiſit ſummam, quam largiri non poteſt ſinè notabili ſtatûs ſui diminutione, nec is itèm cui prohibetur à Superiore juramenti executio, nec demùm pater qui pœnam filio comminatus erat, ſi is ità mores emendaverit, ut jam punitio plùs nocitura quàm profutura meritò judicetur. Quòd ſi materia ex parte impoſſibilis evaſerit, & ex parte poſſibilis remaneat, obſervari debet juramentum quâ parte materia ejus poſſibilis manet, ſi tamen hæc ab aliâ ſeparari poſſit ; quia *utile non debet per inutile vitiari.*

Secunda cauſa juramenti obligationem perimens, eſt remiſſio etiam tacita, modò injuſtè exorta non fuerit, & de remittentis intentione conſtet. Verùm remiſſio hæc locum non habet, ſi quod juratum eſt cedat in utilitatem tertii ; unde ſi duo ſibi mutuò juraverint ſe tantùm lucri in eleemoſynam daturos, non poſſunt hujuſce promiſſionis onus ſibi remittere.

Sed diſputatur, an locum habeat condonatio, cùm alicui jurata eſt promiſſio intuitu Dei.

R. Vel promiſſio facta eſt principaliter intuitu Dei, & ſecundariò reſpectu hominis, vel è contra. Si 1. non poteſt homo condonare, cùm res de quâ juratum eſt Deum magis reſpiciat, quàm homi-

nem. Si 2. potest propter rationem oppositam. Sic si duo sibi invicem juraverint Psalterii recitationem pro mutuà sua utilitate, possunt eam sibi invicem condonare; secùs si eam ob Dei honorem primariò intentum juraverint : unde hujusmodi casus non aliter quàm ex circumstantiis resolvi possunt.

Tertia causa est commutatio, quæ sub eodem juramenti vinculo unam pro alià materiam subrogat; sic tamen ut si materia juramenti Papæ reservati mutaretur in aliam quæ eidem reservata non esset, juramentum posterius, etsi prioris locum tenens, ab Episcopo relaxari posset, prout in simili dicetur de voto. Porrò circa commutationem juramenti hæc notanda:

1°. Juramenta in honorem Dei facta, non possunt in quid minus mutari aliâ quàm superioris autoritate; quia hæc mutatio aliquid habet dispensationis : dispensare verò solius est superioris. Verùm in aliquid apertè melius, modò non sit aliunde præceptum, mutari possunt solo jurantis arbitrio; quia Deus id quod melius est gratum habet. Aliud est de juramentis factis in gratiam proximi, quæ (modò ab eo extorta non sint, tunc enim possunt omnino relaxari) non possunt in meliùs mutari, cùm acceptata sunt, nisi id extraordinaria causa exigat.

2°. Summus Pontifex in totâ Ecclesiâ, Episcopus verò in suâ Diœcesi, juramenta in quid minùs commutare possunt, nisi hæc sint Apostolicæ Sedi reservata, qualia sunt 1°. ea quæ reservantur Papæ peculiaribus locorum, Academiarum, Collegiorumve Statutis; 2°. juramenta quæ fiunt in quinque materiis in quibus vota sunt eidem Romano Pontifici reservata, & quas recensebimus Cap. seq. Art. ultimo. Qui solùm delegatam habet potestatem vota commutandi, ut simplex Confessarius, non ideo juramenta commutare potest, & vicissim : unde duæ istæ potestates juxta Curiæ Romanæ stylum seorsim conferuntur.

Quarta causa est irritatio facta autoritate illius

qui jus habet in alterum. Sic pater filii, tutor pupilli, maritus uxoris juramenta irritare possunt; quæ an & quousque vera sint, expendam Cap. seq. Art. ult.

Quinta causa est relaxatio, seu dispensatio. Quòd autem potestas dispensandi in juramentis fuerit Ecclesiæ concessa,

Prob. 1°. quia ad hoc duo sufficiunt; 1°. ut hæc potestas Ecclesiæ necessaria sit; 2°. ut Christus Ecclesiæ suæ in necessariis non desit: Atqui 1°. Ecclesiæ necessaria est potestas dispensandi in juramentis, sicut & in votis. Ideo enim Respublica civilis proprias suas relaxandi leges potestatem habet, quia eædem leges sinè gravi aliquorum incommodo quandoque observari non possent, cui quidem incommodo per dispensationem providam occurritur: Atqui pariter quandoque contingit ut juramenta sive paulò imprudentiùs, sive etiam prudenter emissa, sinè gravi vel multitudinis, vel privatorum incommodo servari non possint, ob circumstantiarum mutationem quæ ab initio prævideri non potuit, uti quotidiana probat experientia; Ergo Deus dispensandi in juramentis facultatem debuit Ecclesiæ suæ largiri; si autem debuit, ergo & de facto largitus est.

Prob. 2°. ex Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*; ex quo Ecclesia, legitima Scripturæ interpres, semper collegit se juramenta, cùm justa subest ratio, relaxare posse. Unde Alexander III. cap. 8. *De jurejur.* dicit, *à pluribus prædecessoribus* suis dispensatum fuisse in juramentis per metum extortis.

Confirm. Citata Christi verba, cùm generalia sint & Ecclesiæ admodum favorabilia, tantùm extendi debent quantùm possunt, salvâ verborum proprietate: Atqui salva verborum proprietate extendi possunt ad astruendam Ecclesiæ potestatem dispensandi in juramentis, cùm etiam extendi possint ad facultatem remittendi peccata, quæ sanè major est facultate relaxandi juramenta; Ergo.

Neque sic tamen efficit Ecclesia ut Deus vocetur in testem falsi. Sicut enim Deus in testem falsi non vocatur, quando ob promissarii condonationem non impletur promissio jurata, sic nec vocatur in testem falsi cùm eadem promissio ob Ecclesiæ dispensationem non adimpletur: quia tunc Deus per Ecclesiam dicit, Permitto vel volo ut juramentum mihi factum non exequaris.

Circa dispensationem juramenti hæc notanda: 1°. non est valida, nisi justa adsit ejusdem concedendæ ratio. Quia inferior, qualis est omnis homo respectu Dei, in lege superioris dispensare non potest sinè causâ; 2°. si juramentum confirmet promissionem tertio factam, non valet dispensatio, sicut nec valet commutatio in eodem casu, ut dictum est. Fieri tamen posset in gratiam boni communis, ut promissio alicui facta relaxaretur à superiore: sic dispensari potest cum eo qui juravit se non denuntiaturum esse reum, quando ex ejus denuntiationis defectu sequi posset impunitas criminum & audacia ad scelus.

Pauca hîc addemus de adjuratione; est autem adjuratio, contestatio seu interpositio rei sacræ, cujus reverentiâ intendimus aliquem permovere ad aliquid præstandum: unde adjuratio non vocat Deum in testem, sed ejus reverentiam interponit, ut homo ipsius amore vel metu commotus ad aliquid faciendum adducatur.

Adjuratio duplex; deprecativa quæ fit per preces, ut Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei;* & præceptiva quæ fit cogendo, ut Matth. 26. *Adjuro te per Deum vivum ut dicas, &c.* Nemo est qui non possit adjurare etiam dæmonem, sed privatim: adjuratio enim publica solis Ecclesiæ ministris competit: nec jam in usu est ut simplex Exorcista adjuret, nisi specialiter ab Episcopo approbatus sit.

Adjuratio multiplici modo peccatum esse potest; ut 1°. si sit de re illicitâ, quia tunc Dei nomen assumitur in vanum; 2°. si fiat per eum per quem fieri

non debet, ut per Mahumetem ; 3°. si superiores per modum coactionis adjurentur ; 4°. si dæmones adjurentur deprecativè ; vel coactivè quidem, sed ad obtinenda ab eis auxilia, quia ad eorum opem recurrere non licet ; 5°. si qui eos adjurant, vana ab iis & curiosa requirant ; neque hæc colloquia à gravi vacarent peccato, si diutiùs protraherentur : 6°. si præbeatur dæmoni occasio aliorum peccata revelandi, quia proximi famæ consulendum est, 7°. si certa verbis ejus fides habeatur : est enim ipse mendax & mendacii pater ; Joan. 8.

CAPUT QUINTUM.

De Voto.

CIrca arduam votorum materiem videndum ; 1°. quid & quotuplex sit votum ; 2°. quæ ejus materia ; quis itèm vovere possit ; 3°. sitne votum opus meritorium & obligatorium, etiam cùm fit ex metu, dolo, &c. 4°. quando, & per quem debeat impleri ; ubi quædam de interpretatione voti dicentur ; 5°. tandem quotuplici viâ tollatur obligatio voti.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Votum, & quotuplex.

VOtum definitur, *Promissio deliberatè Deo facta de meliori bono.*

Dicitur 1°. *promissio*, hoc est, spontanea fidei obligatio quâ quis ità se ad aliquid faciendum constringere vult, ut si id non fecerit peccet ; unde patet votum distingui à simplici proposito, vi cujus non intendit homo tam arctè obligari. Et id advertere debent Confessarii propter pœnitentes qui quandoque propositum cum voto confundunt ; & quorum intentio attentè investiganda est, juxta illud

cap. 3. *de voto. Proponens in animo quòd Religionis habitum esses aliquando suscepturus.... si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleas quod dixisti.*

Dicitur 2°. *deliberatè* facta; votum enim est lex, eaque gravis quâ quis se ligat; nemo autem sinè deliberatione sufficienti sese obligare censetur: unde ad votum eadem requiritur & sufficit deliberatio quæ ad peccatum mortale, nisi majorem exigat Ecclesia. Qua propter rejiciendum est quod aliqui dicunt, eos quos voti pœnitet, statim ac illud emiserunt, censendos esse absque sufficienti deliberatione vovisse; tum quia ea est hominis inconstantia, ut hunc sæpè pœniteat eorum etiam quæ cum plenâ deliberatione sibi proposuit; tum quia plena deliberatio uno momento haberi potest, seu circa bonum, seu circa malum, unde rarò admodum contingit ut vota ex defectu deliberationis non obligent.

Hîc duo notanda, 1°. eum qui vovet cum eâ solùm deliberationis specie, quæ ad peccatum veniale sufficeret, non obligari hocce voto saltem sub pœnâ peccati mortalis; 2°. eum qui vovet absque examine, rei quam vovet proportionato, peccare, & aliquando mortaliter; haud tamen tunc desinit voto obligari, cùm ut supponimus, ex eâ voverit deliberatione quæ ad peccatum mortale sufficit.

Dicitur 3°. *facta Deo*; votum enim est actus latriæ, qui soli Deo exhiberi potest. Hinc qui regulæ suæ observantiam vovent Sanctis, intendunt vovere Deo coram Sanctis, quos in promissionis suæ testes adducunt; alioqui non fieret votum, sed solùm promissio quædam religiosa.

Dicitur denique *de meliori bono*; id est, de actione quam melius est fieri, quàm non fieri. Ratio est, quia promissio non fit alicui, nisi ut ei gratificemur: porrò gratum non est id quod habere melius non est quàm non habere.

Hinc validè non vovet, 1°. qui vovet nuptias; quia matrimonium minus est bonum quàm continen-

tia ; 2°. qui rem indifferentem aut æqualem vovet, ut quòd hanc ducat præ aliâ. Si tamen voveret hanc ducere ob remunerandam ejus virtutem, ob conciliandam pacem familiæ, ob ſubtrahendam periculo virginem, &c. valeret votum, non quidem abſolutè, (niſi fortè in raris caſibus, quia alioqui ſtatum Religionis aut continentiæ, matrimonio meliorem excluderet) ſed comparatè, & quatenùs excluderet facultatem alterius uxoris ducendæ, ſub quâ ratione eſſet de meliori bono ob circumſtantiam pietatis.

Ceterùm vota de meliori bono eſſe cenſentur, quoties obligant ad aliquid quod melius ſit oppoſito ſuo, licèt non ſit melius quocumque alio quod fieri poſſit. Hinc voveri poteſt donatio calicis ab eo qui totam Eccleſiam conſtruere poſſet : quia licèt melior ſit eccleſiæ conſtructio quàm donatio calicis, melius tamen eſt calicem dare, quàm ejuſdem donum omittere. Verùm hæc ex infrà dicendis eluceſcent.

Votum dividitur 1°. in ſimplex, & ſolemne. Votum *ſimplex* eſt nuda promiſſio ſinè ſolemnitate Deo facta, ut jejunandi, Religionem ingrediendi. Votum *ſolemne* eſt traditio & conſecratio ſuî ipſius divino cultui, cùm præſcriptis ſolemnitatibus facta, & Dei nomine ab Eccleſiâ acceptata. Duo ſunt hujus generis vota, caſtitatis ſcilicet in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, & profeſſionis in Religione per Sedem Apoſtolicam approbatâ.

Differunt hæc vota tum *à poſteriori*, ſcilicet ab effectu, quia ex cap. 6. *Qui Clerici.* Votum ſimplex *matrimonium impedit contrahendum, non tamen dirimit jam contractum*, præterquam in Societate Jeſu; votum verò ſolemne, non ſolùm impedit contrahendum, ſed & contractum irritat ; tum *à priori*, ſcilicet per proprias rationes quas explicare arduum eſt, unde hìc varias in partes ſcinduntur Theologi.

Potior nobis videtur opinio Scotiſtarum, qui reponunt voti ſolemnitatem in ſtatuto Eccleſiæ, per quod *qui in circumſtantiis* & cum formalitatibus ab

Ecclesiâ præscriptis vovet, ad certos effectus inhabilis redditur, scilicet ad validè nubendum ratione castitatis; ad habendum rei alicujus dominium ratione paupertatis, ad se aliis quàm superioribus obligandum ratione obedientiæ: quam inhabilitatem non contrahunt qui simplicia emittunt vota; quandoquidem, qui simplex paupertatis, vel castitatis votum emittit, nec dominii, nec matrimonii validè contrahendi incapax efficitur. Hæc autem opinio

Prob. 1°. quia Bonifacius VIII. cap. unico *de voto* in 6. expresè dicit *quòd voti solemnitas ex solâ constitutione Ecclesiæ est inventa*; idque repetit Gregorius XIII. in Bullâ *Ascendente Domino*: Atqui prædicti Pontifices loquuntur de verâ ac substantiali solemnitate, quandoquidem loquuntur de solemnitate prout matrimonii diremptivâ, quæ sanè ipsissima est solemnitas substantialis. Ergo solemnitas voti non ex ipsâ rei naturâ talis est, ut docent Thomistæ, sed à solâ Ecclesiæ voluntate pendet.

Prob. 2°. quia si voti solemnitas consistat in traditione & acceptatione, quæ sit de jure naturæ, dicendum est Papam non posse in voto solemni dispensare, quod docent iidem Thomistæ: Atqui opinio hæc falsa est, ut infrà evincemus; Ergo.

Hinc colliges votum simplex & solemne non differre essentialiter; quia idem habent objectum, & illud sub eâdem ratione formali attingunt. Unde ex Celestino III. *Simplex votum apud Deum non minùs obligat quàm solemne.* Graviùs tamen intra eandem speciem peccat, qui solemne votum transgreditur; unde circumstantia voti solemnis in confessione apperiri debet.

Cap. 6. ...i Cle... i.

Dividitur 2°. votum in personale, reale & mixtum. *Personale*, est promissio actionis vel omissionis quæ ipsum voventem afficere debet: tale est votum castitatis. *Reale*, est promissio rei per se vel per alium efficiendæ. *Mixtum*, ex personali & reali coalescit, ut votum eundi ad templum aliquod, ibique calicem offerendi.

Dividitur 3°. in *temporale*, quod ad certum tempus durat, ut votum jejunandi per mensem; & *perpetuum*, quod per totam voventis vitam durare debet, ut votum perpetuæ castitatis.

Dividitur 4°. in *absolutum*, quod fit simpliciter ac sinè conditione, ut Voveo castitatem; & *conditionatum*, quod fit sub conditione, ut Voveo Rosarium, si sanitas restituatur patri.

Dividitur 5°. in *morale*, quod spectat ad mores, ut stimulus virtutis; & *pœnale*, quo promittitur, aliquid faciendum in pœnam criminis; sive jam admissi, ut Voveo jejunium, quia temerè juravi; sive illud admitti contingat, ut Voveo jejunium si juravero. Votum pœnale aliquando duplex est, ut cùm extenditur tum ad pœnam, tum ad fugam criminis: v. g. Voveo me non amplius inebriandum, & si contra fecero, à vino abstenturum: aliquando simplex est, ut si ad pœnam solam extendatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causâ materiali & efficiente Voti.

Constat voti materiam esse debere rem possibilem, bonam, & quæ melioris boni impeditiva non sit; quia non potest Deus rei vel impossibilis, vel malæ aut indifferentis, vel quæ majoris boni impeditiva sit, promissionem acceptare. Sed

Quæritur 1°. circa materiæ possibilitatem, an valeat votum cujus materia partim possibilis est, partim impossibilis.

R. 1°. votum obligare quoad partem possibilem; si talis sit hujusce voti materia ut dividi possit & soleat. Ratio est tum quia vovens censetur tunc partes illas divisim promisisse, id est, se obligasse ad id quod facere posset; tum quia ex citatâ Juris regulâ, *Utile non debet per inutile vitiari.*

Hinc 1°. si non potes centum aureos quos vovisti, pauperibus dare, teneris dare decem quos potes. *S. Thom hic q. 88 art. 3.*

Si voveris jejunium in pane & aquâ, teneris, si potes, ad jejunium ordinarium, &c.

Hinc 2°. puella *quæ virginitatem vovit, si corrupta est, quamvis non possit virginitatem reddere, tamen potest continentiam; & idcirco ad hoc remanet obligata*: quia dum simpliciter & sinè restrictione vovetur virginitas, vovetur abstinentia ab omnibus venereis.

Hinc 3°. qui post emissum castitatis votum nuptias contraxit & consummavit, quamvis debitum reddere teneatur, debet tamen nec illud exigere, nec reddere, si compars jus ejusdem exigendi amittat; & à secundis nuptiis abstinere, si uxor ante ipsum è vivis excedat. Pari de causâ, qui *intravit Monasterium invitâ uxore*, etsi *ratione voti*, utpotè invalidi, post uxoris mortem, *ad Monasterium non tenetur redire; ulteriùs* tamen *non poterit uxorem accipere*, nec à suâ dum vivet debitum exigere; *promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat; & ideo quoad votum ejus tenuit, &c.*

Cap. 3. Con-rs. con-3.

Hinc denique quoties in objecto unum est per modum principalis, aliud per modum accessorii, principale servari debet, si possibile remaneat, etsi accessorium impossibile factum sit; quia ex jure *accessorium principale ad se trahere* non debet. Excipe nisi accessorii impossibilitas principale ità difficile reddat, ut vovens illud solitariè sumptum vovere non intenderit. Sic qui vovit Romam ire in equo vel rhedâ, iis deficientibus ire non tenetur.

R. 2°. Si partes materiæ non divisim sed collectivè promissæ sint, nulla remanet obligatio si earum pars altera fiat impossibilis: quia vovens non intendit ad unam se obligare sinè alterâ.

Hinc colligunt multi eum qui vovit Ecclesiæ ædificationem, si sola jacere possit fundamenta, ad nihil teneri; quia censetur ædificium totum vovisse per modum unius. Hæc tamen resolutio dubia est; undè censent Navarrus, Sylvester, &c. eum qui votum hoc emiserit, vel Capellam in illo vel alio Templo,

vel ſaltem fundamenta quæ poteſt, ædificare debere; quia fieri ſolet ut alii viſo Eccleſiæ principio ad eam perficiendam accendantur. In hoc ergo caſu, niſi aliud ferat ſpecialis intentio illius qui vovit, vel ſequenda eſt pars tutior, vel recurrendum ad Epiſcopi judicium. Iiſdem de cauſis abſtinentiam præciperem ei, qui jejunium vovit & ſolùm à carnibus abſtinere poteſt.

Nihilominus communis opinio tenet eum qui vovit ſe in ſacco peregrinaturum, non teneri induere hoc pœnitentiæ veſtimentum ſi peregrinari non poſſit, quia votum non fuit de eo emiſſum, niſi ratione itineris. Sic etiam qui vovit ſe tali die jejunaturum, ſi diei huic jejunium affigere voluerit, putà in Sancti alicujus honorem, & eâdem jejunare nequeat, non tenetur die ſequenti ad jejunandum. Ratio eſt, quia niſi obſit, quæ hìc plurimùm conſideranda eſt, ſpecialis voventis intentio, id quod impleri non poteſt in prædictis caſibus, ſe habet per modum principalis, ac ferè per modum totius: porrò qui ad principale non tenetur, nec ad acceſſorium tenetur.

Quæres 2°. an qui voto disjunctivo promiſſit Eccleſiæ bovem vel equum, voto ſuo teneatur, ſi una materia poſſibilis ſit, altera non, putà quia perierit equus, non verò bos. R. Si jam perierat equus quo tempore votum factum eſt, votum ab initio non valuit; quia fuit de materiâ impoſſibili ſecundùm intentionem voventis, cùm vovens intenderet unum præ alio eligere; quod non poterat. Si autem emiſſo jam voto perierit equus, & necdum electio facta fuerit, tenet votum quoad eam partem quæ poſſibilis remanſit; quia promiſſio quæ ab initio valida fuit, ſervari debet quantùm poteſt. Addo voventem ejus rei quæ periit pretium dare poſſe, quia hanc ſi ſupereſſet præ aliâ dandam eligere potuiſſet, niſi tamen res ea voventis culpâ perierit; tunc enim eam prorſus dare tenetur quæ ſupereſt. Quòd ſi vovens rem quæ periit dandam elegiſſet, ad nihil teneretur: quia idem tunc eſt ac ſi promiſiſſ

set rem unicam, quam falsò penes se esse crediderat.

Quæres 3°. si quis voti prioris immemor, aliud emiserit cum priori incompatibile, ut votum serviendi infirmis eâ die quâ peregrinationem voverat, quid faciendum ? R. Votum quod est de re meliori servandum esse, quia est validum, cùm liceat votum in melius commutare : si verò posterius votum sit de æquali bono, adhærendum est priori, quia votum prius in aliud æquale mutari nequit. Idem est si dubitetur an posterius votum sit de bono meliori, quia possessio stat pro voto priùs emisso.

Quæres 4°. an votum non peccandi censeri debeat de materiâ possibili.

R. 1°. votum de vitando omni prorsùs mortali peccato, esse de materiâ quæ homini sinè speciali privilegio possibilis est. Hæc tamen vota consulenda non sunt, nisi viris timoratissimis, qui se per plures annos probaverint: aliàs enim viris fragilibus aut scrupulosis, novam lapsûs aut scrupuli occasionem indubiè procrearent; unde in iis haud difficile dispensandum esset.

R. 2°. votum de vitando aliquo genere peccati venialis, v. g. mendacio jocoso, esse de re cum communibus gratiæ auxiliis possibili, adeòque validum ; quamquam nec istud votum in quibusdam saltèm materiis, in quibus difficile est non labi, facilè permitti debet. Quis enim ab omni otioso verbo abstinere possit, absque gravi & jugi pœnâ, sicque cum crebro & gravi violandi voti periculo ?

R. 3°. votum omnia venialia vitandi videri invalidum : non enim valet votum nisi acceptetur à Deo; non acceptatur autem votum & inutile & nocivum: Atqui tale esset votum de quo loquimur, quodque singulis diebus, ingeminandi peccati occasio foret; Ergo.

Circa bonitatem materiæ voti, quæres 1°. an valeat votum de re jam præceptâ. R. affirmat. Ut enim res jure naturali præceptas aliquando de novo præcipit Ecclesia, ita & easdem sibi de novo præcipere possunt homines, ut firmiùs persolvant id ad quod jam

jam tenentur: hinc voveri solet abstinentia ab illicitis voluptatibus, etsi aliunde imperata.

Quæres 2°. an valeat votum de re indifferenti.

R. negat. & hoc verum est, etiamsi vovens rem illam ad Dei cultum referre intendat: unde non valet votum non nendi, aut ungues non abscindendi die sabbati in honorem B. Virginis. Ratio est, quia materia voti ad Dei cultum referri debet; at res indifferens ad Dei cultum verè referri nequit: imò tale votum non vacat à culpâ, cùm superfluum cultum contineat.

Aliud erit, si res de se indifferens honesto fine vestiatur; ut si mulier à nendo abstinere velit die sabbati, ut expeditior sit ad recitandos sæpiùs B. Mariæ calculos; itèm si vestes albas gestare voveat, vel ut in se specialem singularis quæ in Mariâ emicuit virginitatis memoriam excitet, vel quia ex locorum usu eædem vestes certam Mariani cultûs professionem continent.

In dubio an voti materia indifferens sit, an bona, votum impleri debet; quia non implendo incurreretur peccandi periculum. Aliud esset in dubio an voti materia illicita foret, necne: quia qui operatur antequam tale dubium deposuerit, facit id quod peccatum esse posse putat; & id nunquam licitum est.

Sed quid juris, si res voto promissa, ab initio indifferens, deinceps bona evaserit; putà si jam honestum est non ingredi domum, quam ingredi indifferens erat cùm vovi me eam non ingressurum esse, valetne nunc votum istud?

R. negat. quia ex Reg. 18. Juris in 6. *non firmatur tractu temporis quod ab initio non subsistit.* Valeret tamen hoc votum, si vovens ex errore credidisset ingressum certæ domûs actu & de facto aliquid habere periculi; & tunc sublato periculo, cessaret votum; eodemque resurgente reviviseceret.

Quæres 3°. an votum de re bonâ ratione objecti, sed indifferenti ratione finis, sit validum, putà votum jejunandi, vel non ludendi ad parcendum

ſumptibus. R. negat. quia actio indifferens ratione finis, eo ipſo eſt mala, ut docet S. Thomas : votum autem de re malâ non tenet. Aliud ſanè foret, ſi quis in ordine ad Deum parcere vellet ſumptibus, putà ut uberiorem egenis ſtipem erogaret.

Quæres 4°. an valeat votum de re bonâ, ſub conditione malâ & turpi.

R. Conditionem malam voto rei bonæ multis poſſe modis adjici. Et quidem 1°. ad obtinendam rem malam, aut quia ea jam obtenta fuit, ut Voveo preces ut obtineam, vel quia obtinui ultionem de inimico; & tale votum non valet, ſeu quia in eo ordinatur opus bonum ad finem malum; ſeu quia Deo aguntur gratiæ tanquam peccati autor extiterit, quod blaſphemiam ſonat.

2°. Si contigerit res mala, ut Voveo eleemoſynam, ſi juravero; & tale votum tenet, quia nulla eſt mala circumſtantia unde corrumpatur.

3°. Si ex re malâ quæ non vovetur, boni aliquid contingat, ut Voveo eleemoſynam, ſi ex duello victoriam reportem; ſi ex fornicatione filium ſuſcepero. Atque hoc votum valere cenſent Suarez, Toletus, &c. quorum opinio falſa mihi videtur : quia vovere eleemoſynam ſi victor ex duello redeas, nihil aliud eſt quàm vovere, ſi & eâ conditione ut impium de hoſte triumphum reportes, ſicque ut Deus crimini tuo benedicat, quod peſſimum eſt. Si tamen malum eſſet mera conditio, non autem finis à vovente intentus; imò ſi dubium foret an vovens habuiſſet malum pro fine, votum adimpleri deberet.

4°. Si malum quod tibi proponis non ſit finis operis ſeu voti, ſed finis ſolùm operantis, valet votum, ut ſi coram pluribus quorum laudes aucuparis, voveas Religionem, tenet votum; quia non refertur ad rem malam; licèt res mala te ad vovendum impulerit.

Quod ſpectat ad ultimam conditionem, ut nempè votum ſit de meliori bono, quæres 1°. an valeat votum ingredi Religionem laxiorem.

R. Valere, poſito quod ſtatûs Religionis illius

ıelior ſit ſtatu communi qui relinquitur, ut melior Te ſolet ; non ità eſt de matrimonio, quia ut dixiıus, matrimonii votum melius bonum excluderet, ɔntinentiam ſcilicet aut Religionem.

Quæres 2°. quid ſentiendum de voto Jephte, udic. 11.

R. Si votum illud fuit de immolandâ corporaliter reaturâ rationali, ut docent plerique Patres, & ıdicare videtur Scriptura, utique illicitum fuit, nec otuit ſinè peccato impleri, niſi excuſaverit bona des, quam hìc aliqui agnoſcunt. Si verò idem voım fuit de immolatione civili, id eſt de conſecrandâ)eo perſonâ, quæ prior occurreret Jephte, nihil abuit vitioſi. Porrò prima opinio, ut & communior ſt, ſic & litteræ Scripturæ magis eſt conſentanea. 'ide noſtram Tournelii continuationem : in hoc nim compendio praxi potiſſimùm incumbimus.

Quod ſpectat ad cauſam efficientem voti, ſit

CONCLUSIO I. Omnis & ſolus homo rationis ompos vovere poteſt.

Prob. Quia ad votum requiritur actio humana, ujus incapax eſt quiſquis eſt rationis impos. Hinc 'overe non poſſunt ebrii, amentes, &c. poſſunt 'erò, ut ſtatim dicam, infantes poſt adeptum ratioıis uſum, & quicumque peccare mortaliter poſſunt.

CONCLUSIO II. Omnia omnino vota ſimplicia, tiam de amplectendâ Religione, ab iis emiſſa qui atione utuntur, ſive aliis ſubditi ſint, ſive non, 'identur de ſe eſſe valida.

Prob. quia hæc vota neque irrita ſunt ex naturâ ei, cùm fiant ab homine qui id quod vovet intelligit, altèm quoad ſubſtantiam; neque actu irritantur ullâ ege poſitivâ, cùm nullum extet jus quo hujuſmodi erſonæ ad vota ſimplicia inhabiles reddantur.

Dixi 1°. *vota ſimplicia* : quia Trid. Seſſ. 25. cap. 15. *De Regular.* ſtatuit ut *profeſſio in quâcumque Religione ante annum* 16. *expletum* factâ, *nullam nducat obligationem ad quoſcumque effectus* : adeò ue non valeat etiam in ratione voti ſimplicis.

Dixi 2°. *etiam vota de amplectendâ Religione.* Neque verò me fugit dubios esse circa hanc controversiam Theologos; sed opinio nostra præferenda videtur; 1°. quia tutior est saluti voventis, cùm in dubio tutius sit dispensationem petere ab Episcopo; 2°. quia pueri necdum puberes peregrinationis Hierosolymitanæ votum etsi arduum emittere possunt, ex cap. 2. *de Voto*, *&c.* ubi Alexander III. votum prædictum *in puerili ætate* emissum eleemosynis redimi mandat, quæ commutatio præviam voti validitatem supponit; 3°. quia ut quis sufficienti ad votum ratione præditus censeatur, necesse non est ut quasi in bilance trutinet quæcumque ad vovendum promovere, vel à vovendo deterrere possunt; neque itèm ut omnem quæ votum subsequi possit difficultatem prævideat; aliàs quæ vota, vel matrimonia starent? Satis ergo est ut rei substantiam, ejusque difficultates intuitu generali prospiciat; hujus autem intuitûs capaces sunt qui verum rationis usum habent: vident enim v. g. RR. PP. Capucinos nudo pede gradi, à superioribus pendere, exhauriri calore, uri gelu, &c. quòd autem hæc minùs intueantur quàm alii, solùm efficit ut faciliùs dispensari debeant.

In dubio an puer sufficientem haberet rationis usum, censet Sanchez videndum esse, an infans septennium explevisset, necne: in priori casu obligare votum, & cujus eadem ratio est, juramentum; in posteriori autem præsumi defectum rationis, nisi de illo constet; sicque nullam esse voti aut juramenti obligationem. Si verò, ait idem Theologus, dubium sit an puer esset septennis tempore voti, *credo in voti favorem præsumendum; quia de illo constat, excusatio autem dubia est: itèm quia rarissimè aut nunquam ante septennium emittuntur vota aut juramenta promissoria.*

Dixi 3°. Vota hæc esse *de se* valida, quia per accidens contingere potest, ut sint vel fiant nulla, prout scilicet à parentibus irritata fuerint, vel ante, vel postquam emissa sunt; de quo infrà, Art. 6. Sect. 3.

ARTICULUS TERTIUS.

An votum sit opus bonum, meritorium, & obligatorium.

QUæstio est an vota de rebus aliàs non præceptis in novâ lege fieri queant, & facta obligent. Negavit Lutherus, tùm Lib. *de votis Monach.* tùm exemplo suo, cùm Catharinam *de Bore* Religiosam, Religiosus ipse & Sacerdos in uxorem duxerit. Sit

CONCLUSIO I. Votum actus est honestus, & Legis Evangelicæ statui conveniens.

Prob. 1°. ex Apost. qui de viduis quæ suum castitatis votum non servabant, sic scribit I. ad Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: sed si votum esset aliquid Evangelicæ Legis statui repugnans, non haberent damnationem qui ipsum violant, sed econtrà; Ergo.

Prob. 2°. ex Concilio Illiberitano an. 305. Can. 13. *Virgines, inquit, quæ se Deo dedicaverint, si pactum perdiderint virginitatis... placuit nec in fine dandam eis esse communionem.*

Prob. 3°. ex SS. Patribus, quos inter in re evidenti sufficiet Augustinum adduxisse. Sic ille verba hæc Psalmi 75. *Vovete & reddite* Christianis applicans: *Bene vivere secundùm communem modum.... hoc totum omnes vovere debemus. Sunt etiam vota propria singulorum: alius vovet Deo castitatem, &c.* Ergo ex S. Doctore voveri possunt, tùm ea quæ sunt in præcepto, ut *benè vivere*, tùm ea quæ consilii sunt, ut castitas.

Objiciuntur duo, 1°. quòd vota libertatem nobis à Christo assertam tollant; 2°. quòd qui vovet majoris se peccati periculo exponat, & sæpiùs pœniteat voti sui; sed hæc non nocent. Unde

R. ad 1. Libertas Evangelii est libertas à peccato, non autem ab eo quod majoris perfectionis vinculum esse potest.

R. ad 2. eos qui prudenter vovent, & Domini verborum meminerunt, *Oportet semper orare*, magnis subtrahi periculis, & nunquam voti sui pœnitere: & verò adversariorum ratio probaret præcepta Dei non expedire; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Rom. 4. v. 15.

Conclusio II. Opus quod fit ex voto, melius est eo quod fit sinè voto, & magis meritorium.

Prob. tum quia tale opus habet bonitatem quam non haberet sinè voto, jungit enim bonitatem actûs v. g. castitatis, bonitati voti; tùm quia opus quod fit ex Religionis virtute inter morales præstantissimâ, melius est eo quod fit ex aliâ virtute morali, castitatis, v. g. vel misericordiæ; Ergo tale opus melius est tùm extensivè, quia à pluribus virtutibus proficiscitur; tùm intensivè, quia à virtute perfectiori emanat.

Prob. 2°. Graviùs peccat qui castitatem Deo promissam violat, quàm si non vovisset; Ergo à contrario melior est actus castitatis quæ vota est, quàm quæ vota non fuit.

Obj. Quod fit ex necessitate minus habet meriti, quàm quod fit voluntariè; sed quod fit ex voto, fit ex necessitate; Ergo.

R. neg. maj. si agatur de necessitate non naturali quæ meritum tollit, sed morali quam quis sibimet imponit. *Felix* enim *necessitas*, ait Augustinus Epist. 127. *quæ in meliora compellit.* Et verò quis credat Deum aut superiores eò quòd quidpiam præcipiunt, meritum minuere? Dicendum igitur id quod ex parte libertatis deesse videtur, abundè compensari per motivum nobilius virtutis ex quâ operantur qui legem sibi vel à Deo, vel à semetipsis impositam adimplent.

Quod spectat ad obligationem voti, quinque circa eam expendenda sunt, 1°. an votum ut sic voventem obliget; 2°. an semper obliget sub gravi; 3°. & 4°. an etiam obliget cùm vel metu extortum est, vel dubium est an emissum fuerit; 5°. an & quatenus obliget votum conditionale. De quibus sit

CONCLUSIO III. *Hæreticum est asserere votum non obligare.* Ità S. Thomas quodlib. 3. a. 12.

Prob. 1°. ex Script. Eccl. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque voveris redde, multòque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Deuter. 13. *Cùm votum voveris non tardabis reddere, quia si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* P m. 75. *Vovete & reddite*: Unde sic: Hæretica est opinio quæ apertis Scripturæ textibus repugnat: Atqui talis est opinio quæ votorum obligationem negat.

Prob. 2°. ex S. Augustino Epist. 127. *Quia vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet.*

Prob. 3°. Magis obligatur homo Deo, quàm homo homini: sed homo tenetur in conscientiâ promissionem alteri homini factam exequi; Ergo à fortiori factam Deo.

CONCLUSIO IV. Votum obligat graviter in materiâ gravi, leviter in levi. Ità communior opinio.

Prob. 1. pars de quâ nemo ambigit, tùm ex Apostolo qui damnationi obnoxias dicit esse viduas, *quia primam fidem irritam fecerunt*; tùm ex S. Augustino qui ibid. sic loquitur: *Quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magnâ iniquitate deterreo.*

Ea porrò in votis censetur gravis materia, quæ per se vel ex circumstantiis ad honorem Dei, vel spiritualem voventis utilitatem notabiliter conducit; quæque si ab Ecclesiâ præciperetur, obligaret sub mortali. Hinc qui vovit semel se jejunare, peccata confiteri, Missam audire, mortalis peccati reus est si hæc omittat, nisi omittat in circumstantiis in quibus non peccaret Ecclesiæ præceptum omittendo.

Prob. 2. pars 1°. quia votum est privata lex quam vovens sibi imponit, & quidam cum Deo contractus: porrò lex & contractus non obligant graviter in materiâ levi; 2°. quia levis infidelitas, levis est injuria: sed violatio voti in materiâ leviore

levis est infidelitas; 3°. quia votum non obligat; nisi ut acceptatur à Deo: Atqui probabile non est quòd Deus rem levis momenti acceptet cum obligatione sub mortali: talis enim obligatio irrationabilis videtur; Ergo.

Obj. Juramentum falsum in materiâ etiam levi semper est mortale; Ergo à pari.

R. neg. conseq. qui enim Deum invocat in testem falsi, gravem semper injuriam Deo irrogat: sed aliud est de voto, quod cùm obliget per modum legis, non obligat sub mortali, nisi quando lex rationabilis sub mortali obligare potest.

Hinc non peccat letaliter, 1°. qui omittit *Pater* & *Ave* quæ semel recitanda voverat; 2°. qui singulis diebus assem unum pauperibus largiri debens, semel aut iterum non dat; secùs si toties omitteret, ut inde coalesceret gravioris materiæ omissio; 3°. qui leve aliquod peccatum facit; nisi peccatum illud valdè indecens foret personæ voventi, ut in Episcopo certa verba quæ malè sonant, etiam in ore secularium, quia cùm tunc votum fieret ob gravem causam, obligaret sub mortali, ait Henno.

Quæres an vovens possit se sub culpâ solùm levi obligare in materiâ gravi. R. affirmat. 1°. quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum; Ergo qui non vult se obligare sub gravi, nonnisi sub levi obligatur; 3°. quia vel possibile est materiam gravem vovere sub obligatione levi, vel non: si 1. votum obligat sub levi: si 2. non stat votum, cùm sit de re impossibili. Graviter tamen obligant, velis, nolis, vota quæ fiunt in Religione; tùm quia ità decernit Ecclesia, tùm quia vota hæc obligationem utrinque onerosam pariunt nempe in profitente qui se Religioni, & in Religione quæ profitenti se obligat; cùmque hæc se graviter obliget, debet & vovens ei se graviter obligare ut servetur æqualitas.

Dices: Votum pendet quidem à vovente ut fiat; at non pendet ab eo ut obliget, sed à Deo qui vult

voventem sibi obligari. Ergo si materia gravis sit, vovens voti sui obligationem restringere nequit.

R. dist. ant. Non pendet ab eo ut obliget simpliciter, quia nulla est vera promissio, quæ veram non importet obligationem, C. non pendet ab eo ut plùs aut minùs obliget, N. Sic lex superioris jure naturali & divino obligat, & tamen fatentur aliqui adversariorum, pendere ab intentione legislatoris ut rem gravem leviter præcipiat.

CONCLUSIO V. Votum emissum ex gravi metu ad idem extorquendum injustè incusso, non obligat.

Prob. Votum non valet cùm ab Ecclesiâ reprobatur: Atqui vota ex metu gravi injustè ad eadem extorquenda incusso, ab Ecclesiâ reprobantur, ut patet ex titulo *De his quæ vi, &c.* cap. 1. & 2. Ergo si puella emiserit Religionis votum ob timorem patris, non solùm mortem, sed alia morte longè minora minitantis, votum ejus non tenet: quia injuriæ v. g. graves, sunt quid magnum respectu puellæ.

Valet tamen votum, 1°. si metus levis sit, quia tunc nec ex rei naturâ, nec ullo jure irritum est; 2°. si metus gravis quidem sit, sed justè incutiatur: ut si Judex mulierem adulteram adigat ad vovendum, nisi mortem pati malit; quia non tam illi metus incutitur ut voveat, quàm ei ostenditur evadendi supplicii via; 3°. si metus injustè quidem incutiatur, sed non ad extorquendum votum: hinc si metu mortis tibi statim à latronibus inferendæ, voveas Religionem, tenet votum, quia nemo te ad vovendum compellit; non teneret tamen, si te à facie hostis ad Monasterium confugientem, Superior intra domum recipere nollet, nisi voveres; idem enim est ac si te traderet in manus inimici, quod gravem ac iniquum metum importat. Imò etsi Superior, ob imminens sibi damnum, posset aliquid exigere titulo compensationis, non tamen posset exigere ut voveres, quia votum liberæ electionis esse debet.

Porrò metus gravis & injustus jure solùm positivo, non autem naturali vota irritat. Ratio est,

quia metus injustè incussus, aliquando non tam est gravis, & ideò minùs libertati nocet quàm metus justè vel naturaliter incussus: & is tamen non tollit voti obligationem.

Jam ut intelligatur an votum dubium obliget, notandum est, duplex de voto dubium haberi posse. Vel enim dubitatur an votum emissum fuerit; vel certò constat emissum fuisse votum, sed dubitatur an hoc vel illo modo. Circa primum, de quo potior hîc movetur quæstio, & cujus resolutio resolutionem posterioris utcumque importat, sit

CONCLUSIO VI. Votum de quo legitimè dubitatur, an emissum fuerit, impleri debet.

Prob. 1°. In dubiis tutior pars est eligenda, cùm nullum occurrit fundamentum vi cujus pars altera possit eligi prudenter: Atqui cùm de voto agitur, pars tutior est adimpletio voti, ut per se patet: aliundè verò nullum est fundamentum vi cujus pars altera prudenter eligi possit. Si quod enim tale hîc esset fundamentum, utique libertatis possessio, ut adversariis placet: Atqui id gratis asseritur; cùm qui dubitat an votum emiserit, eo ipso dubitet de hâc suâ libertate, uti fusiùs dictum est in Tract. de Conscientiâ; Ergo.

Fatendum est tamen, dubium voventis excuti posse in hunc modum ratiocinando: Certum est mihi diuturnâ experientiâ, me non oblivisci rerum quas maturè proposui; Ergo si tale emisissem votum, hujus recordarer, ut aliarum meminisse soleo rerum quas maturè deliberavi; Ergo non feci, quia ejus non memini.

Prob. 2°. Si quis in dubio de voti emissione, posset votum non servare, posset quoque in dubio de valore matrimonii sui debitum petere; falsum consequens. Minor patet ex cap. 44. *De sent. excom.* Prob. maj. Ideo in dubio matrimonii conjux debitum petere nequit, quia se exponeret periculo faciendi quod non licet: Atqui eadem ratio militat in materiâ voti; cùm enim certa detur lex de non

violando voto, hoc ipso quod quis dubitat an votum emiserit, dubitat an non servando votum, violet eam legem; Ergo in hoc dubio votum servare debet, nè periculo transgressionis se objiciat.

Prob. 3°. tùm ex S. Thomâ, in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. tùm ex S. Antonino, 2. p. tit. 11. c. 2. *Existens*, inquit, *in dubio, an transgrediatur votum & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur.*

Hinc colliges eum qui certus est de substantia voti, sed dubius manet de qualitate ejus aut quantitate, debere votum strictiùs interpretari; unde qui certus se vovisse Religionem, dubitat an rigorosam voverit, non debet laxiorem ingredi, quia exponeret se periculo non implendi votum. Idem est de eo qui dubitat an satis deliberatè voverit; modo non voverit ante septennium, quia tunc defectus rationis & deliberationis præsumentur ex communiter accindentibus, cap. 4. & 5. *de despons. impuberum.*

Quod spectat ad votum conditionale, variæ ejus sunt species. Aliud enim fit sub conditione de præterito, aut præsenti; aliud sub conditione de futuro, quæ vel necessaria est, vel contingens. Aliud sub conditione honestâ; aliud sub turpi; aliud sub conditione cujus exitus pendet à vovente; aliud sub conditione quæ ab alienâ voluntate pendet. De his generales regulas statuemus, quæ etiam juramento applicari poterunt.

Regula I. Votum emissum sub conditione de præterito, vel de præsenti, statim obligat.

Prob. quia res de facto est, vel non est; fuit vel non fuit; Ergo nihil est tunc quod voti obligationem suspendat; ergo rursùs votum illud non conditionale, sed absolutum censeri debet. Idem est cùm conditio est quidem de futuro, sed necessaria; ut Voveo castitatem, si sol oriatur. Aliud est cùm particula *si* æquivalet particulæ *quando*; sic filius qui Religionis ingressum vovet, si pater suus obierit, censetur eandem vovere pro tempore mortis ejusdem.

Regula II. Votum ſub conditione contingenti ; non obligat niſi poſitâ eâdem conditione.

Prob. Quia ea eſt hujus conditionis natura, ut ad eventum uſque vim actûs ſuſpendat quoties ſuſpendi poteſt.

Debet autem conditio impleri ſecundùm ſe totam, etſi materia ejus ſit dividua. Unde qui Religionem vovit ſi frater ex itinere ſanus redeat, non tenetur voto, ſi frater revertatur quidem, ſed infirmus. Si tamen conditio ſanitatis, non fuiſſet in ipſo prioris voti actu, ſed deinceps, uno etiam poſt inſtanti adjecta, deberet votum impleri, quia novas promiſſioni jam à Deo acceptatæ conditiones addere non licet.

In dubio an ſecunda conditio incontinenti adjecta fuerit, votum impleri debet, quia conſtat de voto, non autem de causâ reſtringente. Unde colliges, eum qui dubitat an quidpiam voverit ſub conditione disjunctivâ, putà ſi frater aut ſoror redeant in patriam, poſito alterutrius reditu, teneri ad votum.

Duo hîc inquiruntur ; 1°. ad quid teneatur qui vovit ſub conditione quam neſciebat jam impletam eſſe ; 2°. qui vovit ſub conditione quæ non in propriâ quidem formâ, ſed in æquivalenti impleta eſt. Sit in exemplum prioris casûs : Joannes vovit aureos decem dandos pauperibus, ſi pater ex Pragnâ rediret, & is jam redierat. Sit in exemplum poſterioris : Petrus vovit Religionem, ſi ſoror quæ eo indiget, decenter nubat, & illa moritur.

R. In priori caſu ruit votum, quia tota vovendi ratio erat ut Deus incolumem reduceret eum, qui jam ſoſpes redierat. Aliud eſſet, ſi alia fuiſſet voventis intentio.

R. in ſecundo caſu ſtare votum, niſi etiam repugnet intentio voventis. Ratio eſt, quia Petrus vovit Religionem, ſi ſororis curâ ſuâ indigentis obex, eum in ſeculo non retineret : porrò extinctâ ſorore ſublatus eſt obex. Eâdem de causâ ſi eleemoſynam voveris, poſito quòd hæc navis certum tibi

lucrum afferret, quod ex aliâ percepisti, tenet votum: quia censeris vovisse, si commodè eleemosynam largiri posses. Hìc tamen ut ubicumque, circumstantiæ & speciem & decisionem variant. Si enim voveris occasione navis cui ob periculosum mare plurimùm verebaris, aliâ redeunte, sed non istâ, votum cessat, quia in hujus, si ità loqui fas est, naviculæ gratiam voveras.

Regula III. Votum emissum sub turpi conditione de futuro, non valet, nisi conditio intelligatur in sensu pœnali.

Prob. quia in hâc promissione, Voveo eleemosynam si vindictam sumpsero, si fornicari possim, &c. conditio regulariter induit finem voti, & res promissa habetur ut medium ejusdem finis obtinendi: Atqui nec valet nec valere potest votum cujus finis est ipsum crimen; Ergo prædicta vota non valent, nisi res promissa assumatur ut pœnam criminis, ut sensus sit: Voveo eleemosynam, si fortè eò usque miser sim ut fornicationi consentiam.

Quod dictum est de conditione turpi, idem de impossibili dicendum. Neutrius quidem habetur ratio in matrimoniis & ultimis voluntatibus; quia sic sanxerunt publicæ leges; sed aliud est in voto, quod totum à voventis intentione pendet.

Regula IV. Cùm votum fit sub conditione de futuro, quæ ab alterius voluntate pendet, duo ut plurimùm præcavenda sunt: 1°. expectandus est conditionis eventus; 2°. proinde nec vi nec dolo impediendum quominus impleatur conditio.

Prob. 1. pars: quia aliàs qui vovit Religionem, si futurum sit ut pater suus in id consentiat, perinde se haberet ac si nihil vovisset: quandoquidem non expectato patris dissensu, posset ad nutum ducere uxorem: hæc autem quàm Dei irrisoria sint, nemo est qui non sentiat.

Prob. 2. pars: quia si vovens conditionis eventum, seu consensum patris expectare teneatur, à fortiori eundem fraudulenter non impedire tenetur.

Liceret tamen eas præſertim quæ ſupervenissent rationes exponere patri, ex quibus inferre poſſet, ſatiùs eſſe tùm ſibi, tùm filio, ut omnem deneget conſenſum.

Hæc noſtra regula procedit de conditione honeſtâ. Pater enim qui voviſſet Religionem ſi filius ſuus crimini ſe dedat, id pro virili impedire debet: quin & aliquando impediri poteſt conditionis honeſtæ eventus, intuitu majoris boni. Sic qui vovit eleemoſynam ſi neptis ſua Titio nubat, poteſt ei perfectiorem ſtatum ſuadere; quia votum non obligat cum majoris boni proprii vel alieni impedimento.

Quæres an ſi pater, vel communitatis ſuperior aliquem repellant, is liber maneat à voto ita ut iiſdem ex poſt facto conſentientibus, poſſit quam aliam volet partem amplecti. Aſſerunt plures quos ſequi non auſim. Quia quiſquis feriò & bonâ fide agit cum Deo, cenſetur polliceri ſe facturum quod moraliter penès ſe fuerit, ut tandem voti compos evadat: itàne verò ſe gerit, qui tranquillus manet ex priori repulsâ, quam & à patre à quo diligitur & à ſuperioribus qui candidatos probare amant, expectare debuerat? Fatendum tamen nec poſtulanti peragrandas eſſe omnes Ordinis domos, nec eidem ad exteras terras tranſeundum eſſe, ut tentet an in iis recipi poſſit: quapropter ſufficiet ut moralem quam vir prudens adhibere ſolet, diligentiam adhibeat.

Regula V. Qui vovit ſub conditione à ſemetipſo dependente, hanc aliquando impedire poteſt; aliquando ſi impediat, vel peccat graviter, vel etiam tenetur voto.

Prob. 1. pars: Qui enim vovit, ſi Religionem unquam profiteatur, Carthuſienſem profeſſurum, haud utique hanc profiteri tenetur. Quòd ſi aliam Religionem ingreſſus fuerit, tenetur ab eâ ad Carthuſienſem tranſire, niſi jam profeſſus ſit.

Prob. 2. pars: Qui enim vovit aliquid ſi ſanitatem recuperet, & nè recuperet noxiis utitur alimentis, in fraudem voti peccare cenſetur: idem eſt de eo

qui vovit Religionem si litteras discat, & nè discat, de industriâ studium omittit; Ergo uterque & reus est voti, & voto teneri pergit. Etverò an à promisso liber esset, qui pollicitus mutuum Joanni quoties ad se veniret, eundem excluderet à domo suâ?

Quin & eum quoque voti reum putem, qui sinè dolo, sed non sinè negligentiâ impedit nè ponatur conditio sub quâ vovit: 1°. quia negligentia saltèm gravis dolo æquiparatur; 2°. quia vovens finem sub conditione quæ à se pendet, videtur indirectè vovere id quod necessarium est de viâ communi ut conditio impleatur; neque enim seriò voveret finem qui excluderet media à se dependentia. Ad minus ergo hoc in casu consulendus est Episcopus, & ab eo petenda voti dispensatio; quam & denegare debet, si vovens culpam suam etiamnum reparare possit. Haud tamen reum facerem voti, eum qui extraordinariis ad implendam conditionem viis usus non esset, putà qui cariora undecumque remedia non collegisset, qui diu noctuque non impalluisset libris.

Conditionali voto annexum est pœnale, quod vel est simplex, ut si quis voveat eleemosynam, si luserit; vel duplex, si voverit & abstinentiam à ludo, & eleemosynam si luderet. In hoc ultimo casu, qui dispensatus est à voto priori, à posteriori liber manet; quia sublato principali, tollitur accessorium; nisi aliud ferat intentio, voventis. Suspecta tamen mihi haberetur prioris voti dispensatio absque posterioris mentione obtentâ; quia pœnalitas apposita, prioris voti gravitatem arguit.

ARTICULUS QUARTUS.

Quando, & per quos debeat Votum adimpleri.

DIco 1°. Si vovens nullum sibi præscripserit tempus quod votum impleat, debet illud implere quamprimùm commodè potest.

Prob. quia promissio omnis quæ limitata non est, statim potest exigi; ac proinde si exigatur, statim implenda est: Atqui Deus statim requirit voti executionem ut patet ex cit. cap. 23. Deuter. Ergo culpabilis est omnis mora quæ rationabili causâ non cohonestatur. In hâc tamen morâ occurrere potest materiæ parvitas quæ à mortali excuset; imò nè veniale quidem erit peccatum, si mora sit adeò brevis, ut viri prudentis arbitrio pro nihilo debeat reputari. Hinc qui vovit Religionem, differre potest donec vel satis habeat virium ut Religionis labores ferat, vel satis scientiæ, ut munia ejus exercere possit: hìc tamen consulendi essent locorum Superiores, aliive prudentiâ commendandi.

Dico 2°. Votum impleri debet præscripto tempore, si quod præscriptum fuerit.

Prob. quia tempus illud est veluti pars materiæ voti; Ergo cùm votum quoad omnes partes impleri debeat, debet & impleri quoad tempus. Hinc qui vovit jejunium die Sabbati, peccat mortaliter quasi die ab Ecclesiâ statuto non jejunaret, nec potest jejunium aliam in diem transferre.

Quæres 1°. an possit præveniri tempus voto præscriptum. R. vel tempus præfixum fuit ut voti adimpletio non ultra differretur; vel res promissa huic diei affixa est in honorem ipsius diei, v. g. ob festivitatem alicujus Sancti. Si primum, potest tempus præveniri, quia votum etiam ante illud tempus obligat; nam qui in hâc suppositione dicit, *Voveo me mea tali tempus peccata confessurum*, æquivalenter dicit, *non differam ultra tale tempus*. Quòd si ultra præfixum tempus confessionem differat, debet postea confiteri; sicut debitor cui præfixus est mensis terminus ut solvat, debet posteà solvere; & communiter pœnitens cui impositum est à Confessario jejunium die Veneris, debet posteà jejunare, si die præscriptâ non jejunaverit. Si secundum, tempus præveniri non potest, quia promissio habet tunc pro objecto tale tempus, prout ab alio quovis tempore

listinguitur: unde qui executionem voti tempore
uo omisit, non tenetur illud posteà implere, sicut
qui die festâ non interfuit Sacro, non tenetur eidem
lie sequenti interesse, tametsi peccati sui pœniten-
iam agere debeat. In dubio an tempus præfixum sit
hoc vel illo modo, judicandum est in favorem voti.

Quæres 2°. an qui prævidet fore ut præfixâ die
votum implere nequat, debeat tempus prævenire.
R. Si votum certæ sit affixum diei in honorem ejus,
necesse non est diem præveniri; idem dicendum
quando terminus præfixus est ut obligatio voti ad
tunc usque diem suspendatur: quia in utroque casu
votum est de re prout tali tempore faciendâ. Si verò
tempus præfixum sit nè obligatio ultra illud differre-
tur, præveniendum est; quia tunc votum obligat
pro toto tempore, & singulis ejus partibus disjunc-
tivè sumptis. Sic qui prævidet se tempore paschali
impeditum iri à confessione, tenetur anteà confiteri.

Quæres 3°. an vovens ea quæ vovit per semet-
ipsum implere teneatur. R. votum personale ab
ipso vovente impleri debet; reale verò per alium
impleri potest.

Prob. 1. pars: quia materia voti personalis, est
propria voventis actio, v. g. jejunium: Atqui
propria unius actio per alium fieri nequit.

Prob. 2. pars: quia votum reale non requirit
actionem, sed rem voventis: hæc autem per alium
dari potest, ut patet in eleemosynâ. Non solùm au-
tem votum impleri potest per alium qui è tuis, sed
etiam qui è suis rebus voto tuo satisfacere intendat:
sicut enim si sinè voto calicem Ecclesiæ debeas,
nihil debebis si alter calicem hunc pro te donet;
sic si eundem debeas ex voto, nihil debebis cùm
alter eum pro te tradiderit. Ex his colliges votum
mixtum quatenùs personale est, per alium impleri
non posse, posse verò quatenùs est reale.

Hinc inferes hæredem, licèt teneatur de voto rea-
li, non teneri de eo quod personale est. Excipe ta-
men, 1°. si ei consenserit; 2°. si hæredes non neces-

ſarii eâ conditione inſtituantur, ut inſtitutoris ſui votum impleant : tunc enim ad illud tenentur, non quidem vi religionis, cùm non voverint ipſi, ſed vi juſtitiæ ; 3°. ſi votum quod emiſſum eſt, tale ſit, ut à poſteris illius qui ipſum emiſit, debeat continuari ex uſu recepto, ut votum pium à Parochiâ factum, cui non reſiſtat Epiſcopus.

Circa id quod dixi, teneri hæredem ad implendum autoris ſui reale votum, duo notanda : 1°. eum teneri ſolùm ex eo quod deductis debitis & expenſis funerum ſupereſt ; 2°. eundem ſolùm teneri ſalvâ legitimâ, quia hæc eſt proprium hæredis bonum ; hæres autem non tenetur ad implendum defuncti votum ex propriis.

Quatuor circa interpretationem voti proponuntur regulæ.

Prima, votum interpretandum eſt juxta intentionem quam vovens habuit, vel habere debuit : votum enim utpotè privata lex, non obligat ultra intentionem legitimam voventis.

Hinc qui vovit aliquod Monaſterium ingredi, ſi principaliter intenderit Religionis ingreſſum, & ſecundariò ſolùm intenderit locum hunc ; quamvis in eo recipi non poſſit, debet tentare alia, tùm ejuſdem, tùm alterius Ordinis Monaſteria, tali numero, tali diſtantiâ & diligentiâ, ut id prudentis judicio ſufficere videatur. Si verò principaliter intenderit hanc Religionem, vel huncce numero Conventum, liber erit à voto, ſi in illâ vel in iſto recipi non poſſit. Quod ſi illum ut Laïcum recipere velint, non tenebitur, ſi ex ejus conditione, & vitæ curſu appareat eum ſtatum hunc non intendiſſe.

Si quis verò vovit indiſtinctè Religionem, non ſatisfaciet voto, ingrediendo Communitatem in quâ diſſolutè vivitur, & non ſervatur regula ; niſi ſit ſpes quòd brevi introducenda ſit Reformatio : debet ergo aliam ingredi Religionem ; & ſi hanc laxiorem expreſsè voverit, non debet votum ſervare, utpotè quod ratione materiæ quodammodo illicitum ſit,

Secunda, si clara non sit voventis intentio, votum interpretandum est secundùm communem intelligentiam verborum quibus expressum fuit: quilibet enim præsumitur juxta communem usum loqui, si vim linguæ intelligat. Hinc qui vovit Sacrum, non satisfacit si pro eodem stipendium recipiat, quia quod vovetur, gratis dari solet: hinc etiam qui vovit jejunium quâlibet feriâ sextâ, jejunio tenebitur si Nativitas Domini in feriam sextam inciderit.

Tertia, votum ut juramentum strictè interpretandum est. Unde qui vovit susceptionem Ordinis sacri; non ex tunc tenetur ad castitatem aut ad Horas; qui vovit jejunare pluribus diebus, satisfacit jejunando duobus: qui vovit eleemosynam, implet votum dando modicam, si majorem non intenderit, etsi cogitaverit de majori; quia obligatio non ex cogitatione nascitur, sed ex intentione. Videndum tamen nè ità eleemosynam suam minuat, ut hæc habitâ ratione qualitatis personæ quæ vovet, aut rationis quæ ad vovendum impulit, aut consuetudinis locorum, quasi ad nihilum redigatur.

Quarta, voti materia eo debet modo poni, quo poneretur materia legis divinæ aut humanæ, quia votum habet naturam legis; unde qui vovit Horarum recitationem, non satisfacit si sinè attentione recitet: quod si cui præcedentes regulæ non sufficiant, debet is virum prudentem consulere, & ejus decisionibus obsequi.

ARTICULUS QUINTUS.

Quotuplici modo tollatur Obligatio Voti.

VOti obligatio iisdem tollitur modis quibus aufertur obligatio juramenti; unde aliquando ità tollitur, ut nè quidem induci possit; aliquando jam inducta aufertur; & id quatuor modis contingit, scilicet materiæ mutatione, commutatione, irritatione voti, & dispensatione. Quod spectat ad mutationem

materiæ, sequenda est hæc regula, toties & tunc duntaxat votum deobligat, cùm mutatio tanta supervenit rei promissæ, ut eam in statu moraliter diverso constituat: adeò ut ea res ab illâ quæ promissa fuit, moraliter diversa esse videatur, seu ratione difficultatis, seu ob alias circumstantias: unde votum jam non obligat cùm impleri non potest sine peccato, sinè periculo vitæ, honoris, aut alterius gravis detrimenti. Idemque erit quoties res quæ promissa est, judicatur moraliter mutata fuisse, vel ex communi hominum consensu, vel ex consuetudine, vel ex aliquâ Juris regulâ; vel cùm talis & tanta est ea quæ supervenit mutatio, ut si eadem in humanis legibus contingat, eæ viros etiam timoratos obligare desinant.

Hinc 1°. qui vovit se singulis diebus daturum stipem egeno, quem virum frugi, suisque partibus addictum existimabat, ex communi sententiâ adhuc dare tenetur, etsi pauper ille nec sit vir frugi, nec voventi addictus: quamvis enim vovens, votum emissurus non fuisset, si cognovisset res ut se habebant; haud tamen voti materia in statu moraliter diverso censeri potest.

Hinc 2°. quia quisquis vovet eleemosynam, vovet pauperis sublevationem, si is cui eleemosynam voto promisit, ex egeno fiat locuplex, jam ad nihil tenetur, sicut nec teneretur, si ipse ex divite factus inops physicè vel moraliter impar fieret erogandæ eidem quam solebat eleemosynæ, quandiù nimirùm subsisteret is mutatæ fortunæ status, quia res jam forent in statu, non utcumque, sed moraliter diverso.

Hìc tamen tria notanda, 1°. fieri posse ut quis cum ipso etiam mortis periculo votum suum exequi teneatur, ut si executioni ejus annexum sit legitimâ de causâ vitæ stipendium: unde qui vovit se pestis tempore infirmis servíturum esse resistere nequit, sicut nec miles stationem suam ingruente hoste deserere potest in conscientiâ; 2°. in dubio an materiæ mutatio tanta sit ut voti obligationem perimat, votum adimpleri debere: quia dubia excusatio vinculum

tertum extinguere nequit ; 3°. quæ de notabili materiæ mutatione, voti vinculum, aut perimente, aut suspendente ad tempus, dicta sunt, ad votum simplex esse limitanda : aliud enim est de voto solemni, quod moraliter loquendo firmum esse debet sicut matrimonium. Idem de prioribus Jesuitarum votis docet Sanchez. His positis dicendum de commutatione, dispensatione, &c.

SECTIO PRIMA.

De Commutatione Voti.

SUppono 1°. votum propriâ voventi autoritate posse mutari in aliquid evidenter melius; ut patet ex cap. 3. *de jurejur.* Sed 1°. melius illud non debet esse aliunde præceptum, aliàs omnia penè vota facilè eluderentur ; 2°. melius non dicitur id quod est dignius, sed quod inspectis personæ, temporis & loci circumstantiis magis ad salutem congruit; unde vix unquam jejunium aut eleemosyna in orationem mentalem, licèt hæc per se nobilior sit, mutari possunt.

Suppono 2°. necessariam esse superioris autoritatem, etiam ut votum mutetur in quid æquale : tum quia etsi mutatio hæc nullam Deo injuriam facere videtur, est tamen contra Ecclesiæ jura, quæ nullibi hanc mutationis libertatem concessit; tùm quia facilè contingit ut homo in propriâ causâ decipiatur; & id æquale putet quod reverâ minus est. His prænotatis,

Quæres 1°. quis possit vota commutare. R. id posse eos omnes qui potestatem habent dispensandi, sive ordinariam, sive delegatam; quia ex Reg. 53. Juris in 6. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*, præsertim in eodem genere, sed *plus* licet ei qui dispensare potest, quia potest totum remittere; Ergo.

Quæres 2°. an mutato semel voto reservato, v. g. castitatis perpetuæ, in materiam non reservatam, v. g. in jejunium, possit jejunium istud commutari

ab iis qui non habent potestatem dispensandi in votis Papæ reservatis. R. affirm. quia tunc nihil superest quod non possit tolli ab Episcopis, aut qui eorum autoritatem habent. Et id patet 1°. quia votum hoc non erat reservatum nisi ratione materiæ; Ergo sublatâ materiâ, tollitur reservatio; 2°. quia si votum non reservatum, commutaretur in reservatum, jam fieret reservatum Papæ; Ergo à contrario votum de quo loquimur, soli Episcopo reservatum erit. Ità Sylvester, Sayrus, Suarez, Habert, & alii communiter contra Azor.

Quæres 3°. an liberum sit ei cui votum commutatum est, ad prius redire. R. affirm. quia commutatio quidam est favor, cui renuntiari potest: *quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Si tamen commutatio in melius facta sit, & à vovente acceptata, non licet ad prius votum reverti; quia acceptatio hæc novum virtualiter efficit votum, quo melius quid promittitur Deo; porrò nè ipse quidem Superior votum melius in minus commutare potest absque causâ.

Reg. 61. in. 6.

Quæres 4°. an ad commutationem requirantur causæ. R. requiri; commutatio enim voti, non est apud Deum rata & valida, nisi ab eo acceptetur: non acceptatur autem si fiat sinè causâ.

Causæ commutationis hujus sunt, 1°. notabilis molestia & difficultas in executione voti; 2°. levitas & perturbatio ex quâ emissum est votum; 3°. fragilitas voventis qui votum violabit nisi commutetur; 4°. id omne quod viro prudenti videbitur idonea esse commutandi ratio; 5°. juxta plures sufficit major devotio ad illud æquale præstandum; quia quod æquale est, & majori cum pietate fiet, Deo acceptius esse videtur. Ceterùm si Superior bonâ fide crediderit ad commutationem sufficere causam, quæ reipsâ non sufficiebat, censent multi commutationem valere; quia bona superioris fides est pro causâ, nec Deus rigidior est exactor.

Quæres 5°. an facultas commutandi vota in Ju-

bilæo se extendat ad vota post Jubilæi concessionem, vel ipso Jubilæi tempore emissa. R. affirm. tùm quia ex Reg. 15. in 6. *favores convenit ampliari;* præsertim cùm hæc ampliatio nemini præjudicat; tùm quia facultas absolvendi à peccatis reservatis aut censuris, ad eas etiam extenditur in quas quis Jubilæi tempore inciderit. Quin etiam Confessarius qui votum non commutasset, quia perpendere voluisset an & quo pacto commutaret, posset illud etiam elapso Jubilæi tempore commutare; quia causa quæ tempore habili inchoata est, elapso eodem tempore finiri debet. Sic etiam qui expressè non meminerat votorum omnium quæ emiserat; & transacto Jubilæo, eorumdem meminisse incipit, adire potest eundem Confessarium cui in genere vota sua declaraverat, & ab eo petere ut sigillatim declaret quam in materiam eadem commutari velit. Imò prudens Confessarius qui animadvertit pœnitenti non occurrere omnia quæ emisit vota, hæc nonnisi generatim commutare debet hoc scilicet modo: Commuto omnia vota tua quæ commutari debebunt, in id quod ego posteà aut vir prudens æquum judicaverit.

Si verò voti commutatio, Jubilæi tempore nullatenùs inchoata est, non potest votum deinceps commutari ab eodem, aut ab alio Confessario qui specialem commutandi licentiam non habeat. Ratio est, quia finiente Jubilæi tempore, finitur jurisdictio ad hujusmodi commutationes necessaria.

Quæres 6°. quid observare debeat Confessarius qui votum aliquod commutat. R. Debet attendere, 1°. ut quantùm moraliter fieri potest commutatio fiat in bonum æquale; idque sub pœnâ mortalis peccati necessarium esse docent Cajetanus, Suarez & plures alii. Hæc tamen æqualitas non consistit in indivisibili, sed ad arbitrium viri prudentis judicanda est. Unde tametsi satiùs est votum reale in reale, perpetuum in aliud perpetuum commutari, res tamen aliter absolutè fieri potest; cùm pensatis omnibus personæ, operis, loci, temporis, finisque cujus intuitu votum

emissum est, circumstantiis, judicatur materiam quæ in alterius materiæ locum substituitur, nec Deo acceptam minùs, nec minùs utilem voventi futuram esse. Hinc facile credidero peregrinationes non solùm rectè commutari in largas eleemosynas, sed etiam in jejunia, vel crebram confessionem, si hæc à pœnitente non illubenter acceptetur, & adimplenda speretur; quia hæc plerumque Deo gratiosa sunt, & voventi magis salutaria. Porrò cùm peregrinatio in eleemosynam commutatur, curandum est juxta cap. 7. *de voto*, non tantùm ut itineris labores aliis piis laboribus compensentur, sed & ut itineris totius expensæ in eleemosynas immutentur, numeratis etiam reditûs impensis; imò habitâ ratione tùm damnorum quæ viator in re domesticâ passus erat, tum tributorum quæ infidelibus aut publicanis persolvenda fuissent; detractis tamen sumptibus quos vovens domi peracturus erat, sed iis computatis quos in famulis & equis juxta statûs sui decentiam, & modestam consuetudinem facturus fuisset.

2°. Si commutatio fiat Jubilæi tempore, attendere debent Confessarii ad Bullæ verba: unde si facultas detur ut vota in eleemosynam commutent, non possunt in aliud pium opus commutare. Cavendum insuper nè quid commutatio pariat scandali.

Quæres 7°. an si materia in quam prius votum commutatum fuit, impossibilis fiat aut indifferens, teneatur vovens ad prius votum reverti. R. neg. si votum in aliquid melius mutatum sit; quia tunc prius votum absolutè desiit, unde nec licitum erat ad illud reverti.

Aliter censeo contra plures, si materia sit solùm æqualis: 1°. quia vovens non plus post commutationem debet habere libertatis circa votum, quàm anteâ: haberet autem multò plus, cùm posset reverti ad prius votum si vellet, & non teneretur posterius implere in casu præsenti; 2°. quia (& hoc saltem ad melius curare debent Confessarii) videtur commutatio sub hâc conditione fieri, ut prior materia si possibilis remaneat, impleatur, posito quòd secunda impleri non possit.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Dispensatio Voti.

DIspensatio est relaxatio seu condonatio voti; Dei nomine facta à superiore legitimo, id est, ab eo qui ecclesiasticam jurisdictionem habet in foro exteriori. Quòd autem habeat Ecclesia potestatem in votis dispensandi, patet tum ex perpetuo ejusdem Ecclesiæ usu; tum ex argumentis quibus paulò pòst probabimus Ecclesiam dispensare posse in ipsis votis solemnibus, quæ omnium sunt relaxatu difficiliora; tum ex iis quibus probavimus juramenta relaxari posse.

Potestas dispensandi in votis, competit 1°. Romano Pontifici, qui constanti usu in iis etiam dispensat votis, quorum difficilior est relaxatio, ut votum perpetuæ castitatis; 2°. Episcopis; 3°. iis qui Episcopali Jurisdictione gaudent, quales sunt non quidem Parochi, sed Capitulum Sede vacante, Vicarius generalis & Pœnitentiarius Episcopi; itèm & Prælati Religiosorum, ut Abbates Generales, de quo consulenda sunt Ordinum Statuta.

Episcopi in votis omnibus dispensare possunt, præterquam in iis quæ Sedi Apostolicæ reservata sunt: hæc verò sunt quinque, nimirum 1°. castitatis perpertuæ, 2°. ingressûs in Religionem approbatam, 3°. 4°. & 5°. peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellanum, & in Terram sanctam. Circa hæc quædam annotanda sunt.

Primò, Episcopus non potest dispensare peregrinos v. g. Scholasticos extra propriam Diœcesim studentes, à voto, à juramento & similibus; sed tantùm hæc suspendere, ex urgente aliquâ necessitate spirituali. Nec nocet quòd possit Episcopus peregrinum à peccatis & censuris absolvere: est enim id sæpissimè necessarium ad subveniendum conscientiæ; non itèm dispensatio à voto, quod si præsens foret occasio peccandi, sufficeret auferri ad



Hinc non reſervantur Papæ, 1°. vo
ad tempus; 2°. votum non petendi de
juge: 3°. votum non nubendi, quod re
à voto perpetuæ caſtitatis; unde illu
nubit, non autem quæ fornicatur. Exc
ſona vovendo abſtinentiam à nuptii
vovere caſtitatem perpetuam: hîc e
ponderanda eſt voventis intentio; 4°.
lierem non tagendi; 5°. votum ſa
ſuſcipiendi, quod obliquè ſolùm caſtita
6°. votum ingrediendi Religionem
quod qui emiſit diſpenſari poteſt ab E
quidem ſimpliciter, ſed ut ingrediat
quia hoc non eſt diſpenſare in voto R
in modo & qualitate illius.

Quartò, votum ipſum perpetuæ
Epiſcopo multis in caſibus relaxari p
cùm ad Papam recurri non poteſt,
ſive quia vovens pauperior eſt, &
ſumptus impendere nequit; ſive qui
locorum diſtantia impediunt nè ſuprem

2°. Cùm votum est conditionale ; & nondum impleta est conditio; vel impositum in pœnam alicujus culpæ, vel facti, quæ nondum commissa sunt. Ratio est, quia votum non reservatur Papæ, nisi cùm perfectum est & absolutum : votum autem quod pendet à conditione nondum impletâ, nondum perfectum est; Ergo.

An autem pœnale votum impletâ conditione reservatum sit, disputatur. Placet opinio affirmativa, quia tutior est nec minùs probabilis : votum enim licèt pœnale sit, est nihilominus perpetuum, & absolutum postquam impleta est conditio. Sicut ergo fatetur sanior opinio, votum castitatis quod quis emisit posito quòd sanitatem recuperaret, esse obtentâ semel sanitate reservatum, licèt secluso sanitatis desiderio emissum non fuisset, & proinde non ex puro castitatis amore processerit; sic etiam fatendum est votum pœnale esse reservatum, cùm impleta est conditio.

3°. Neque etiam juxta multos reservatum est votum emissum ex dolo, aut metu etiam levi & injustè incusso; itèm nec illud quod emissum est cum advertentiâ vel deliberatione imperfectâ, vel cum intentione se sub veniali tantùm obligandi, vel cùm dubium est an quis voverit satis advertenter, aut cum intentione se graviter obligandi, (quamvis in hoc ultimo casu præsumi debeat intentionem fuisse sub gravi,) vel an voverit absolutè castitatem perpetuam, an solùm abstinentiam à conjugio. Uno verbo reservatum non est Papæ votum omne de quo dubitatur an eidem reservatum sit; & ità sentiunt omnes ferè Doctores, ait Cabassutius.

4°. Idem est de voto vovendi castitatem, aut Religionem, quia votum vovendi aliquid, non est votum hujus alicujus actu emissum.

Quæres an ad dispensandum in voto requiratur causa legitima, & quænam ea sit.

R. ad 1. affirm. & id patet 1°. ex S. Bernardo. *Si necessitas urget*, ait Lib. 3. De consider. n. 18.

excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat; dispensatio laudabilis est.... cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est; 2°. quia dispensatio voti, est relaxatio promissionis ipsi Deo factæ, & quæ proinde ut valida sit, debet à Deo acceptari: non acceptatur autem, si fiat absque causâ rationabili; 3°. quia potestas à Deo Pastoribus concessa, non est in destructionem, sed in ædificationem; esset autem in destructionem, si pro libito eâ absque ullâ ratione uti possent.

R. ad 2. Votum castitatis quintuplici præcipuè de causâ relaxari solet; & quidem 1°. cùm per matrimonium sedandæ sunt lites, quæ familias dividunt; 2°. cùm alioqui conservari nequit illustris familia, cujus tamen salus Reipublicæ splendori & bono plurimùm profutura sit; 3°. cùm votum potest esse voventi gravis & periculosa occasio ruinæ: sive ab intrinseco, ut si vovens longâ experientiâ cognoverit vix fieri posse ut contineat; ab extrinseco, ut si puella quæ vovit, sit pauper & decora, vel orbata parentibus, qui eidem invigilent; 4°. si puella patre orbata matrem ætate provectam nutrire nequit, nisi nubat viro alimenta utrique præstituro; 5°. generatim faciliùs dispensatur in votis quæ ex metu, aut ex fervore passionis alicujus emissa sunt.

Quod spectat ad dispensationem à voto amplectendæ Religionis præter causas quæ mox allatæ sunt, afferri solent duæ istæ; 1°. notabilis difficultas exequendi votum, ut si quis propter morbum quo elanguit, vel quia voti executionem multis annis distulit, jam meritò dubitet an vires Religionis oneribus pares habeat; 2°. dubium an materia voti, vel mala, vel majoris boni impeditiva, vel saltèm inutilis non evaserit: ut si dubites an non melius sit manere in seculo, ut consanguinei, post emissum à te votum, parentibus orbati, christianè magis educentur; itèm an tuta sit saluti tuæ Religio quam meditabaris & in quam irrepserunt jurgia, errores, & similia.

Præcipua quæstio est an R. Pontifex in vot

lemni castitatis vel Religionis dispensare possit. legant Thomistæ complures; sed multò verior videtur opinio contraria, quam etiam multi tenent am S. Antonino ; 1°. quia potest Papa in iis dispensare quæ juris sunt ecclesiastici : Atqui ex dictis suprà voti solemnitas juris est solum ecclesiastici ; Ergo.

2°. quia non minùs potest Papa dispensare in voto solemni Religiosorum, quàm in voto solemni castitatis Subdiaconorum : Atqui in isto dispensare potest, prout fatetur ipse S. Thomas ; Ergo & in illo. Prob. maj. Quia votum à Subdiaconis emissum non est minùs solemne, nec minùs suî traditionem continet, quàm quod à Religiosis emittitur ; Ergo si in uno dispensare possit Pontifex, potest & in alio.

3°. quia quòd Papa cum homine Monasticam vitam professo dispenset, ut uxorem ducat, necessarium esse potest ad commune bonum Ecclesiæ, vel regni, putà ad propagandam fidem, ad avertendas quæ alioqui regno imminent, turbas & hæreses, &c. Aliunde verò quòd in hoc casu dispenset Pontifex, nec rationi repugnat, nec divino jure vetitum invenitur ; 1°. quidem non repugnat id rationi ; cui econtrà maximè congruit, ut voti solemnitas eâdem possit autoritate tolli, quâ constituta fuit, ac proinde tolli ab Ecclesiâ à quâ posita est ; 2°. neque dispensatio hæc jure divino interdicta reperitur ; imò potiùs concessa his Christi verbis : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis ;* quæ cùm generalia sint, & Ecclesiæ admodum favorabilia, tantùm extendi debent quantùm possunt salvâ verborum proprietate ; ac proinde ad relaxationem cujuscumque voti.

Math. 18.

4°. quia Romanus Pontifex sæpè hâc dispensandi potestate usus est : Atqui durum est objicere quòd in re tanti momenti erraverit ; idque à reverentiâ Sedi Apostolicæ debitâ alienum videtur.

Obj. cum S. Thomâ ex c. 6. *de stat. Monach.* ubi sic habetur : *Abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, ut contra*

eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere; unde sic : Qui non potest dispensare in voto castitatis vel paupertatis, multò minùs dispensare potest in totâ professione religiosâ : Atqui ex Innocentio III. summus Pontifex non potest dispensare in voto castitatis & paupertatis.

R. dist. min. Summus Pontifex non potest dispensare in voto paupertatis durante Monachatu, ac veluti in sensu composito illius, C. non potest in sensu diviso, id est, auferendo talem personam è statu in quo erat per professionem religiosam, N. Sensus objecti loci evidens est ex ipsis quæ objiciuntur verbis, *Abdicatio proprietatis adeo annexa est regulæ*, &c. Hæc enim ratio tota fundatur in connexione unius cum alio ; adeòque probat stante regulâ non posse auferri custodiam castitatis vel paupertatis : non autem probat Monachatum ipsum à Papâ tolli non posse.

Inst. 1°. Plùs est dispensare in toto Monachatu, quàm in aliquo usu ejus; Ergo si Papa non potest dispensare in aliquo usu Monachatûs ipso durante, nec à fortiori poterit in toto Monachatu dispensare.

R. neg. antec. Sicut enim stante voto simplici castitatis, prorsus necessarium est continentiam servare : sic stante Monachatu servari debent castitas & paupertas, quia harum obligatio ab ipso Monachatu fluit : at verò non est absolutè necessarium, ut qui semel est Monachus, talis permaneat in iis etiam casibus in quibus periculosum id judicaret Ecclesia.

Inst. 2°. Non potest efficere Ecclesia, ut res Deo semel consecrata, non maneat consecrata : sed Religiosus per professionem consecratur cultui divino; cùm Religiosum esse nihil aliud sit quàm esse Deo consecratum.

R. neg. maj. intellectam, ut intelligi debet, de consecratione morali, quæ fundatur in promissione per Ecclesiam Dei nomine acceptatâ : hæc enim cùm id exigit honor Dei ipsius, potest relaxari,

SECTIO TERTIA.

De Irritatione Voti.

itatio voti eſt ejuſdem annulatio facta ab eo qui
oteſtatem habet in eum qui vovit. Irritatio du-
, directa ſeu propria; & indirecta ſeu impropria.
ia eſt annulatio voti facta ab eo qui habet poteſ-
n dominativam, ſive in ipſam voventis perſo-
, ut habet pater in perſonam filii impuberis;
in materiam voti, ut habet ſuperior in bona
iaſterii quæ Religioſus aliquis pauperibus do-
la voviſſet. Irritatio indirecta non tam eſt annu-
, quàm ſuſpenſio voti facta ab eo qui aliquam
ilium poteſtatem habet, vi cujus non poteſt
ens implere votum ſinè alterius conſenſu.
uo ſunt præcipua inter utramque irritationis ſpe-
i diſcrimina. Primum, quòd irritatio directa
im omninò perimat, ità ut nè de ipſo quidem
antis conſenſu reviviſcat, niſi à vovente reno-
ir; indirecta verò ſolùm ſuſpendat, licèt per
dens fieri poſſit ut ſuſpenſio hæc diu, imò per
m voventis vitam perduret. Secundum, quòd
atio directa, utpotè quæ dominativam poteſta-
prærequirat, non competit ad ſummum niſi
ibus in filios, ſuperioribus in Religioſos, conju-
is in conjuges, dominis in mancipia; atverò irri-
indirecta competit 1°. iis qui in alios poteſtatem
ent juriſdictionis ſpiritualis aut temporaneæ;
& iis qui licèt nullam propriè juriſdictionem ha-
nt, habent tamen jus imperandi; 3°. & iis qui
etſi poteſtatem habeant dominativam, haud
en eâ utuntur ad irritandum, ſive quia irritare
int, ſed ſolùm ſuſpendere; ſive quia votum ab
factum neſcientes, eidem aliquid præcipiunt,
dum vacat, votum exequi non valet.
d valorem irritationis directæ nulla requiritur
ſa; quia cùm votum quod irritatur neceſſariò
ſſum ſit ſub tacitâ conditione aſſensûs ſuperioris

eo dissentiente tota voti obligatio se ipsâ corruere debet. Eadem tamen irritatio non esset à peccato immunis; 1°. quia non posset ad Deum referri, 2°. quia non debent superiores inferiorum provectum gratis & temerè impedire : Ergo si secùs fecerint, rei videntur, sed peccati ordinariè solùm venialis, ait Sylvius. Valet tamen hæc irritatio, sive inferiores consentiant, sive non; sive superiores in specie cognoscant votum quod irritare volunt, sive solùm in genere sciant inferiorem votis esse gravatum. Jam tria hic nobis investiganda sunt; 1°. an pater filiorum; 2°. an inferiorum superior; 3°. denique an conjuges conjugum vota irritare valeant. Priora duo §. priori, ultimum §. posteriori exequemur.

§. I.

Vid. supr. pag. 199.

Not. 1°. Filii vel sunt impuberes, vel jam pubertatem attigerunt.

Not. 2°. Religiosi vel sunt Novitii, vel Professi. His præmissis, sit

CONCLUSIO I. Pater omnia prorsus filiorum impuberum vota, etiam de amplectendâ Religione, etiam de peculio castrensi, &c. irritare potest. Ità S. Thomas.

Prob. 1°. ex Num. 30. 6. *Si contradixerit pater, vota & juramenta in ætate adhuc puellari* emissa, *irrita erunt.* Idem sanxit Concilium Triburiense an. 895. ubi sic : *Puella, si ante duodecim annos ætatis sponte suâ sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint.*

Prob. 2°. quia maximè expedit ut filius non voveat firmiter, nisi de consensu patris, eâ ætate quâ ob imbecillem rationis usum non satìs cognoscit voti obligationem; ac proinde ut ejus vota ex patris arbitrio rescindi possint.

Idem cum patre possunt qui gerunt patris vicem, ut 1°. avus, si pater decesserit, aut longè distet; 2°. tutor, ut qui in locum patris succedat; 3°. horum

defectu mater, etiamsi non sit tutrix; quia ad ipsam pertinet cura, si non sit alius qui impuberis imbecillitati consulat.

An autem pater vota ante pubertatem edita irritare queat, si puer jam pubertatem attigerit, æqualibus ferè momentis disputatur. Quapropter ob dubium semper consulam ut irritationi paternæ adjungatur dispensatio Superioris Ecclesiastici.

CONCLUSIO II. Parentes non possunt personalia puberum etiam sub patriâ potestate existentium vota irritare, nisi paternæ potestati præjudicent, seu domûs regimen impediant. Ità S. Thomas.

Prob. quia homo post pubertatem præsumitur eam quæ ad vovendum necessaria est discretionem habere, adeòque nulla ex parte personæ adesse potest irritationis causa; sed solùm ex parte materiæ quæ promittitur.

Hinc pater irritare non potest emissum à filio castitatis, Religionis, moderati jejunii votum: bene verò vota realia filii, qui necdum sit emancipatus, ut essent vota de dandâ ex paternis bonis eleemosynâ; aut etiam personalia quæ paternæ potestati præjudicium inferrent, ut votum longæ peregrinationis, etiam alienò sumptu faciendæ; aut jejunii quod cum familiæ usu non congrueret, aut filium laboribus patris debitis imparem faceret. Vota verò piè disponendi de iis bonis quæ quoad dominium tum directum, tum utile ad filium pertinent; neutiquam irritari possunt à parentibus.

Quæres an pater possit irrritare votum quod filius solùm vult exequi cùm erit sui juris.

R. Vel votum emissum est ab impubere, & tunc irritari potest, modò neque à patre post pubertatem filii, neque ab ipso filio confirmatum fuerit: vel idem votum emissum est à pubere; & tunc probabilius videtur non posse illud irritari. Ratio est quia vota sic emissa non nocent paternæ potestati: nec plùs iis læditur pater, quàm læderetur si vo-

veret filius se daturum stipem ex bonis castrensibus, si quæ deinceps possideat.

CONCLUSIO III. Omnia prorsus Religiosorum vota ab eorum Superioribus irritari possunt; si sint, ut esse solent, in materiâ Superioribus subjectâ.

Prob. quia Religiosus se Superiori quoad nolle & velle subjecit; Ergo non vovet nisi sub hâc conditione, *si Superior non contradicat*.

Dixi, *Si vota inferiorum sint in materiâ Superioribus subditâ.* Superiores enim nihil possunt, 1°. in votum transeundi ad Religionem strictiorem: tum quia non habent à Deo potestatem impediendi majus bonum: tum quia id definiit Innocentius III. cap. 18 *de Regularibus*; 2°. in vota essentialia: quia alioqui funditùs evertere possent Religionem, cujus conservationi studere debent; 3°. nec in vota quæ licèt Religioni ut sic essentialia non sint, sunt tamen vel essentialia huic Religioni, vel ejusdem essentialibus votis annexa absolutè, simpliciter, & absque ullâ à Superioribus dependentiâ, ut est apud Patres de Mercede, votum redimendi captivos.

Etsi autem non potest Superior Novitii vota irritare, quia hujus voluntas ab illius voluntate non pendet; potest tamen ea suspendere quæ Novitiatûs exercitiis repugnarent, aut quæ Novitium nimis gravarent. Consulunt aliqui sapienter ut vota hæc in aliqua Novitiatûs exercitia commutentur: est enim commutatio hæc in aliquid pro tunc evidenter melius: sed & simul injungi debet, ut si Novitius seculum repetat, ad prius votum regrediatur.

Cæterùm docent Regulares posse Superiorem vota de suo consensu facta deinceps irritare; quia qui consentit non intendit se privare jure consensum revocandi, nec vota quibus consentit absolutè firma reddere; aliàs à successore ejus irritari non possent: adhuc ergo manet tacita conditio, *nisi Superior aliquando contradicat.* Hîc porrò nomine Superiorum intelliguntur Generales in toto Ordine, Provinciales in Provinciâ suâ, Priores, Guar-

ciani & qui iis absentibus domum regunt, ut Vicarii. Eadem Abbatissis competit potestas, iis enim Moniales ut matribus filiæ subditæ esse debent.

§. II.

Conjugum vota vel non habent ordinem ad matrimonium, ut votum de recitandis semel Pœnitentiæ psalmis; velècontrà, ut votum servandæ continentiæ. De utrisque, sed magìs de posterioribus differendum. Sit

CONCLUSIO I. Neuter conjux potest irritare alterius vota quæ non sunt in ipsius aut familiæ præjudicium: putà neuter impedire potest quin alter voveat castitatem post mortem alterius servandam, eleemosynas de bonis sibi propriis, &c. Ità multi contra multos.

Prob. quia efficaciter non probatur permisisse Deum ut maritus irritet ea etiam uxoris vota, quæ nec sibi nec alii cuiquam præjudicant. Sapiens enim provisor nihil contra jus suum censetur permittere gratis & sinè causâ: Atqui facultas omnia prorsus vota irritandi, & esset contra honorem Dei, cui eorum multa placere possunt; & gratìs concederetur, cùm pro iis etiam concederetur casibus in quibus nihil inde damni marito contingere supponitur; & aliundè malè ut plurimùm exerceretur; quia mariti plures phantasiam, pauci religionem in iis quæ præcipiunt aut vetant, consulere solent; Ergo.

At, inquies, Apostolus Ephes. 1. vult ut *sicut Ecclesia subjecta est Christo, ità & mulieres viris suis in omnibus* subditæ sint: Atqui hæc comparatio omnimodam uxoris ad virum subjectionem importare videtur. Unde S. Ambrosius Lib. *de Parad.* c. 10. sic loquitur: *Evidentissimè apparet ità virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conversationis, liceat sibi, sinè ejus licentiâ Deo offerre.*

R. hos textus de subjectione quantùm ad aliquid intelligi posse; ità ut maritus ea uxoris vota sus-

pendere valeat, quæ sibi aut prolis bono nocerent; quale sæpiùs esse potest votum abstinentiæ, de quo loquitur Ambrosius.

CONCLUSIO II. Potest uxor irritare vota mariti quæ sibi vel familiæ bono præjudicant, putà votum *de gestando habitu Religioso, de servandâ castitate* omnimodâ. Idem de marito dicendum: qui tamen, utpotè mulieris caput, plura potest quàm uxor, v. g. longiores peregrinationes vovere.

Sylvius.

Prob. quia vota de quibus loquimur, alterius conjugis juri præjudicare supponuntur; Ergo ut firma sint necesse est ut alter cedat juri suo: non cedit autem nisi consentiat; Ergo.

CONCLUSIO III. Neuter conjux omnimodam continentiam, vi cujus scilicet nequidem debitum reddat, vovere validè potest, absque alterius consensu.

Prob. invictâ ratione quam exhibet S. Thomas in 4. dist. 32. a. 4. *De illis tantùm bonis potest esse votum, quæ nostræ subjacent voluntati, qualia non sunt ea in quibus unus alteri tenetur; unde cùm conjuges sibi invicem teneantur in ratione debiti, per quod continentiæ impeditur, non potest unus absque consensu alterius continentiam vovere; & si voverit peccat, nec debet servare votum, sed agere pœnitentiam de malo voto facto.*

CONCLUSIO IV. Emissum ab alterutro votum de non petendo debito conjugali, validum est; illicitum tamen, præsertim si fiat à viro.

Cap. 9. De crim. falsi.

Prob. 1. pars: *Quilibet ad renuntiandum juri suo liberam habet facultatem*, nisi leges resistant: Atqui non resistunt in præsenti casu, sed è contrà. Prob. min. ex Alexandro III. c. 3. *De convers. conjugat.* ubi postquam de aliquo qui intraverat *in Monasterium invitâ uxore*, dixit eum *ratione voti non teneri ad Monasterium redire* post mortem uxoris, addit eum ulteriùs non posse uxorem accipere: *promisit* enim, inquit, *se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & ideò quoad hoc votum tenuit; non reddere autem, non erat in ejus, sed mulieris potestate,*

Prob. 2. pars ex S. Thomâ ibid. art. 3. *Quia*, inquit, *si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unum semper confusionem petendi debiti subire; ideò alii probabilius dicunt quòd non potest unus absque alterius consensu vovere*: quæ S. Doctoris verba si significent invalidum esse votum de non petendo debito, credendum est mox citatam Alexandri Decretalem eidem ignotam fuisse; si verò significent votum hoc illicitum esse, nostram responsionem stabiliunt.

Prob. 3. pars. Ideò improbat S. Thomas votum de nòn exigendo debito, quia ex hoc matrimonium nimis *onerosum redderetur*: porrò hæc ratio non valet communiter loquendo pro viris, qui minùs in hoc casu verecundiæ habent.

Dixi, *communiter*, quia si vir pusillanimis foret, aut mulier magnæ autoritatis, tunc eadem esset ratio. Generaliter tamen loquendo, votum hoc ab uxore faciliùs emitti potest quàm à viro, cui minùs inde timendum est. Sed quia hic non nihil peccati agnoscit post S. Thomam Sylvius, etiam cùm de muliere agitur, satiùs est ut à talibus votis abstineant conjugati.

CONCLUSIO V. Votum castitatis quod ab uno conjugum emissum est, ab alio irritari nequit.

Prob. 1°. ex c. 3. *De convers. conjug.* Nam verba hæc, *Promisi non exigere debitum*, *&c.* indicant votum non utcumque validum, sed firmum omninò.

Prob. 2°. quia vir v. g. non potest irritare vota uxoris nisi indirectè, scilicet ratione materiæ quæ viro subjecta sit: Atqui quòd mulier debitum petere nolit, non est materia viro subdita; neque enim vir ei præcipere potest ut debitum petat, neque ea ad aliud se obligavit, quàm ad reddendum: si autem vir hæc præcipere non potest, non potest etiam prohibere quominùs petere nolit; Ergo.

Prob. 3°. quia constat apud omnes, virum æqualem habere potentiam circa vota uxoris ante vel *post matrimonium emissa*: Atqui constat iterum

quòd vir votum de non petendo debito ab uxore ante nuptias emissum irritare non possit ; idque indicat Ecclesiæ usus quæ semper credidit hîc opus esse dispensatione, quæ tamen non fuisset necessaria cùm facilius occurreret remedium ; Ergo.

At, inquies, hoc onerosum est. R. 1°. esto ; modò non sit injuriosum, non enim omne onus tollitur per matrimonium ; 2°. conditio hæc onerosa includitur in contractu matrimonii, quatenùs qui contrahunt, nolunt tollere sibi libertatem boni hujus quantùm poterunt exequendi.

Major est difficultas, an post datum ab alterâ parte de voto emittendo consensum, possit pars, quæ vovit, alteri debitum exigenti persolvere.

R. eum qui voto continentiæ à comparte suâ edito consensit, 1°. graviter peccare si consensum suum sinè causâ revocet ; 2°. nec hoc votum posse deinceps irritare ; 3°. neque voventem posse eidem reddere debitum.

Prob. 1. pars, quia graviter peccat qui rem de suo consensu Dei dicatam revocat ad usus profanos : Atqui sic se habet qui post datum uxori, vovendæ continentiæ consensum, eandem ad matrimonii actum revocat. Favet Scriptura Num. 30. v. 15. & 16.

Prob. 2. pars ex iis quæ mox dicta sunt : si enim continentiæ votum quod ab uno conjugum simpliciter emissum est, ab alio irritari non possit, à fortiori irritari non potest cùm de alterius conjugis consensu emissum fuit.

Prob. 3. pars : peccat qui votum violat : sed qui omnimodam continentiam vovit de alterius licentiâ, votum suum violat, eidem debitum reddendo. Ille enim votum violat, qui contra votum aliquid tribuit alteri, ad quod nullum alter jus habet : sed qui voto consensit, nullum jus habet ad exigendum deinceps debitum ; quandoquidem jure suo cessit, non ut superior qui semper aliquid retinet autoritatis in res quarum abdicationi consenserat, sed ut socius, qui in hâc re socio suo planè est æqualis, ut docet S. Paulus ; Ergo.

Nec nocet cap. 11. *de convers. conjug.* Nam ibi agitur de Rege Sueviæ, qui *ad tempus*, non verò in perpetuum consenserat voto uxoris, unde hæc elapso tempore sibi concesso, cogi poterat ad reddendum debitum.

Obj. Si maritus uxori castitatis votum non emittenti, dedisset licentiam non reddendi debitum, posset licentiam hanc revocare: Atqui tamen licentia hæc fuisset quædam juris cessio; Ergo eadem juris cessio in casu voti revocari potest.

Confirm. 1°. cùm maritus permittit uxori ut voveat se daturam Ecclesiæ calicem, potest adhuc is licentiam à se datam revocare; Ergo à pari.

Confirm. 2°. Alexander III. cap. 1. *de convers. conjugat.* permittit marito, qui vovere non vult, & in periculo constituitur, ut à Religione revocet uxorem cui Religionis ingressum permiserat; Ergo si maritus revocet licentiam vovendi quam uxori concesserat, hæc parere tenebitur saltèm quoad reddendum debitum.

R. neg. maj. Etsi enim maritus, qui uxori dedit licentiam non reddendi debiti in ordine ad emittendum ab ipsâ votum, possit ex communiori sententiâ, revocare licentiam hanc quandiù ipsa uxor votum hoc nondum emisit, quia renuntiatio juri maritali pendet à conditione quæ nondum impleta est: non potest tamen qui absolutè & simpliciter jure suo cessit, cessionem hanc revocare; quia hæc cessio, cùm vera sit juris sui donatio, tam irrevocabilis est quàm quilibet contractus mutuus: unde non magis in hâc hypothesi tenetur mulier ex vi justitiæ ad reddendum debitum, quàm si mutuo pacto uterque conjugum cessisset jure suo.

Ad 1. confirmationem, neganda est paritas; quia maritus per licentiam datam non abdicat à se dominium, sed manet superior, cùm agitur de iis quorum administrationem habet: at in voto continentiæ maritus non se gerit ut superior, sed ut æqualis cedens *jure suo*; adeòque jam non habet jus revocandi id quod semel circa continentiam concessit.

Ad 2. censent non pauci decisionem Alexandri III. intelligendam esse de licentiâ per vim aut metum extortâ, vel saltem concessâ à conjuge qui nesciebat legibus sancitum esse, ut conjugum alter profiteri non possit absque eo quòd alter aut castitatem voveat, aut ipse Religionem ingrediatur. In hoc tamen difficili casu consulendus esset Episcopus.

Quæres an qui consensit voto alterius, possit ei debitum reddere, si ipse exigat. R. negat. cum S. Antonino, Navarro, Vega, &c. quia qui consensit voto alterius, is si eidem debitum redderet, præberet transgressionis materiam ad quam vovens jam nullum jus habet, cum ei renuntiaverit.



PARS TERTIA.

De vitiis Religionis oppositis.

CUm religio virtus sit inter morales præstantissima, haud dubium est quin peccata eidem opposita, aliis sint, ceteris paribus, graviora. Cùm autem eadem virtus in medio consistat, dupliciter contra eam peccari potest, scilicet per defectum, & hoc peccati genus *irreligiositas* dicitur; & per excessum, quia vitiosus est aliquando & inordinatus cultus qui Deo impenditur; & hæc peccati species *superstitio* nominatur.

Irreligiositas est peccatum quo Deus in se, vel in rebus sacris inhonoratur. Quinque sunt ejus species, nempe blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, perjurium de quo suprà, & simonia de quâ alibi.

Superstitio est cultus perversus, quo vel creatura loco Creatoris colitur, vel Creator ipse modo indecenti. Superstitionis præcipuæ species sunt idololatria, divinatio, vana observantia, magia, & maleficium. De his sigillatim dicemus.

CAPUT PRIMUM.

De Blaſphemiâ, Tentatione Dei, &c.

BLaſphemia definitur Locutio contumelioſa in Deum. *Locutio* quidem, ſive externa & oris; ſive interna & animi, ut cùm *dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deum*, Pſalm. 13. *Contumelioſa*, quia fit contra Deum, in quem ut potè ubique præſentem omnis maledictio vera eſt contumelia. *In Deum*, vel in ſe, vel in creaturis, quatenùs Dei ſunt, & in eis relucet divina ſanctitas, potentia, &c. Quod ſi creaturæ in ſe præcisè ſumantur, maledictum in eas prolatum non eſt blaſphemia, niſi latè ſumpta : quo ſenſu dicit Apoſtolus ad Titum 2. *Admone illos... neminem blaſphemare.*

Blaſphemia dividitur 1°. in internam & externam; 2°. in eam quæ eſt contra Deum, & eam quæ eſt contra Sanctos; 3°. quæ contra Deum eſt, alia eſt in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum ſanctum. Prima non tam ex malitiâ procedit, quàm ex infirmitate : ſecunda ex ignorantiâ : tertia ex eâ præſertim malitiæ ſpecie, quâ ut olim factum eſt à Phariſæis, manifeſta Dei opera diabolo attribuuntur; 4°. præcipua blaſphemiæ diviſio eſt in hæreticalem, imprecativam, & merè dehoneſtativam.

Blaſphemia *hæreticalis*, eſt ea quæ aliquid falſi pronuntiat de Deo, aut creaturæ attribuit quidpiam ſolius Dei proprium; ut ſi dicatur Deum eſſe crudelem, aut mundum à dæmonibus regi. Blaſphemia *imprecrativa*, ea eſt quâ quis Deo malum imprecatur, ut *Pereat Deus*, *maledictus ſit*, *&c.* hæc in damnatis frequens eſt. Blaſphemia *dehoneſtativa*, ea eſt quâ enuntiatur aliquid in Deo vel Chriſto exiſtens, ſed indecenter & per modum contumeliæ; talis ea eſt quæ Juliano Apoſtatæ tribuitur, *Viciſti, Galilæe;* talis & eorum qui indignabundi *nominant Chriſti caput*, viſcera, &c.

Blaſphemia omnis peccatum eſt mortale in quâ-cumque materiâ ; quia quælibet Dei contumelia utpotè Dei majeſtatem poſitivè deprimens, gravem Deo injuriam infert. Hinc ea lex, Levit. 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Unde S. Hieronymus, Lib. 7. in Iſaï. c. 18. *nihil horribilius blaſphemiâ quæ ponit in excelſum os ſuum.* Ad hoc autem non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, ſed ſufficit virtualis, cùm quis, v. g. ex irâ aut indignatione, imò etiam ex joco ea profert quæ ex communi intelligendi modo, aut ex circumſtantiis Dei inhonorationem continent.

Quæres quomodo gerere ſe debeant Confeſſarii adversùs blaſphematores.

R. 1°. Expendere debent an blaſphemia eorum fuerit hæreticalis : tunc enim duplex peccatum continet; aliud contra religionem, aliud contra fidem, aut ſaltèm externam ejus profeſſionem ; 2°. inquirent quod blaſphemiæ genus prolatum fuerit : tum qui aliquando rudes ſe blaſphemaſſe dicunt, cùm ſolummodò juraverunt in vanum, aut quædam in belluas convicia jecerunt; tum quia faciliùs intelligent Confeſſarii gravitatem peccati à pœnitente admiſſi, an, v. g. unà cum Deo Sanctos impetierit, quod peccatum duliæ ſimul & religioni adverſatur ; an Deo maledicere intenderit; an ex irâ, tedio, indignatione in blaſphemiam proruperit; 3°. non excuſabunt à mortali eos qui ſinè pravo in Deum affectu, ſed in jurgio, Chriſti mortem, caput, aut ſanguinem appellant ; cùm hæc vix dici poſſint ſine Dei contemptu; vix audiri ſinè ſcandalo & piarum aurium offenſione.

Qui ſingulis ferè verbis nomina Dei, Jeſu, aut Sanctorum ex quâdam animi levitate, & ſæpè ex impatientiâ proferunt, & ſi quid novi contingat, exclamant, *Jeſu! Deus bone!* non ſunt ab omni peccato immunes; 1°. quia id prohibet Scriptura, Eccli. 23. *Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis*, id eſt, à peccato irreverentiæ contra

tos; 2°. quia nomen Dei sanctum sinè ullo religionis sensu usurpare ut aliquid commune & profanum, vera est irreverentia.

Tentatio aliquando sumitur pro inductione ad peccatum, ut Jacobi 1. *Deus neminem tentat*; aliquando pro peccato quo aliquid fit aut dicitur ad capiendum experimentum potentiæ, sapientiæ, alteriusve divini attributi, per extraordinarium effectum ab eo temerè expectatum. Et id fieri dupliciter potest, 1°. expressè, ut contigit Monacho illi, qui se in puteum projecit, ratus sibi adfuturos Angelos qui cadentem exciperent; quo pertinent probationes quæ olim fiebant candenti ferro, aut aquâ fervente, vel duello; 2°. implicitè cùm quis ad obtinendum finem ordinariis mediis non utitur: sic Deum tentant, qui remediis uti nolunt ad sanitatem, studio ad tractandum dignè Dei verbum, præparatione ad Officii divini recitationem.

Tentatio grave est peccatum: 1°. quia prohibetur, Deut. 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*; 2°. quia creatura sinè gravi irreverentiâ præsumere non potest futurum ut pro ejus arbitrio leges suas immutet Deus, & miracula operetur. Fieri tamen potest ut tentatio non sit nisi veniale peccatum, ut si quis nec intendat, nec cogitet actionem suam ad Dei tentationem pertinere. Imò non peccaret, qui ex vivido S. Spiritûs impulsu peteret miraculum à Deo, ut fecit Abraham, Genes. 15.

Sacrilegium vel strictiùs sumitur pro furto rei sacræ; vel latius, & sic idem est ac quævis violatio rei Deo dicatæ & ad ejus cultum pertinentis; unde triplex est sacrilegium, personale, locale & reale; quia triplex est species rei sacræ, nempè *persona*, ut Clericus; *locus*, ut Ecclesia; & *aliæ res Deo dicatæ*, ut vasa sacra, sacri Codices.

Persona sacra quadrupliciter violari potest, 1°. si injusta percussio, aut actio contumeliosa in eam exerceatur contra privilegium Canonis *Si quis suadente diabolo*; 2°. si subjiciatur foro seculari contra privi-

legium fori; 3°. si irrationabiliter publicis oneribus ut tributis subjiciatur contra immunitatem ecclesiasticam; 4°. si ipsa peccet contra castitatem, aut alii cum illâ. Huc refertur violatio cujuslibet voti, quia per votum res Deo dicatur, nec ad alios usûs sinè impietate destinari potest.

Locus sacer tripliciter violatur; 1°. per actus quibus polluitur, quales sunt effusio illicita & publica sanguinis, aut seminis humani, &c. 2°. per actus qui licèt eum non polluant, ejus tamen sanctitati adversantur, quales sunt mercatus, sententia Judicis secularis præsertim criminalis, confabulationes, & comestio sinè necessitate; 3°. per actus qui ipsi materiali loco vim inferunt, ut si Ecclesiæ fores effringantur, si Templa bonis suis spolientur.

Res sacra dupliciter violatur; 1°. positivè, cùm indignè tractatur; 2°. negativè, cum eâ non custoditur curâ quâ decet; ut si vasa sacra, pallæ, corporalia præsertim non teneantur satis munda; si permittatur species in pixide corrumpi; si Eucharistia sub clavi non asservetur.

Sacrilegium est peccatum ex genere suo mortale; 1°. quia Deum inhonorat in rebus sacris, quæ cùm ejus cultui consecratæ sint, violari non possunt quin ipse contemni censeatur; 2°. quia graves ab Ecclesiâ contra sacrilegos decernuntur pœnæ, ut excommunicatio contra percussores Clericorum; contra eos qui infringunt & spoliant Ecclesias, &c. Potest tamen sacrilegium esse veniale, tùm propter inadvertentiam, tum propter tenuitatem materiæ, quæ non ità pugnet cum sanctitate loci, ut si quis in transitu per Ecclesiam vendat aliquid aut emat sinè morâ in paciscendo. Qui in Cœmeterio mercatus & nundinas exercent, non sunt immunes à peccato, nisi instet magna necessitas. Cùm autem sanctitas quæ per sacrilegium violatur non ejusdem sit naturæ, quia aliter persona Deo dicata, sancta est; aliter locus Deo consecratus, debent pœnitentes exprimere speciem sacrilegii.

CAPUT SECUNDUM.

De Superstitione.

SUperstitio est inordinatus cultus veri vel falsi numinis : unde duplex est ; una ex parte rei quæ colitur cùm non debet coli ; alia ex parte modi quo colitur res cultu digna, nempe Deus verus.

Superfluus veri Dei cultus triplex, nimirùm falsus, turpis, ac simpliciter superfluus. *Falsus* ut si quis Deum judaïcis ceremoniis colere velit. Ad falsum cultum pertinet falsas reliquias Fidelium venerationi exhibere, falsa miracula prædicare. *Turpis* seu indecens, ut si quis hominem Deo immolet : itèm si musica & organa, quæ in officio divino adhibentur, lasciviam sapiant. *Simpliciter superfluus*, cùm quis ex indiscretâ devotione, novas Missæ vel Officio preces aut ceremonias addit ; cùm sperat se aliquid à Deo consecuturum, si tot & tanti ponderis cereos accendat, si tot & tali situ orationes fundat : hinc Curia Parisiensis an. 1577. vivam cremari jussit Barbaram Doré, quæ fatebatur se ægris quos sanaverat, medicinam fecisse discissâ columbâ, & ægroti stomacho impositâ, cum his quæ agnoscebat se à diabolo didicisse verbis : *In nomine Patris, &c. Domini S. Antonii & Domini S. Michaëlis Angeli, curari possis ab hoc malo.* Unde colliges superstitiosam esse praxim Parochorum, qui candentem Ecclesiæ clavim animalium cervici applicant, ut ea à rabie tueantur.

Superstitio ex parte rei quæ colitur, quintupliciter contingit : vel enim impenditur creaturæ honor soli Deo debitus, & est *idololatria* ; vel quæritur à dæmone rerum occultarum scientia, & dicitur *divinatio* ; vel spectatur ejus auxilium ad quosdam effectus obtinendos, & est *vana observantia*, ad quam *magia* & *maleficium* revocari solent.

Idololatria. Idololatria in præsenti, est peccatum quo divinus honos creaturæ tanquam Deo exhibetur.

Peccatum illud gravissimum est; 1°. quia prohibetur Exod. 20. *Non habebis deos alienos coram me;* & infrà, *Non adorabis ea, neque coles*; non adorabis, inquam, exteriùs nec coles interiùs: unde qui tempore persecutionis, etiam ex mortis metu, idola exteriùs veneraretur, tametsi interiùs servaret fidem, non esset à gravi peccato immunis; 2°. quia honorem soli Deo debitum ad viles creaturas transferre peccatum est læsæ majestatis divinæ, quo vix gravius ullum concipi potest.

Divinatio. Divinatio, est inquisitio cognitionis rerum occultarum ope dæmonis. Cùm enim occulta, ut sunt cogitationes cordis, res alibi gestæ, &c. non possint hîc & nunc naturaliter cognosci; nec eorum cognitio expectetur à Deo, qui ea vel ignorari vult, vel viis solùm naturalibus cognosci; superest ut hæc cognitio expectetur à dæmone; sivè expresse invocetur, ut solent eum invocare magi; sivè tacitè, cùm observantur ea quæ ad talem notitiam naturaliter non deducunt, ut faciunt Genethliaci, qui ex horâ nativitatis & syderum inspectione, futuram hominum conditionem præsagiunt; Chiromantii & Physionomi, qui ex manuum aut faciei lineamentis, vitæ diuturnitatem, morbos, animi indolem colligunt; Augures, qui ex animalium vocibus futura prædicunt.

Divinatio gravissimum est peccatum. Quia qui eam exercent, præcipua divinitatis insignia sibi arrogant, juxta id Isaïæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.*

S. Thom. Opusc. 26. Quæres 1°. an cognitio quælibet ex syderibus petita ad divinationem pertineat. R. Duplex est Astrologia: alia *naturalis* & licita, quâ ex syderum concursu renuntiantur eclypses, venti, pluviæ, & alii similes effectus, qui cum istis connexionem naturalem habent, ut frugum ubertas & sterilitas. Alia *judiciaria*, quâ ex astrorum aspectu, prædicantur ea quæ à solâ hominis libertate pendent, ut matri-

monia, dignitates, &c. Hæc prorsus illicita est, & prohibetur, 1°. Scripturâ, Jerem. 10. *A signis cœli nolite metuere quæ timent gentes*; 2°. Jure canonico; multisque Conciliis, præsertim Toletano I. an 400. cujus hæc sunt verba: *Si quis Astrologiæ vel Mathesi existimat esse credendum, anathema sit*; 3°. Specialibus hujusce Regni Statutis, ut patet ex Edictis Caroli IX. & Henrici III. Hinc peccat qui ex eo quòd hic vel ille sub Veneris planetâ natus sit, certò conjicit eum lubricum fore: quia *contra inclinationem cœlestium corporum homo potest per rationem operari*, ait S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 1.

Sed si cui prædictum sit eum gladio moriturum, aut veneri deditum fore, peccabitne is inde actiones suas regendo & moderando?

R. 1°. eum peccaturum mortaliter si infallibilem hisce prædictionibus fidem adhibeat: sequitur ex dictis; 2°. eum adhuc graviter peccaturum esse, qui sinè credulitate infallibili, sed cum timore aut spe prænuntiatorum actiones suas diriget, ut si submersionis metu, domo non exeat; quia cùm tales eventus ab astris seriò expectari non possint, non nisi à dæmone sperari possunt, quod sinè mortali peccato fieri nequit; 3°. qui conjecturaliter credit se vel ex astrorum influxu, vel aliunde ad rixas aut luxuriam proclivem futurum esse, non peccabit occasiones vitando, implorando humiliter Dei gratiam: ii enim actus omnem & quemlibet Christianum decent.

Quæres 2°. an licita sit divinatio per sortes.

R. Sortes triplicis sunt generis, 1°. *divisoriæ*, quibus decernitur cui aliquid tribuendum sit, & eæ licitæ sunt, sive in partitione bonorum, cùm consentiunt qui ad ea jus habent; sive in pœnis, ut cùm è reis pluribus unus aut alter puniendus est; sive in functionibus onerosis, ut cùm designandi sunt Sacerdotes qui pestis tempore Sacramenta ministrent. Attamen, sortes divisoriæ vel consultoriæ in ecclesiasticis electionibus prohibitæ sunt, cap. 3. *de sortilegiis*, Unde si electi duo paria habeant vota, & neutra

pars cedere velit, non licet ad sortem recurrere; juxta plures electio esset nulla.

2°. *consultoriæ*, quibus inquiritur quid in aliquâ re obscurâ sit agendum; & eæ sunt illicitæ, quia saltèm continent tentationem Dei, & diabolicæ deceptionis periculum; solet enim dæmon iis se immiscere, unde sub anathemate prohibentur, cap. *Sortes* 26. q. 5. Licitæ tamen esse possunt, si hæc concurrant: 1°. necessitas, & humani consilii defectus; 2° ut effectus à Deo solo expectetur; 3°. ut reverenter consulatur, & nusquam in materiâ circa quam prohibitum sit uti sorte. His conditionibus *sortes.... à Domino temperantur*, Prov. 16.

3°. *divinatoriæ*, quibus inquiritur rei occultæ vel futuræ cognitio, cùm ex crebri versione divinantur fures, aut ex taxillorum projectu prædicitur quis victoriam obtenturus sit, & hæ superstitiosæ sunt & graviter illicitæ; sunt enim medium vanum & ad tales effectus improportionatum, ideòque tacitam dæmonis invocationem continent.

Ex his colligi potest quid sentiendum de divinatione per somnia, per avium volatus, motusve animalium, quæ sunt auguria & auspicia. Etsi enim ex iis quidam naturales effectus colligi possint, non tamen effectus liberi. Et ideo divinationes illas prohibet Scriptura Levit. 19. *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Hinc peccant, qui quòd canis latratum mediâ nocte, aut corvi crocitum audierint, colligunt aliquem è suis aut vicinis prope diem esse moriturum.

Observantia vana.

Observantia vana, est superstitio quâ quis ad finem obtinendum utitur mediis vanis & improportionatis, seu quæ ad talem effectum nec à Deo, nec à naturâ, nec ab Ecclesiâ ordinantur; non differt à divinatione, nisi quòd hæc ad occultorum cognitionem ordinetur, illa verò ad alios effectus, relativè ad quos observantia vana in tres species dividi solet.

Prima est *Ars notoria*, quâ quis scientiam vult acquirere sine studio & per media inutilia, v. g. per

quasdam

quasdem orationes, inspectiones figurarum, &c.

Secunda dicitur *Observatio sanitatum*, cùm quis homines aut animalia sanare, aut in iis aliquid operari conatur vanis mediis; puta si quis vulneribus mederi, & hominem ensibus impervium reddere velit, per ceremonias inanes, vel caracterum impressionem; itèm si eos effectus producere intendat per media naturalia, aut etiam supernaturalia, sed quibus tanquam necessariæ adjunguntur circumstantiæ frivolæ vel apocryphæ, ut quòd remedia componi debeant ex herbis tali die collectis; quòd jumentis aperiatur vena die alicui Sancto dicatâ; quòd animalibus detur panis benedictus contra Ecclesiæ usum; quòd preces tali numero & ordine recitentur; quòd qui easdem tali tempore recitat, aut Scapularium gestat, non sit sinè confessione moriturus. Notant tamen aliqui, non statim accusandas esse superstitionis certas quasdam familias quæ solo tactu morsum canis rabidi sanant; quamquam hæc inconsulto Episcopo fieri non debent.

Tertia est *Observatio futurorum eventuum*, cùm quis ex eventu fortuito bonum aliquod aut malum sibi vel aliis eventurum ominatur; & inde actiones suas dirigit, ut si quis pede ad limen offenso malum aliquod sibi portendi credat.

Circa hæc & alia superstitionis genera, observandam credo hanc Sylvii regulam: *Dum aliqua fiunt ad eos effectus habendos, ad quos neque valent naturaliter, neque ex Dei aut Ecclesiæ instituto sunt ordinata, procul dubio sunt superstitiosa aut magica.*

Res. va. v fortil. 2.

Hìc ergo semper & in quâcumque materiâ subest peccatum mortale, ob expressum vel tacitum cum dæmone commercium. Etverò qui se per certa verba morbos sanare putant, plùs iisdem verbis tribuunt efficaciæ, quàm Sacramentis: ista enim non prosunt ponentibus obicem; eæ verò superstitiones à quocumque etiam impiissimo observentur, infallibilem effectum habent, ut aïunt, incendia extinguunt, morbos fugant, &c. Notant tamen Docto-

res personas simplices aliquando excusari per bonam fidem, inadvertentiam & similia.

Quæres quid sentiendum de virgâ *divinatoriâ*, cujus ope homines quidam abditos in terrâ thesauros, metalla, aquarum fontes in terræ visceribus absconditos, transpositos agrorum limites, fures & homicidas detegunt.

R. Usum hujus virgæ, (quam famosam fecit an. 1692. Jacobus Aymar, homicidam diù insequendo & detegendo,) esse omnino in praxi reprobandum: 1°. quia si virga divinatoria naturaliter in quorumdam manibus movetur, interior hominis intentio nihil confert ad ejus motum: Atqui falsum consequens. Nam virga remansit immota in manibus eorum in quibus anteà movebatur, postquam ii à Deo enixè petierunt ut motus ille desineret, si quid fortè hic esset mali, & aliquod cum dæmone pactum. Rursùm verò eadem virga moveri cœpit in manibus eorumdem, cùm absolutè eam moveri optarunt, abstrahendo bonumne id esset an malum.

Le Brun, instr.

2°. Quia lapis ex hominum instituto ad constituendum agri limitem designatus, nihil habet physici, quod non habeat alius lapis; Ergo impossibile est ut virga quæ non movetur circa secundum, moveatur naturaliter circa primum.

3°. Quia quod physicè agit, eodem modo in iisdem circumstantiis agit: Atqui virga divinatoria eodem modo non agit in iisdem circumstantiis. Aqua enim, pecunia latens & metalla virgam rotare nata sunt: Atqui tamen si is qui virgam gerit, aquam quærat & non metalla, virga non movebitur cùm ad metalla, sed solummodò cùm ad aquam ventum erit, & vicissim; Ergo virgæ conversio ab intentione pendet, adeòque conversio hæc naturalis esse non potest. Vide librum cui titulus, *Histoire critique des pratiques superstitieuses qui ont séduit les peuples.*

Magia.

Magia quæ generatim est ratio mirabiles quosdam & insolitos effectus operandi, duplex distinguitur: alia *naturalis*, cùm ea quæ fiunt, naturæ vires non

superant, & hæc licita est; alia *superstitiosa*, quâ magus mira quædam operatur ope dæmonis, saltèm implicitè invocati, ut cùm quis ad aliquid faciendum utitur mediis quæ nullam cum effectu proportionem habent, & naturæ legibus repugnant, ut si hìc pungitur figura, & homo alibi dolorem sentit.

Magia ob commercium cum dæmone, grave est peccatum, & aliquando multiplex: unde interrogandi sunt à Confessariis magi, an non dæmoni preces fuderint, quod est idololatria; an non Deo aut Sanctis renuntiaverint, quod est apost[illegible] in Deum aut Christi humanitatem con[illegible]tiaverint, aut Sacramentis abusi sint, quod est blasphemia & sacrilegium, &c.

Neque verò qui renuntiant omni pacto cum dæmone, à peccato immunes erunt; quia renuntiatio facto contraria, non excusat, sed est mera illusio: qui autem dicit se omni pacto renuntiare, reipsâ facit contra testificationem suam, cùm mediis vanis & improportionatis utitur. Hinc cap. 2. *de sortileg.* præcipitur ut Sacerdos qui *non eâ intentione ut vocaret dæmonium, sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari*, furem detegere voluerat, ab altaris ministerio per annum suspendatur.

Maleficium est superstitio quâ quis dæmonis ope nocet alteri, vel in se, vel in suis. Quòd autem existant malefici, sagæ, sorciarii, patet 1°. ex Scripturâ Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere;* 2°. ex Conciliis plurimis à Nicæno I. Can. 20. ad nostra usque tempora; 3°. ex praxi Ecclesiæ quæ nefariam hanc hominum pestem diebus dominicis anathemati devovet; 4°. id evincit celebre exemplum Magorum Pharaonis, Pythonissæ quæ suscitavit Samuelem, Simonis magi, qui prodigia adeò stupenda edebat, ut pro Deo à populis haberetur.

Maleficium. (margin)

Maleficium duplex distinguitur. Aliud est *amatorium*, quo flectuntur homines ad amorem venereum, non quasi dæmon voluntatem cogat, (unde qui tentationibus ab eo per philtra inductis consen-

tiunt, mortaliter peccant, quia eæ quamtumvis importunæ per Dei gratiam vinci possunt) sed quia spiritus immundus phantasiam concutit, adeòque exponit ruinæ, nisi ad orationem, jejunium & Sacramenta recurratur. Aliud dicitur *veneficium*, quo mors, morbi dolores inferuntur: eò referri potest maleficium circa copulam carnalem. Utrumque maleficii genus grave est peccatum, quia pugnat 1°. contra religionem, utpotè continens commercium cum diabolo; 2°. contra justitiam; 3°. quia sæpè annexam habet hæresim, apostasiam, sacrilegia, &c. unde magi, & alii id genus nunquam absolvendi sunt, nisi omnem cum dæmone societatem abjurent; artis magicæ instrumenta, libros, schedas comburant; illata proximo damna reparent. Si tamen dæmoni chirographum dederint, necesse non est ut illud repetant, sed satis est si pœnitentiæ lachrymis ipsum delere moliantur.

Quæres an & quibus remediis uti liceat ad dissolvendum maleficium.

R. Licet uti 1°. remediis *naturalibus* quæ petuntur ex herbis, &c. imò remedia hæc ab initio tentari convenit, nè quod naturæ opus est, dæmonis opus esse temerè credatur; 2°. remediis supernaturalibus, ut sunt Confessio, Eucharistiæ susceptio, Aquæ benedictæ usus, Reliquiæ Sanctorum, frequens nominis Jesu & B. Virginis invocatio, signum Crucis, cujus vis magna est contra satanæ laqueos.

Gravior est quæstio, an uti liceat remediis moralibus; iis nempè quæ amovendo aut destruendo signa magica quorum ope nocet Diabolus, ejusdem pactum dissolvunt. Quâ de re

Dico 1°. non licet petere à malefico etiam parato, ut maleficium per aliud maleficium tollat. Ratio est, quia maleficium per aliud destrui benè & licitè nequit; eò quòd posterius maleficium includat expressam vel tacitam dæmonis invocationem, quæ semper illicita est; Ergo licèt destructio maleficii sit aliquid in se bonum, prout tamen fit per commercium

cum dæmone, est aliquid pessimi. Unde colliges non licere ab alio malefico qui prioris maleficium non novit, petere ut illud solvat, quia tunc illud aliter quàm per maleficium solvere non potest.

Dico 2°. Licet petere à malefico ut tollat maleficium modo licito; quia licet ab eo petere ut injustè nocere desinat, cùm ad id teneatur.

Quod si maleficus, licitum maleficii destruendi modum ignoret, nihil ab eo petendum est; quia tunc licitè maleficium destruere nequit.

Sed quid, si dubium est an maleficus licito vel illicito medio usurus sit ad maleficii solutionem?

R. 1°. Hortandus est, imò & minis cogendus ad utendum medio licito, si qua sit spes eum usurum esse.

2°. Si probabilius sit eum usurum medio licito, poterit ab eo peti ut maleficium solvat, quia cessat tunc periculum morale ex parte personæ. Et hoc verum est, quamvis etiam à dæmone modum illum licitum accepisset, quia eo uti malum non est. Sic si diabolus thesaurum absconditum indicasset, liceret eum quærere, cùm non videatur illicitum uti scientiâ quæ in se nihil habet mali, modò sinè ope dæmonis exerceri possit.

3°. Demum si probabiliter credas, aut etiam certus sis moraliter, maleficium illicito potius quàm licito modo destructum iri, adhuc potes ejus destructionem petere: quia tunc petis rem quam habes jus petendi, & quæ à mago licitè præstari potest; Ergo non magis peccas, quàm cùm juramentum petis à Gentili, quem scis per idola juraturum esse; 2°. quia licèt ex caritate teneamur proximi peccatum vitare, non tamen cùm peccatum hoc ex malitiâ solùm operantis provenit, & aliàs nobis grave damnum salutis imminet: Atqui in præsenti casu grave nobis imminet etiam salutis damnum; quot enim expositi sunt peccatis, qui v. g. matrimonium consummare nequeunt? Aliunde verò quòd maleficus *maleficium* peccando solvat, ex ejus solùm

malitiâ provenit, cùm supponamus eum posse viâ licitâ maleficium solvere; fatemur enim eum qui scit aut dubitat an maleficus licitum cognoscat maleficii destruendi modum, non posse sinè peccato maleficii dissolutionem ab eo petere.

Dico 3°. Licitum est destruere & comburere signa maleficii, ut ligaturas, imagines, capillos.

Prob. 1°. quia non solùm licitum est, sed & meritorium destruere opera diaboli: Atqui hæc destruuntur, cùm evertuntur signa quibus malitiam suam alligavit. Unde nulla est hîc cum dæmone societas, sed potiùs destructio societatis quam dæmon prædictis signis alligare solet.

Prob. 2°. quia sæpè præcipit Scriptura, ut idolorum statuæ, aræ & luci subvertantur, ut Exod. 34. Deut. 7. Atqui perinde est signa magiæ destruere, ac tollere idola, præsertim cùm idola hæc maleficiis plena essent. Hinc Rituale Romanum tit. *de exorcisandis obsessis*, præcipit ut exorcista *jubeat dæmonem dicere an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat: vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur.*

Objiciuntur duo: 1°. autoritas S. Hieronymi, juxtà quem cùm ad S. Hilarionem adducta esset virgo, à dæmone quo obsidebatur liberanda, *Noluit Hilario signa jubere perquiri, nè aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni ejus accomodasse fidem.* Ergo duo occurrunt in auferendis istis signis mala; unum quia dæmon per incantationem recedit, aliud quia eidem fides datur.

2°. In hisce signis duplex virtualiter pactum cum dæmone invenitur hoc modo: *Nocebo si tale signum tali in loco ponâtur; si verò auferatur, nocere desinam*; Ergo ut peccat qui hoc signum ponit, quia commercium habet cum diabolo, ità & qui illud aufert eâdem de causâ.

R. ad 1. non dicit Hieronymus *nè solitis incantationibus recederet*; sed recessisse videretur, quæ verba

indicant Hilarionem timuisse aliquid scandali ; & nè astantes putarent dæmonem non potuisse à viro Dei expelli invitum, præsertim cùm dæmon dixisset se non exiturum nisi ablatis signis, quorum idcirco locum indicaverat.

Ad 2. 1°. qui tollit signum à dæmone positum, scire nequit, an factum sit duplex pactum, necne ; 2°. etiamsi id sciret, non ideò commercium habet cum dæmone ; quia non petit, nec expectat à dæmone sanitatem, quod est effectus positivus, sed ut nocere desistat, quod est effectus privativus ; hunc autem effectum expectare sinè pacto, & ex destructione signorum, non magis illicitum est, quàm illicitum sit expectare dæmonis fugam ab obsesso.



TRACTATUS
DE
BENEFICIIS ET SIMONIA.

PARS PRIMA.

De Beneficiis.

IN hâc parte dicam 1°. de naturâ & divisione Beneficii ; 2°. de variis acquirendi Beneficii modis ; 3°. de qualitatibus ad obtinenda Beneficia requisitis ; 4°. de modis quibus Beneficia vacant. Denique aliquid subnectam de Pensionibus.

CAPUT PRIMUM.

De essentiâ & divisione Beneficii.

BEneficium definitur, Jus perpetuum ac legitimum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico competens propter officium aliquod spirituale : secundùm id cap. 16. *De Rescript.* in 6. *Beneficium Ecclesiasticum datur propter Officium.*

Beneficia dividuntur 1°. in *secularia* quæ secularibus competunt, & *regularia* quæ addicta sunt regularibus, id est, Religiosis Regulam ab Ecclesiâ approbatam, & in quâ solemnia emittuntur vota, professis.

Beneficium præsumitur seculare, nisi probetur esse regulare ; quale esse probatur, vel ex litteris

fundationis, vel ex pacificâ & continuâ ejusdem à tribus regularibus per annos 40. possessione, adeò ut nec sola trium possessio sine 40. annis, nec sola unius possessio per annos 40. sufficiat. Iisdem conditionibus Beneficium à fortiori præsumitur seculare, nisi tamen datum sit in commendam; hæc enim *statum antiquum non interrumpit, sed conservat.* *Du Moulin.*

2°. Dividuntur in duplicia & simplicia. *Duplicia* ea sunt quibus annexa est vel animarum cura, vel jurisdictio in foro exteriori, vel præeminentia, vel rerum Ecclesiæ administratio; *simplicia* verò ea sunt quæ nihil horum adjunctum habent, sed solam Breviarii recitationem aut celebrationem Missæ, ut Prioratus, seu Seculares, seu Regulares.

Dividuntur 3°. in titularia, & in ea quæ dantur in commendam. *Titularia* dicuntur quæ quis possidet juxta propriam ipsorum fundationem, ut cùm secularia à secularibus, regularia à regularibus tenentur: *commendata* verò quæ à R. Pont. Clericis secularibus conferuntur absque eo quòd Beneficii natura mutetur.

Dividuntur 4°. in consistorialia, patronata, electiva, collativa, &c.

Consistorialia ea dicimus quæ iis qui à Rege nominati sunt, conferuntur à Papâ in Consistorio Cardinalium. Patronata ea sunt ad quæ Patroni sive Laïci, sive Ecclesiastici, aliquem nominant, ut ei Beneficium ab Episcopo conferatur. Non patronata, seu purè collativa, ea sunt quæ conferuntur sine prævia alterius nominatione aut præsentatione. Electiva, sunt quæ alicui canonicè electo conferuntur, eaque vel indigent superioris confirmatione, & tunc dicuntur *electiva confirmativa;* vel non indigent, & tunc dicuntur *electiva collativa*, quia ipsâ electione conferuntur.

Dividuntur 5°. in Beneficia quæ solam Tonsuram exigunt, ut plerique Canonicatus; & Beneficia quæ aliquem è sacris Ordinibus prærequirunt, v. g. Sacerdotium. Hæc porrò Beneficia (idem de Diaconalibus & aliis dicendum) vel sunt *Sacerdotalia à fundatione*, vel à lege: si à funda-

tione, is cui conferuntur debet esse Sacerdos, Diaconus, &c. eo tempore quo sibi confertur Beneficium. *Si à lege* solùm, sufficit ut provisus intra spatium anni ad Ordinem sibi præscriptum promoveatur. Nunc ex Regiâ declaratione mensis Januarii an. 1742. ut quis ad Beneficia curam animarum habentia promoveatur, necessum omninò est ut & sit Sacerdos, & annos habeat 25. completos.

Dividuntur 6°. in *compatibilia*, quæ possunt simul teneri: & *incompatibilia*, quæ simul possideri non possunt, ut duæ Curæ, duo Canonicatus aut Præbendæ, duæ sub *eodem tecto* Capellaniæ, Canonicatus & Cura in diversis Ecclesiis; & in hoc casu dispensatio Papæ non valet juxta mores nostros.

Dividuntur 7°. in ea quæ Graduatis addicta sunt, & ea quæ etiam non Graduatis conferri possunt. *Concord.* Graduati ii sunt, *qui per tempus competens in Universitate famosâ*, id est quatuor facultatibus constante, *studuerint*. Unde colliges 1°. graviter peccare, & Graduatos qui sinè competenti scientiâ, vi graduum Beneficia obtinent; & Universitatum Rectores aut Professores qui gradus imperitis conferunt; tùm quia publicam fidem fallunt in re gravi; tùm quia iis injuriam faciunt, qui jugi studio gradus adepti sunt; 2°. absolutione indignos esse & ad Beneficii dimissionem teneri eos, qui cùm per requisitum tempus in Universitate non studuerint, virtute graduum sub falsis attestationibus obtentorum Beneficia comparant; iis enim & Patrono aut Collatori, & aliis qui constanter studuêre, injuriam faciunt; 3°. magni quoque peccati reos esse Professores qui juvenum fraudi in re tanti momenti patrocinantur, testificando eos exactè interfuisse lectionibus suis, qui is ad summum in hebdomadâ scholas frequentavêre. Neque est quod dicant Graduati, se domi exinè studendo implevisse spiritum legis; nam & litteram quoque implevisse debuerant. Qui tamen scholas assiduitate morali frequentavit, & posteà studendo tempus malè impensum reparat, vi graduum Beneficia requirere potest.

CAPUT SECUNDUM.

De modis acquirendi Beneficii.

BEneficia, ut patet ex Ecclesiæ praxi, sex modis acquiri licitè possunt; 1°. præsentatione Patroni prævià; & subsecutâ institutione; 2°. electione & confirmatione; 3°. postulatione & confirmatione; 4°. collatione liberâ; 5°. permutatione; 6°. resignatione in favorem cum subsecutâ collatione: sed quia his duobus postremis modis Beneficium priùs amittitur quàm acquiritur, ideò de his dicemus ubi de vacatione. Nunc solam expendemus præsentationem, ut quæ plura ad conscientiæ forum spectantia involvat.

Præsentatio, est personæ idoneæ nominatio, vel Episcopo, vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta per patronum. Unde jus patronatûs definitur, Potestas nominandi Clericum ad Beneficium vacans, sive per mortem, sive per cessionem; præsentatio enim Beneficii nondum vacantis nulla est ex cap. 2. *de concess. Præbendæ.*

Patronatus dividitur præcipuè in *ecclesiasticum*, & *laïcum.* Prior convenit personæ ecclesiasticæ, vel ratione Beneficii aut dignitatis quam habet, vel quia pecuniâ ex bonis ecclesiasticis partâ Ecclesiam fundavit, extruxit, aut dotavit. Posterior convenit personæ laïcæ, aut instar laïcæ se habentis, quæ scilicet ex bonis secularibus Beneficium erexit, Ecclesiamve fundavit. Unde Ecclesiasticus potest habere jus patronatûs laïci, si vel ipse, vel ejus prædecessores Ecclesiam aut Beneficium è bonis patrimonialibus fundaverint.

His additur patronatus mixtus, qui competit Communitati aut Confraternitati ex Ecclesiasticis & Laïcis compositæ.

Tria sunt utriusque patronatûs discrimina: 1°.

C c vj

Patronus Laïcus ad præsentandum, tempus habet quadrimestre duntaxat ex cap. unic. *De jure patron.* in 6. (exceptâ Normanniâ ubi sex ad præsentandum laïco Patrono menses tribuuntur.) Ecclesiasticus verò sex ubique habet menses, qui juxta plurimos Canonistas currunt non à die vacationis, sed à die notitiæ obitûs; notitiæ, inquam, non quæ habita sit, sed quæ haberi potuerit.

2°. Patronus laïcus variare potest, id est, vel plures simul è quibus unum pro nutu eliget Episcopus, vel unum post alterum præsentare; sed non variat nisi semel, juxta multos, & quidem cumulativè tantùm, non privativè, quasi eum excludere possit quem antè præsentaverat; tunc ergo Superior cujus est instituere, potest cui voluerit ex præsentatis gratificari. Postquam semel data est à Superiore institutio, jam non est variationi locus.

Patronus laïcus qui scienter præsentavit indignum, variare non potest, sed pro hâc vice excidit à jure suo. Qui nesciens præsentavit incapacem, potest eundem, nondùm finito quadrimestri, de novo præsentare si cessaverit incapacitas.

Patronus Ecclesiasticus unicâ præsentatione Episcopo notificatâ jus suum exhaurit; unde si indignum, aut etiam juxta multos, debito gradu carentem scienter vel ignoranter præsentaverit, alium præsentare non potest. Dixi *notificatâ*: quia nominatio etiam publico instrumento coram Notario & testibus facta, non tam pro præsentatione, quàm pro præsentandi proposito habetur, quandiù ritè Collatori significata non est.

Hinc nominatio quæ *non pulsavit aures Ordinarii*, non impedit præventionem Papæ, saltèm in Curiâ Parisiensi. Neque etiam impedit eadem nominatio, nè elapso tempore ad præsentandum Patronis concesso, Ordinarius pleno jure conferat; aut nè valeat prævia ejusdem Ordinarii collatio, quæ tamen irritatur per nominationem Patroni legitimo tempore factam & significatam. Hinc ne-

um non videtur Patronus Ecclesiasticus variare, i factâ alicujus nominatione Ordinario non significatâ, alium deinceps præsentet, eumque institui equirat. Si præsentatus acceptare nolit, aut moiatur ante institutionem, potest Patronus Eccleiasticus alium præsentare.

3°. Præventio Papæ locum habet in Patronis ecclesiasticis, unde si Papa conferat, antequam præentaverit Patronus ecclesiasticus, valet collatio ontificia; & adhuc valeret, etiamsi litteræ præsenationis fuissent expeditæ, quin & præsentando traitæ cum expresso easdem mox Ordinario exhibendi nandato, cui parere neglexerit. Atverò prævenio Papæ in Patronis laïcis aut mixtis locum non abet. Beneficium à Patrono laïco pendens, nec 1 favorem resignari, nec permutari, nec gravari otest pensione, sinè Patroni consensu; quod aliter actum est caret robore. Ut explicentur cetera,

Quæres 1°. quomodo acquiratur jus Patronatûs.

Resp. 1°. *Patronum faciunt dos, ædificatio, fun-us*: non autem area sola, ut docet probabilior pinio. Si autem tres simul ab Ecclesiæ fundatioem concurrant, primus dando aream, secundus Ecclesiam construendo, tertius dotando, ii omnes 1 solidum Patroni efficiuntur.

R. 2°. Aliis etiam modis acquiritur jus Patroatûs: 1°. præscriptione, quia juri Patronûs, utotè quòd temporale sit sicut & spirituale, nihil eest quominùs præscribatur. Ad hanc porrò præsriptionem solent Jurisperiti nostri requirere posessionem 40. annorum, unà cum tribus præsenationibus successivis quæ admissæ fuerint; 2°. acuiritur privilegio seu concessione summi Pontifiis, quæ tamen in Galliis non valet, nisi sit ex *ausâ onerosâ*, putà si quis insufficientem Ecclesiæ licujus dotem ad medium usque adauxerit; 3°. cquiritur donatione vel legato Patroni: potest nim Patronus suo Compatrono, vel Communiati vel alii cuivis jus suum, non dico vendere,

quod esset simoniacum, sed cedere, modò accedat consensus Episcopi, si cessio fiat in gratiam laici qui compatronus non sit.

Quæres 2°. an Patroni-successor possit mutare naturam seu conditiones Beneficii.

XIII. q. c. 2. R. negat. quia *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet*; imò nequidem Fundator ipse, si jam perfecta sit fundatio, quidquam in deterius mutare potest. Potest tamen vel ipse vel ejus successor novas apponere conditiones quæ Ecclesiæ utilæ sint, modò accedat Episcopi consensus.

Quæres 3°. quomodo finiatur jus patronatûs.

Pastor. t. 10. n. R. Finitur 1°. cessione, & in hâc non datur regressus, nisi beneficium ætatis restitutionem indulgeat; 2°. privatione ex delicto, ut si quis jus patronatûs vendere præsumpserit, vel bonorum suorum confiscationem promeruerit; 3°. præscriptione.

Quæres 4°. quænam sint Patronorum jura & onera.

R. *Patrono debetur honos, onus, utilitasque,*
Præsentet, præsit, defendatur, alatur egenus.

Unde Patronus primas habet in processionibus; panem benedictum, quâ anni die festâ maluerit, offerre potest; eidem thus, pax & similia ante ceteros offeruntur. Debet etiam, si fortè ad inopiam vergat, adjuvari ex Ecclesiæ bonis, secundùm qualitatem suam, & collata ab eo in Ecclesiam beneficia.

Sed quia non est honos sine onere, debet Ecclesiam tueri, invigilare ut Officia dignè celebrentur, & potissimùm eidem de dignis ministris providere.

Circa hoc autem maximi momenti punctum hæc apud omnes recepta sunt: 1°. nullus se quantumcumque idoneus sit, ad Beneficium præsentare potest, aut ad illud præsentari à procuratore quem constituisset; 2°. si plures sint Patroni, unus alium modò capacem poterit præsentare; quia tunc præsentatio est velut electio quædam, in quâ aliqui eorum qui eligere possunt, possunt etiam eligi: 3°. Patronus filium suum præsentare potest, quia

jus non resistit; non sic tamen ut filius immediatè patri succedat. Hic præcipuè quærimus an indigni vel minus digni præsentari possint. Sed digni aliter à mundanis hominibus qui ministerii nostri sanctitatem non capiunt; aliter ab aliis qui Ecclesiastici status dignitatem norunt, definiuntur.

Juxta mundanos dignus vocatur Clericus, in quem non cadunt flagitia quæ Legibus puniuntur, quamvis mundum & ea quæ in mundo sunt diligat, bona inhiet temporalia, multò minori in domum Dei zelo moveatur, quàm in familiæ suæ honorem & augmentum; ludo indulgeat & epulis; inutilibus planè colloquiis, sæpè perniciosis etiam cum mulieribus se se immisceat; adeò ut minus ejus crimen sit vita otiosa & tepida, quam idcirco Deus ex ore suo evomit.

Dignus Sanctorum judicio, ille est qui innocentiam vel conservavit, quod hodie rarum est, vel seriæ pœnitentiæ laboribus reparavit, quod rarius est, teste S. Ambrosio; qui cùm omnibus corporis, animi ac gratiæ dotibus necessariis instructus sit, insatiabili Dei gloriæ, suæ & aliorum salutis ardore consumitur. Hinc indignus est, qui ad officium debitè præstandum ineptus est ob pravam vitam, ignorantiam, ingenii aut corporis morbos, aliaque id genus impedimenta. His præmissis, sit

CONCLUSIO I. Qui Beneficium etiam simplex confert indigno, eumque præsentat, aut elegit, peccat mortaliter. Ità omnes.

Prob. 1°. ex Concilio Lateranensi IV. *Grave nimis*, inquit, *& absurdum*, *quod quidam Ecclesiarum Prælati, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus neque morum honestas, neque litterarum scientia suffragatur... undè quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat.*

Prob. 2°. Non licet illud facere, unde omnia eveniunt Ecclesiæ mala; unde nascuntur hæreses, *divini cultûs* negligentia, redituum Ecclesiastico-

rum dissipatio, pauperum calamitas: Atqui mala hæc omnia præstat collatio Beneficiorum indignis facta.

Prob. 3°. Beneficium datur propter officium; Ergo si ad officia secularia promovens indignos, peccet mortaliter, ut fatentur omnes juxta Lugo; à fortiori, qui indignos ad Beneficia promovent.

Hinc peccant & quidem mortaliter, 1°. Episcopus, si instituat indignum, quia eum repudiare potest, ac debet, & quia minùs Ecclesiæ negotia curat, quàm curet secularia sua, quæ viris inhabilibus gerenda non tradit; 2°. Præsentator qui viro sibi incognito Beneficium tribuit; non sufficit enim ut nihil mali de præsentato noverit, sed requiritur ut moralem de idoneitate ejus certitudinem habeat; 3°. parentes qui dum corruptos filiorum suorum mores norunt, curant aut permittunt iis Beneficia conferri; 4° qui in concursu Beneficium dignioribus præripiunt: hi enim peccant petendo, obtinendo, & retinendo; nec minùs in culpâ est qui eis Beneficium concessit. Ità Comitolus.

CONCLUSIO II. Ex communi sententiâ peccat mortaliter qui omisso digniore, præsentat, eligit, proponit dignum ad Beneficium annexam habens animarum curam, vel jurisdictionem, vel magni momenti functionem, ut docendi, prædicandi; vel superioritatem alicujus communitatis.

Prob. 1°. ex S. Thomâ 2. 2. q. 63. a. 2. *Dicendum*, inquit, *quòd quantùm ad hoc quòd electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem .... sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in ordine ad bonum commune.*

Prob. 2°. ex Trid. Sess. 24. c. 1. *de reformat.* quòd ut omnem eâ de re controversiam tolleret, apertè tradit, *omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque jus habent..... alienis peccatis communicando mortaliter peccare, nisi quos* digniores *Ecclesiæ, & magis utiles ipsi judicaverint..... & quos ex legitimo matrimonio natos,*

& vitâ, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, præfici curaverint. Quod hîc de Episcopis hoc de Parochis dicitur, cap. 18. *Episcopus ex dignis eligat digniorem.* Porrò cùm incommoda hæc verba, *digniores*, intelligerent quidam, aut de dignis simpliciter, aut de casu in quo fieret concursus; eorum doctrinam damnavit Innocentius XI, ut *scandalosam & in praxi perniciosam.*

Sed quid si quis Beneficium simplex digno concedat, prætermisso digniore?

R. Variant inter se eâ de re Theologi: sed nostro quidem judicio meliùs & veriùs sentiunt, qui generaliter pronuntiant, in casu etiam Beneficii simplicis peccare mortaliter qui digniorem præterit.

Prob. 1°. quia omnes Beneficiati sunt Ecclesiæ ministri: Atqui nullum Ecclesiæ ministerium haberi debet pro parvo; 2°. quia per electionem minùs digni, Ecclesiæ ministerium notabiliter pejori modo fit, & cultus Dei minuitur: quod longè certius videbitur ei cui cum Delugo observabit, miserrimis his temporibus dignos appellari, non qui tales sint absolutè, sed qui minùs indigni sint quàm alii; 3°. quia qui vident majoris meriti nullam haberi rationem, non elaborant pro virili ut ceteris fiant aptiores; 4°. quia probabilissimum est Beneficia saltèm secundariò in eorum qui præsentandi sunt favorem fuisse instituta, nempè ut compensarentur fideliores Ecclesiæ ministri; Ergo utcumque injustus est qui hæc iis denegat.

Fatendum tamen quosdam esse casus in quibus sinè peccato etiam veniali Beneficia simplicia minùs dignis conferri possunt, ut 1°. si alimenta subministranda sint Pastori infirmo, qui utpotè officio jam impar, ab animarum curâ removeri debeat. Itèm si electio planè indigni impediri aliter non possit, quàm per electionem minùs digni.

2°. Si quis Sacerdos aut Clericus non aliter ex inopiâ relevari possit, quàm si ei conferatur aliquod Beneficium simplex, quia hæc dispositio commodum Ecclesiæ affert. Addit Wiguerius Clericum

dignum pauperem, diviti licèt digniori præferri posse, si ratio paupertatis eum adæquet excessum qui in alio ditiore reperitur ; quia cùm Beneficia etiam instituta sint ad pauperum sustentationem, paupertas Clerici in partem causæ transit.

3°. Potest Collator instituere dignum qui sibi à Patrono præsentatus est, licèt alios noverit eo digniores qui neglecti sunt ; quia non potest eum qui præsentatur, modò dignus sit, rejicere : facilè enim præsumeretur Patroni jura usurpare velle, Patronum offendere, præsentatum odisse, &c. pium tamen est ut Collator Patronis digniores proponat præsentandos, modò sit spes futurum ut ii pro suo in Ecclesiam amore acquiescant.

4°. Idem dicendum si electio fieri debeat ex personis certæ communitatis. Putat tamen Sylvius fundationem Beneficii Curati eâ lege factam ut ad ipsum semper assumatur aliquis de Fundatoris sanguine, aut de quodam pago, vel oppidò, etiamsi offerat se alius longè dignior, ab Ecclesiâ acceptari non debere, cùm hujusmodi homines ordinariè non sint Ecclesiæ utiliores quàm alii.

Quæres 1°. an resignans teneatur resignare digniori.

R. Affirmat. cum Navarro, Sylvio, & aliis sanioribus ; 1°. quia talis resignans se habet instar Patroni, cùm id efficiat quod ad Patronos pertinet. Et hoc præsertim verum est in Galliâ, ubi permutationes admittere tenetur Papa, nisi in iis aliquid occurrat vitii canonici ; 2°. quia reipsâ tunc est causa damni quod patitur Ecclesia : unde non solùm peccat resignans, sed amici quoque ejus & parentes, qui hujusmodi resignationes viribus totis procurare consueverunt, adeòque & malum promovent.

Quæres 2°. an teneatur ad restitutionem, qui indignos promovet, vel dignos præfert dignioribus.

R. Ad 1. æqualiter teneri promoventem & promotum. Ratio est, quia uterque vera est causa malorum omnium quæ patitur Ecclesia ; hinc promotus qui

officium suum implere nequit, debet & restituere fructus Beneficii quod datur propter Officium, & Beneficium dimittere, quia provisio juri cuicumque repugnat.

R. Ad 2. vel Beneficium ex concursu dari debet, vel non. Si primum, conveniunt communiter restitutionem fieri debere digniori prætermisso. Is enim posito concursu jus strictum habet in Beneficium: quandoquidem in ipsâ concursûs indictione continetur pactum dandi Beneficii magis idoneo inter concurrentes, qui etiam tali conditione & expectatione se præsentat; Ergo qui ei Beneficium negat, strictam eidem injuriam facit, quam tenetur reparare.

Si verò Beneficium ex concursu dari non debeat, restitutio facienda est Ecclesiæ, non autem illi qui prætermissus est.

Prob. 1. pars, quia restituere debet qui est causa damni tum gravis, ut id inferendo peccarit mortaliter contra fidelitatem & justitiam: Atqui sic se habet Patronus, aut quisquis minùs dignum promovet ad Beneficia; quia vel ipsi Patroni ex stipendio tenentur ad promovendos digniores, cùm Patronorum jura sint ipsi stipendii loci; Ergo.

Hæc autem reparatio fiet, 1°. si per te vel alium efficaciter persuadeas minùs digno, ut Beneficium suum digniori concedat; 2°. si ei Beneficium aliquod simplex procures, & digniorem in illius locum introducas; 3°. si idoneos accersas ministros, qui diligentiâ suâ compensent, id quod ex ejus socordiâ, mali contingere potest.

Prob. 2. pars, 1°. quia sola ea justitiæ species inducit necessitatem restituendi, quæ rem alteri stricto jure debitam eidem denegat; sed justitia distributiva, quæ in Beneficiorum dispensatione occurrit, non debet stricto jure dignioribus Beneficia, cùm hæc primariò propter utilitatem communem instituta sint, non autem propter peculiare Beneficiarii emolumentum, nisi quatenùs in utilitatem communem ex se ordinatur; *Ergo sufficit* ut restitutio fiat Communitati,

non autem necessum est ut fiat digniori prætermisso.

2°. Si œconomus cui ex officio incumbit conducere idoneos operarios in vineam patris-familias, digniores non conducat, nullam iis restitutionem debet, sed solùm domino suo, cujus rem negligenter curavit; Ergo pariter dispensator Ecclesiæ bonorum eidem Ecclesiæ obligatus manet, non autem iis operariis quos prætermisit.

3°. Sola justitiæ commutativæ violatio inducit obligationem restituendi: Atqui eam non violat qui prætermittit digniorem. Alioqui enim teneretur dignus ex justitiâ Beneficium relinquere, statim ut sciret digniorem fuisse prætermissum; id autem sinè magnâ omnium confusione admitti nequit.

CAPUT TERTIUM.

De qualitatibus ad obtinenda ritè Beneficia necessariis.

UT alicui de Beneficio provideri possit, decem in eo requirit Lessius, Luc. 2. c. 34. dub. 7.

1°. Ut sit legitimus, vel saltèm ut dispensationem obtinuerit.

2°. Ut primâ tonsurâ donatus sit, & quidem à proprio Episcopo, vel mediantibus ejusdem dimissoriis. Sanè ei qui ab Episcopo, non originis, sed domicilii vel Beneficii ordinatus esset, tutius fuerit ut à Papâ obtineat litteras *perinde valere*, ut docet Rebuffus. Sunt Beneficia quæ præter tonsuram, certum ordinem postulant, à lege, vel à fundatione, de quibus suprà.

3°. Requiritur cœlibatus: unde qui ducit uxorem, à Beneficio excidit, ut dicam cap. 4.

4°. Ætas idonea, de quâ alibi.

5°. Vitæ probitas: sequitur ex his quæ diximus de Beneficiis digniori conferendis. Porrò, ait S. Thomas 2. 2. q. 100. & quodlib. 2. a. 11. Si quis

pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsâ præsumptione redditur indignus, & sic preces suæ ex hoc ipso... pro indigno fiunt. Licitè tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se Beneficium Ecclesiasticum petere sinè curâ animarum. Si tamen Beneficia dignis promiscuè & indignis conferantur, & petens non temerè judicet se esse aliis digniorem, putà quia eâ de re peritum Confessarium consuluit, & aliundè qui idem Beneficium sollicitant, parum digni sunt: licitum erit Beneficium cui animarum cura annexa est postulare, cùm Isaias, c. 6. dicat: *Ecce ego, mitte me.* Et Apostolus I. ad Tim. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

6°. Scientia competens, talis scilicet & tanta quæ sufficiat ad officium Beneficio annexum debitè exequendum; unde cùm officia Beneficiis annexa varia sint, non una quoque, nec æqualis ad omnia Beneficia scientia requiritur. Apud Gallos Parochiæ in urbibus aut villis muratis sitæ, nemini nisi ad minùs artium Magistro committi possunt: idem dicendum si Parochiæ illæ extra urbem sitæ sint, & major populi pars intra urbis ambitum commoretur.

7°. Idonea corporis dispositio, ità ut præstari possit officium debitum: si indispositio præcedat, irrita est collatio, ut si cæco fieret: si superveniat, non privat Beneficio; sed qui Beneficium Curatum habet, bono Vicario munus suum commitere tenetur.

8°. Requiritur immunitas ab excommunicatione majori, aliisque censuris, & irregularitatibus.

9°. Intentio determinata in statu Ecclesiastico perseverandi: non enim intendit Ecclesia ut iis Beneficia conferantur, qui eidem nonnisi ad tempus famulari volunt, & qui minùs gloriæ Dei quàm lucro student. Ad hanc autem intentionem non requiritur, ut proponat sibi Clericus nunquam ad seculum reverti, quidquid evenire possit; unde non peccat qui Beneficium suscipiendo habet intentionem illud deserendi, si quando id exigant lites componendæ, *vel continuanda illustris familia*: sed in

his timidè ambulandum, nec à peccato mortali excusandi sunt, 1°. qui Beneficia accipiunt eo tantùm animo, ut fructibus eorum alantur donec studia absolverint, aut invenerint uxorem opulentam; 2°. qui recipiunt Beneficium cui annexus est sacer Ordo, quem recipere nolunt; & quidem si Beneficium illud sit Curatum, & ipsum *receperis*, *ut fructus ex eo per annum percipias*, *postmodùm* idem *dimissurus*, (*nisi voluntate mutatâ promotus fueris*) *teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem*; 3°. qui Beneficium arripiunt ut illud cum alio permutent aut ex eo pensiones corrodant, in re gravi Ecclesiam fallunt, & graviter peccant.

Cap. 35. De Elect. in 6.

Haud tamen invalida foret Beneficii susceptio, tam malo animo facta: 1°. enim nullum est jus quod invaliditatem hanc decernat; & reipsà multa prohibentur fieri, quæ facta tenent; sic agunt contra intentionem Ecclesiæ qui plura quàm par sit Beneficia cuipiam conferunt, & tamen valet collatio; 2°. si collatio hæc invalida foret, qui malâ *mutatâ voluntate* intenderet Ecclesiæ perpetuò famulari, novis indigeret provisionibus, quia *tractu temporis non firmatur*, *quod ab initio non subsistit*. Hoc tamen necesse est, cùm citatum caput 35. *de Elect.* supponat Beneficium parochiale posse retineri ab eo qui primò illud receperat, ut fructus ex eo per annum reciperet, solùmque exigat ut voluntatem mutet.

1°. Ut promotus ad unum Beneficium non habeat aliud incompatibile.

Hîc addendum est extraneos nullum in Galliis Beneficium obtinere, aut saltèm retinere posse, nisi à Rege *naturalitatis* litteras in Parlamento verificatas obtinuerint. An autem eæ litteræ effectum habeant retroactivum, ità ut ei prosint qui iis nondum obtentis Beneficium adeptus est, disputatur. Affirmant Gibert in Tract. de irregular. pag. 591. & cum eo alii plures, qui etiam docent collationem factam extraneo, esse de se validam; ità ut resignare possit, licèt non possit tenere seu servare id quod accepit, nisi litteras naturalitatis obtineat.

CAPUT QUARTUM.

De Beneficiorum vacatione, resignatione, &c.

BEneficium dicitur vacare, cùm de jure aut de facto jam ab eo possideri nequit à quo anteà possidebatur. Quod ut melius intelligatur, sciendum est Beneficium aliquando vacare *ipso facto*, aliquando vacare *ipso jure*; & hæc duo plurimùm differunt : cùm enim Beneficium vacat *solo jure*, potest adhuc Beneficii possessor ipsi renuntiare, sive simpliciter, sive in favorem, re adhuc integrâ, id est, si nemo alius idem Beneficium vel à Papâ, vel ab Ordinario definitivè impetraverit; sed cùm vacat *ipso facto*, non relinquitur renuntiationi locus. Unde Beneficium hoc statim dimittendum est, nisi obtineatur ejusdem retinendi dispensatio; aut circumstantiæ non patiantur illud statim dimitti, quod sæpiùs evenire potest, ut si v. g. Parochus cedere Beneficio nequit sinè gravi scandalo populorum, qui ex ejus renuntiatione colligent eum admisisse crimen cujus jam suspectus est, & propter quod solùm præsumi potest Beneficio cedere.

Porrò facile non est assignare casus in quibus Beneficium vacat ipso facto, ob nimiam eâ de re Theologorum dissensionem : hæc nobis certa videntur.

Beneficium vacat ipso facto, per mortem etiam civilem Titularis, quam obire censetur tùm is qui in ordine ab Ecclesiâ approbato solemnem Religionis professionem emittit, tùm is qui condemnatur morte citra appellationem, aut per contumaciam, adeò ut sententia *in effigie* executioni demandetur : itèm qui triremibus aut exilio damnatur in perpetuum, secùs si damnetur solùm ad tempus, modò tempus illud novem annos non excedat. Non desunt tamen qui negent Beneficium ipso facto vacare præcisè per ipsam mortis sententiam.

2°. Beneficium vacat ipso facto per matrimonium etiam invalidum, quale contrahitur à Clerico sacris initiato, vel consanguineam ducente, vel præscriptam à Tridentino formam non servante: 1°. quia *non decet ut stultus*, qualis est Sacerdos sacrilegè nuptias attentans, *melioris quàm peritus conditionis existat*; 2°. quia ex jure civili *nemo de impossibilitate suâ actionem consequitur*; 3°. quia ità sentiunt & judicant tùm Rota, tùm supremi Galliæ Senatus; 4°. quia usus legitimus Canonum interpres, ambigua eorum verba hoc in sensu explicuit.

C. 18. De præb. 16.

3°. Vacat Beneficium per resignationem & permutationem completè factas; de quibus statim dicam.

4°. Vacat per atrocia quædam crimina; hæc verò juxta Gibert in iis materiis versatissimum, non alia sunt pro Gallis, quàm octo sequentia; 1°. assassinatus publicus, sive fiat ope veneni, sive aliter; 2°. homicidium qualificatum, qualis est occisio patris, fratris, prolis propriæ, Episcopi, Presbyteri, Clerici inservientis Ecclesiæ cujus patronus sit ipse occisor: imò in hoc ultimo casu sufficit mutilatio Clerici; 3°. hæresis non tolerata, qualis, ait idem Scriptor, est hæresis sociniana; 4°. schisma, sub quo comprehenditur conspiratio adversùs Episcopum; 5°. crimen falsi, præcipuè in Litteris Apostolicis; 6°. notabilis læsio Apostolicæ Sedis, in personâ Papæ vel Cardinalium; 7°. crimen læsæ Majestatis, cujus etiam conscii sunt falsæ monetæ artifices; 8°. incarceratio Clerici, eo animo facta ut ille ad resignandum Beneficium compellatur.

Non addo sodomiam & bestialitatem: quia nihil est eâ de re (saltèm in jure apud Gallos recepto) satis expressum.

Addunt vulgò Theologi, vacare ipso facto Beneficium ratione quasi delicti, quod contingit, 1°. cùm quis ad Beneficium v. g. Sacerdotale promotus, non curat tempore præscripto ad Sacerdotium promoveri; (nisi tamen obtineat à Papâ dispensationes,

ut

ut aiunt, *de non promovendo*, seu de non suscipiendis Ordinibus.) 2°. cùm aliquis servat Beneficium cum eo quod jam possidebat incomptabile. Fatendum tamen in utroque hoc casu Beneficia adhuc resignari posse vel permutari, ac proinde ea non vacare prorsus ipso facto. Quin si devolutarius jam aggressus fuerit Beneficiarium, censet Gibert contra alios quosdam, Beneficium in favorem resignari posse quando Judex definitivam sententiam non tulit. Sed quidquid sit de hoc Jurisprudentiæ puncto, jam certum esse debet, homicidium simplex, sacrilegium, adulterium, incendium, perjurium, simoniam, confidentiam, hæresim simplicem, incestum cum pœnitente & alia id genus quamvis atrocia sint, & reum aliquando irregularem faciant, haud tamen ipso facto inducere vacationem Beneficiorum quæ quis antea legitimè possidebat, licèt occasionem præbere possint, vel Judici ut contra reum depositionis sententiam decernat, vel devolutario ut rei Beneficium impetret.

Quæres 1°. quid sit resignatio. R. Est juris sui dimissio, seu cessio libera: quæ enim per injuriam extorta est, est nulla, aut certè annullanda: cessio hæc vel fit *tacitè*, ut si quis uxorem ducat, aut militiæ adscriptus, nolit post trinam monitionem arma deponere, &c. vel *expressè* seu disertis verbis; & hæc duplex est; *pura*, quæ fit sinè conditione; & *conditionalis* seu in favorem: eaque vel est simplex, cùm fit absque reservatione; vel *qualificata*, quando fit reservato sibi jure regressûs, vel pensione, aut quibusdam fructibus, vel causâ permutationis.

Resignatio simplex, quæ meliùs dicitur *dimissio*, fieri debet in manibus Collatoris. Sed hic quædam notanda: 1°. Collatio post resignationem in manibus Episcopi aut Papæ factam sinè prævio Patroni laïci consensu, nulla est juxta multos, aut certè annullanda, si Patronus conqueratur, quia ejus juri præjudicat. Idem dicendum de resignationibus in favorem aut permutationis causâ, quæ nè à Papâ quidem in præjudicium Patroni laïci admitti possunt.

2°. Qui purè & simpliciter coram Ordinario resignat, in instrumento dimissionis suæ eum quem sibi successorem dari exoptat, nominare non potest, ètiamsi non uteretur clausulâ *non aliàs*, *non aliter*, *non alio modo*: potest tamen sic resignans, absque simoniâ rogare Ordinarium ut conferat tali, sed eæ preces nullam imponunt necessitatem huic potiùs quàm illi conferendi.

3°. Si procuratio ad resignandum in manibus Ordinarii concepta esset *in favorem*, procurator vitium illud emendare posset: etsi enim *diligenter custodiendi sunt fines mandati*, certè tamen *laudandus est qui omisit vitium.*

Resignatio in favorem est cessio Beneficii eâ conditione, & *non aliter* quàm ut alteri conferatur. Hæc resignatio non nisi à Papâ admitti potest; ex longo tamen usu Reges Galliæ hasce resignationes admittunt, tum quoad Beneficia quæ regaliæ tempore vacant, tum quoad ea quorum collatores sunt Ordinarii.

Si Papa alii quàm resignatario Beneficium conferat, provisio, utì contra mentem resignantis facta, irrita est: idem est si Beneficium certis affectum personis, Choristis, v. g. aut Nobilibus, aliis resignetur, aut si resignetur à minoribus in favorem eorum à quibus pendent, tutorum v. g. præceptorum, &c. quia in his fraus & dolus præsumuntur.

Quæres 2°. quid sit permutatio, & quæ ejus conditiones. R. permutatio est Beneficii unius sive conformis, sive non, cum alio commutatio. Permutatio hæc esse debet rerum ejusdem generis, spiritualium cum spiritualibus, juris in re cum jure in re, & non cum jure ad rem; unde permutari non possunt mandatum vel nominatio ad Beneficium, decimæ, itèm jus patronatûs, officium capellæ regiæ, Beneficium fundandum, cum Beneficio præsenti. Permutatio non à Papâ solùm, sed ab Ordinario, imò in Galliâ à quibusdam Abbatibus aut Capitulis quæ jus illud præscripserunt, admitti potest; sed fieri nequit privatâ permutantium autoritate. Si permutatio fiat

coram Papâ, tutius est, quin & juxta multos necessarium, ut omnia simul compermutantium Beneficia exprimantur. Permutatio tunc tantùm legitima est, cùm primarius ejus finis est Ecclesiæ utilitas.

Quæres 3°. quid, & quibus competat regressus.

R. Regressus est ad Beneficium permutatum vel resignatum reversio. Regressus conceditur, 1°. ei qui resignavit causâ permutationis, si contingat eum evinci è Beneficio permutato; aut si detegat ipsum onerari pensione quam ignorabat; 2°. ei qui ut aliud Beneficium à quo evincitur, possideret, renuntiavit suo, sive quia secundum erat incomptatibile, sive quia plura tenere noluit: & tunc jus habet regressûs, tametsi suum hoc Beneficium alteri collatum & possessioni datum fuerit; 3°. ei qui criminis capitalis accusatus Beneficium resignasset, veritus nè innocentiam suam probare non posset, quam tamen probavit; 4°. Novitio qui ad seculum revertitur; eive qui invalidè professus est, modò tamen, aiunt aliqui, Professus ille agat intra tres annos ex quo professio declarata fuit invalida; 5° & ei præcipuè qui mortis metu Beneficium suum resignavit: is enim si convalescat, regressûs facultatem habet, *sive resignaverit purè, sive in favorem, sive simpliciter,* * *sive sub pensionis reservatione, sive coram Legato, sive coram Ordinario, nec tantùm contra suum resignatarium, sed etiam contra resignatarii successorem,* modò tamen, aiunt aliqui, morbi mentio facta fuerit in resignatione. Cabà.

Sed hîc notandum 1°. conditionem regressûs exprimi non debere, alioquin Beneficium vacabit per obitum; *quædam enim expressa nocent, licèt tacita non noceant;* 2°. regressum non admitti in magno Consilio, tam pro iis qui purè & simpliciter, quàm pro iis qui in favorem resignaverunt; etsi in posteriori casu resignans regredi possit, donec possessionem inierit resignatarius; 3°. resignanti non dari regres-

* Negant aliqui regredi posse eum qui sibi sufficientem pensionem reservavit.

sum, si recuperatâ valetudine resignationem probare visus sit, aut per annum totum non reclamaverit.

Ut regressus licitus sit, tria requirit Pontas: 1°. ut resignans bonâ fide agat, & spem ac desiderium regressûs deponat; 2°. ut Beneficio suo ad victum indigeat; 3°. ut hujus Beneficii munia implere possit.

Paucis nunc dicendum de pensionibus. Est autem pensio, portio redituum alicui ex alterius Beneficio legitimè competens. Ut pensio obtineatur, quædam necessaria sunt, & quidem 1°. ut obtinens sit *capax*, adeòque *Clericus*, nisi sit Eques S. Lazari: *legitimus*, alioqui indiget dispensatione, & hanc Episcopus dare nequit, nisi ad pensiones quas ipse reservare potest: ac demum *immunis à censuris*, & ab irregularitate, prout alibi dicam.

2°. Requiritur *justa causa*; quâ seclusâ, qui pensiones etiam cum Pontificiâ dispensatione obtinent, in conscientiâ tuti non sunt. Causæ verò justæ eæ sunt, si alendus sit Clericus verè indigens; si lis circa Beneficium componenda; si remunerandus qui Ecclesiæ servitium præstitit aut præstiturus est; si compensanda inæqualitas Beneficiorum ob Ecclesiæ utilitatem permutatorum; uno verbo utilitas Ecclesiæ.

3°. Requiritur *potestas* in constituente seu reservante pensiones: hæc secundùm omnes residet in S. Pontifice: at in Galliâ non videntur admitti pensiones ab Episcopo creatæ, nisi cùm uniuntur Beneficia, vel constituuntur ab Episcopo Vicarii, qui Parochorum munia sua exercere non valentium vicibus fungantur; vel fiunt transactiones pacis gratiâ, aut permutationes de Episcopi autoritate & consilio.

4°. Pensio debet esse *moderata*, qualis ut censeatur, non debet in Beneficiis residentiam exigentibus tertiam fructuum partem excedere; hâc etiam adhibitâ cautione, ut resignatariis trecentæ annuæ libræ ad minùs supersint integræ ad victum, emolumentis casualibus in his minimè comprehensis, deductis etiam quibuscumque oneribus Parocho incumbentibus. Beneficia simplicia onerari possunt pensione quæ fructuum medietatem attingat.

Edict. an. 1671.

5°. Non potest quis Beneficium curam animarum habens, aut præbendam Cathedralis vel Collegiatæ Eccclesiæ, sub onere pensionis resignare, nisi iis per 15. annos ad minùs deservierit, aut præ infirmitate deservire nequeat.

6°. Qui ob incompatibilitatem Beneficium dimittit, pensionem sibi reservare non potest, præsertim si Beneficium quod retinet honestæ sustentationi sufficiat; idque cautè institutum est ad coërcendam Beneficiariorum avaritiam.

Pensio iis extinguitur mediis quæ Beneficiorum vacationem inducunt, qualia sunt matrimonium, homicidium præmeditatum, professio religiosa, &c. Extinguitur etiam *redemptione*, cùm Beneficiarius, accedente Papæ consensu, quinque, sex aut septem annos pensionis pensionario solvit, ut deinceps è solvendo immunis sit.

Quæres 1°. an mortuo resignatario qui pensionem resignanti solvebat, resignatarii successor per obitum, ad eam solvendam teneatur. R. teneri in conscientiâ, si rescriptum à Papâ concessum contineat clausulam *ad quoscumque successores*. Attamen Parisiensis Senatus pensiones super Beneficiis residentiam exigentibus constitutas, non habet ut reales, quæ successorem ligent, nisi ab eodem Senatu * confirmatæ sint. Aliud est de pensionibus quæ Beneficiis simplicibus impositæ sunt; circa quas id unum exigere potest resignatarii successor, ut ad tertiam fructuum partem reducantur.

* Homologuées.

Quæres 2°. an pensio in titulum Clericalem assumi possit. R. affirmat. 1°. quia id docet Tridentinum Sess. 21. c. 2. his verbis: *Patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos, &c.* 2°. quia Synodus V. Mediolanensis sub S. Carolo permittit ut quis ordinetur sub titulo pensionis tandiu solvendæ, *donec ei aliunde provisum sit;* Ergo à fortiori potest quis sub pensione simplici, quæ perpetua est, ordinari.

PARS SECUNDA.

DE SIMONIA.

Ad Lib. Decre. tit. 3. Et S. om. 2. q. 100.

VIdendum 1°. quid & quotuplex sit simonia; 2°. quale peccatum, & à quibus committatur; 3°. & 4°. dicendum de ejus causis & pœnis.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit Simónia.

2. 8. 5.

SImonia (sic dicta à Simone mago, qui primus in novâ lege Apostolis *obtulit pecuniam* ut ab eis acciperet potestatem communicandi, cuicumque vellet, dona Spiritûs sancti) definiri solet, *Voluntas studiosa emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum*; & melius fortè, Actus quo quis vel mediante temporali, vel contra Ecclesiæ legem intendit pervenire, aut pervenit ad spirituale vel spirituali annexum. Primam definitionem, ut quæ magis recepta sit, exponimus. Itaque simonia

Dicitur, 1°. *voluntas*, id est volitio: tum quia simonia, ut potè peccatum, debet esse actus voluntatis: tum quia simonia committi potest, etiamsi opus non subsequatur, alioqui ipse Simon non fuisset simoniæ condemnandus.

Dicitur 2°. *studiosa*, id est, deliberata. Unde si quis ex inculpatâ juris vel facti ignorantiâ, venderet aut emeret aliquid spirituale, non esset simoniacus formaliter, sed materialiter tantùm; sicut aliquis in casu difficiliori materialiter solùm usurarius esse potest.

Dicitur 3°. *vendendi vel emendi*; hìc verò per emptionem intelligitur contractus quilibet onerosus

sus: sicut enim simoniacus est qui dicit, Do tibi Beneficium ut des mihi equum, ità simoniacus est qui dicit, Facio ut Decanus eligaris, ut facias me in Præcentorem eligi.

Dicitur 4°. *pretio temporali*, quia simonia ut plurimùm committitur cùm aliquid pretio æstimabile datur pro re spirituali: quanquam simonia committi potest quolibet contractu minimè gratuito, ut statim dictum est.

Dicitur 5°. *spirituale*, quo nomine intelligitur id quod est supernaturale, seu id omne quod ad cultum Dei, aut animæ salutem ordinatur, ut gratia gratìs data, aut gratum faciens oratio, Sacramenta, reliquiæ Sanctorum; itèm omnis potestas supernaturalis ejusque usus, ut actus ordinis vel jurisdictionis ecclesiasticæ. Hinc Conciones & Catecheses sacræ, quæ prout in Ecclesiâ fiunt à Clericis, ordinantur ad audientium salutem, sunt materia simoniæ.

Dicitur 6°. *vel annexum spirituali*: quia quædam sunt temporalia adeò spirituali connexa, ut hæc vendi non possint, quin illud vendatur. Sic vendi nequit id quod in Beneficio temporale est, quin etiam vendatur quod est spirituale; sed de his infrà.

* Obj. 1°. Ea definitio non est legitima, quæ non convenit omni simoniæ: Atqui talis est allata definitio. Nam 1°. qui Beneficium precibus obtinet, illud profectò non emit: Atqui tamen est simoniacus ex S. Thomâ; 2°. pariter simoniacus est qui pretium accipit pro omissione actionis sanctæ, v. g. qui propter *emolumentum quodlibet temporale*, non denuntiat Episcopo publicum peccatum; prout habetur c. 14. *de simon.* Atqui nulla hìc reperitur venditio spiritualis; 3°. permutationes & resignationes sinè Superioris autoritate factæ, simoniacæ sunt: Atqui tamen fiunt sinè pretio temporali.

* 2. 2. q. 100.

R. ad 1. neg. & dico definitionem nostram competere omni simoniæ prohibitæ jure naturali, quæ sola simoniæ rigorosæ rationem habet: nihil ergo mirum est si non conveniat permutationibus &

resignationibus propriâ autoritate factis, cùm in his sola occurrat simonia ecclesiastica : his tamen facilè conveniet secunda nostra definitio.

Ad 1. confirmat. dist. maj. Beneficium non emit qui illud obtinet precibus nudè spectatis, & prout meræ sunt petitiones, C. qui illud obtinet precibus prout habent rationem adulationis, & favoris humani, N. Itaque si preces spectentur ut nuda petitio, non inducunt simoniam, quia non impediunt nè id quod confertur, gratìs conferatur ; sic dives qui mendico efflagitanti stipem largitur, gratìs tribuit. Verùm si preces spectentur ut quidam blandiendi modus quo Beneficii collatorem demulcere conamur, haud dubium est quin eæ sint pretium quoddam quod Beneficiorum distributor sæpè pluris quàm aurum æstimat, quodque à S. Gregorio *favoris nummus* vocatur. In his ergo cautè pensanda est tum orantium, tum collatorum intentio, ex quâ fit ut quod in uno vacat à culpâ, in alio mortiferum sit.

Hom. 4. in Evang.

Ad 2. confirm. dist. Simoniacus est qui pretium accipit pro omissione actionis sanctæ, cùm omissio hæc est formaliter aut æquivalenter venditio & emptio rei vel actûs spiritualis, C. semper & in aliis casibus, N. Itaque si omissio actûs æquivalet actui positivo qui sinè simoniâ vendi non possit, aut moraliter proveniat ab eâdem potestate à quâ procedit actus oppositus, aut viam paret ad spirituale, jam simoniæ materia erit. Sic 1°. qui pecuniâ corruptus negaret alicui absolutionem à peccatis in foro interiori, reipsâ simoniæ reum se constitueret : quia talis omissio est usus quidam & exercitium potestatis spiritualis, quod non magis pretio æstimari potest quàm ipsa absolutio ; 2°. qui ante obtentum Beneficium dat pecuniam alicui, v. g. antiquiori Graduato vel peritiori, ut non contradicat ; itèm qui ut recipiat Ordines, pretio dato obtinet, ut qui ejus flagitia novit, eadem Episcopo non detegat, est etiam simoniacus : quia tunc emit Ordines & Beneficium, si non in se, saltèm in viâ & dispositivè,

Verùm multi sunt alii casus in quibus emi potest omissio actûs spiritualis absque simoniâ. Sic qui daret alicui pecuniam ut abstineret à Missâ malè celebrandâ, aut à conferendo simoniacè Beneficio, simoniacus non esset, ut conveniunt omnes.

† Ergo, inquies, simoniaci sunt contractus, in quibus pro tali summâ tot Missæ celebrantur. †

R. neg. seq. quia summæ quæ pro Missis dantur, non dantur in pretium Missæ, sed in stipendium necessitatis, quia *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Etverò unde viverent tot Sacerdotes, quorum tempus omne divino ministerio exauritur? Hîc tamen notandum cum Sylvio, sustentationem sacris Ministris debitam nunquam exigendam esse per spiritualium substractionem, *quia expresius exprimit venditionis speciem, qui priùs recipit pretium, quàm rem conferat pretiosam*, c. 36. *De simon.* I. *Cor.*

Simonia dividitur saltèm analogè, 1°. in mentalem, conventionalem, & realem.

Simonia mentalis hîc non ea est quæ in solâ mente sistit, nec transit ad opus, quod cautè notandum; sed ea quâ quis dat temporale pro spirituali, aut spirituale pro temporali, sinè ullo quidem pacto, tacito vel expresso exteriùs manifestato, sed hâc tamen internâ mentis intentione ut alium moveat ad dandum sibi spirituale pro suo temporali aut vicissim. Hæc simoniæ species quandoque ab uno solùm, quandoque à duobus committitur. Ab uno quidem, ut si quis Episcopo, Patrono, eorumve amicis pro nullâ aut levi mercede serviat, sed eâ mentali prorsus intentione ut ab iis Canonicatum accipiat. Ab utroque verò, ut si Prælatus Beneficium quod exteriùs gratis conferre videtur, eâ intentione Titio conferat, ut is Secretarii aut Capellani partes apud se agat; & is eodem interiori animo acceptet. Quòd si eorum unus quidpiam exteriùs agat aut dicat unde alter in notitiam perversæ hujus intentionis deveniat, jam quæ initio

mentalis erat simonia, transibit in conventionalem; quin & in realem effectu utrinque subsecuto.

Simonia *conventionalis*, est venditio vel emptio rei spiritualis cum pacto tacito, vel expresso, sed reali executione nondum utrinque completâ. Si conventio solùm peracta sit, nihilque prorsus traditum aut receptum, simonia dicitur *purè conventionalis*: si verò ex unâ parte aliquid datum sit, putà si traditum sit pretium temporale, sed nondum tradita res spiritualis, aut vicissim, dicitur simonia *conventionalis mixta*, vel *semirealis*. Neque hæc vera esse simonia desinet, etiamsi promissor habeat intentionem nunquam solvendi; quia qui promittit etiam fictè, mediante temporali, promissione scilicet, pervenit ad spirituale, quod simoniacum est. Haud tamen erit simonia verè realis donec utrinque conventio peracta aut inchoata fuerit.

Simonia *realis*, est pactum pretii temporalis utrinque completum saltèm ex parte, ut si datum sit Beneficium pro centum nummis, sive ex toto, sive ex parte persolutis: persolutis, inquam, realiter, non autem solâ chirographi traditione. Chirographum enim spondet rem pretio æstimabilem, quæ non magìs actu datur scripto quàm verbis: imò verba etiam apud viros mundanæ probitatis asseclas pro scriptis habentur; Ergo traditio chirographi non inducit simoniam in sensu Canonum realem, seu quæ canonicis pœnis subjaceat. Et verò si duo sibi scripto promisissent, ille pecuniam, iste Beneficium, & neuter pactum executus esset, quis hîc nisi simoniam purè conventionalem agnoscat?

Dividitur 2°. in eam quæ prohibita est, quia mala, seu quæ pugnat contra jus naturale & divinum; & eam quæ mala non est, nisi quia prohibita, & hæc pugnat duntaxat contra jus Ecclesiasticum. Prima, ipsa est venditio rei spiritualis quà talis, ut si chrisma cariùs venderetur, quia consecratum est. Secunda est quævis oratio comparandi spirituale solis Ecclesiæ legibus reprobata, propter

reverentiam rei sacræ : ut cùm quis vel permutat Beneficium propriâ suâ autoritate ; vel vendit chrismа consideratum ratione solius materiæ. Hæc autem post Ecclesiæ prohibitionem venditio, non obedientiæ solùm, sed & religioni adversatur : sicut sacra communio post jentaculum.

Dividitur 3°. in simoniam simpliciter, de quâ hactenus, & simoniam confidentialem. Hæc porrò definitur simonia conventionalis mixta, quâ quis procurat Beneficium alteri cum pacto tacito vel expresso, quòd iste illud idem posteà resignaturus sit, seu ipsimet procurandi, seu alteri cuilibet ad nutum procurantis, aut ex eo vel fructus, vel pensionem aliquam sinè legitimâ autoritate constitutam soluturus sit.

Dicitur 1°. *simonia*, quia per confidentiam datur vel spirituale pro temporali, ut cùm confertur Beneficium sub onere pensionis ex eodem persolvendæ ; vel datur spirituale pro spirituali, sed contra Ecclesiæ leges ; ut cùm datur Beneficium sub conditione futuræ retrocessionis.

Dicitur 2°. simonia *conventionalis*, quia ut confidentia subjaceat canonicis pœnis, prærequiritur partium conventio saltèm tatita.

Dicitur 3°. *mixta* : pura enim conventio nullâ ex parte impleta, non induceret juris pœnas. Conventio igitur ex parte impleri debet, nempè Beneficii traditione ; & ex tunc incurruntur pœnæ.

Dicitur 4°. *quâ quis procurat Beneficium* : quæ verba ostendunt 1°. confidentiam posse reperiri non in præsentationibus solùm aut collationibus, sed & in resignationibus & electionibus ; 2°. eandem non habere locum nisi in Beneficiis : unde confidentiarius non est, qui vel pensionem recipit sub pacto futuræ retrocessionis ; vel consentit ut Beneficio quod olim canonicè accepit, pensio imponatur, præmisso pacto quod pensionarius post aliquot annos, v. g. absoluto studiorum cursu, illam transferat in tertium. Ratio est, quia pensio non intelligitur nomine Beneficii in materiâ confidentiariâ,

ut definiit Rota. Qui tamen ut Beneficium recipiant, pensionem spondent; qui itèm Beneficium dando pensionem exigunt, sunt confidentiarii, & confidentiæ pœnis subjacent, ut dicam cap. 4.

Dicitur 5°. *cum pacto* : sublato enim eo pacto, vel nulla occurreret simonia, vel non occurreret confidentialis. Hinc confidentiæ reus non est, qui sinè ullo pacto dat Beneficium Titio, confidens Titium eidem Beneficio in favorem tertii renuntiaturum esse, si fortè ad Episcopatum promoveatur. Pariter à confidentiâ, imò & à peccatis immunis est, qui Beneficium quod ante possidebat, abdicat in manu Præsentatoris, quem precatur ut illud nepoti suo conferat, quia preces si bonâ fide fiant, pactum nullum involvunt, & plenam Patrono relinquunt libertatem conferendi Beneficium cui voluerit.

Sed quid, si Petrus Beneficium resignet Mævio, impositâ ei obligatione ut idem conferat Joanni, & Mævius resignationem acceptet cum verâ intentione conditionem hanc non implendi?

R. Quidquid dicant viri graves, veram hìc reperiri confidentiam, aut saltèm magnum ejus periculum : 1°. quia resignatarius dum tacet consentire videtur, præsertim in casu citato, in quo contra propositionem adeò malam insurgere tenetur; 2°. Quia Pius V. in Bullâ 85, docet *confidentiæ crimen, alterius tantùm partis conscientiâ* admitti : quæ verba naturaliter intellecta, ostendunt ad confidentiam sufficere malam unius partis intentionem alteri parti cognitam, ejusque silentio quasi approbatam.

Dicitur 6°. ut qui Beneficium accipit, *idem resignet*; quia confidentia non committitur nisi in duobus casibus : 1°. cùm procuratur alicui Beneficium eo pacto ut *illud ipsum* vel procuranti vel alteri aliquando renuntiet; 2°. cùm procuratur Beneficium cum reservatione pensionis aut fructuum ex eodem percipiendorum, sive ab ipso procurante, sive ab alio quem designat. Hinc docent Canonistæ, confidentiam quatuor modis committi; accessu nimirum, ingressu, regressu & stipulatione pensionis.

Confidentia committitur *accessu*, quando is qui ad Beneficii provisionem concurrit, confidit ex inito pacto idem Beneficium sibi vel alteri resignatum iri cùm sublata fuerint impedimenta, propter quæ Beneficium illud, actu & de facto à me, vel ab alio possideri nequit; & ideò confidentia hæc dicitur fieri per accessum; quia per eam accedo ad Beneficium de quo nunquam provisus fui.

Confidentia committitur *ingressu*, cùm quis Beneficium sibi collatum, sed cujus possessionem nondum cepit, resignat alteri, servato sibi jure ingrediendi possessionem illius, positâ quâdam conditione; putà si resignatarius præmoriatur, aut pinguius Beneficium recipiat.

Confidentia committitur *regressu*, cùm quis eo pacto resignat Beneficium cujus jam possessionem iniit, ut jus habeat in illud regrediendi, si v. g. resignatarius aliud recipiat incompatibile, aut si pensionem non solvat. Regressum aliquem in Galliâ licitum esse diximus suprà.

Denique confidentia committitur *stipulatione pensionis*, cùm quis ut Beneficium recipiat, spondet se ex ejusdem fructibus soluturum esse pensionem conferenti, resignanti, aut alii ex eorum voluntate.

Ex his colliges simoniam non esse confidentialem, sed conventionalem tantùm, 1°. quando quis resignat aut permutat Beneficium eâ conditione, ut resignatarius, aut compermutatarius *aliud* Beneficium quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii; quia ad confidentiam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem Beneficium: tunc autem non est accessus in idem, sed in aliud.

2°. Cùm præsentans, eligens aut conferens exigunt ut promovendus promissum aliquod temporale refundat in remunerationem, nisi per illud temporale intelligantur fructus Beneficii, ad cujus provisionem concurrerent; aliàs omnis simonia foret confidentialis, quod tamen falsum est, cùm Pius IV. & Pius V. omnem confidentiam ad qua-

tuor casus recensitos restringant. Et hoc maximè notandum est, quia pœnæ in confidentiarios sancitæ, graviores sunt quàm quæ in alias simoniacorum species decernuntur; eò quòd confidentia, licèt malum simoniâ minus, plures in Ecclesiam abusus invehat.

Quæres an Titius, qui Canonicatum suo pinguiorem postulat à Capitulo, hunc acceptare possit cum pacto suum remittendi in manus Capituli.

Affirmant Sambovius, Pontas, & alii communiter saltèm in praxi; voluntque nullam hîc occurrere confidentiæ aut alterius simoniæ speciem. Non confidentiæ, quia non spondetur *idem* Beneficium: non simoniæ alterius, quia Titius id solùm spondet ad quod jam tenebatur, cùm duos Canonicatus simul tenere nequeat. Sicut ergo, inquiunt, Capitulum citra simoniam exigere potest ut Titius omnibus Officiis intersit, quia id jam debet; sic & in proposito. Hæc opinio quam ob communem praxim impugnare non audeo, supponit Titio moraliter constare Beneficium quo se exuit, non nisi digno collatum iri.

CAPUT SECUNDUM.

Quale peccatum Simonia, & quî committatur.

DUo hîc quæruntur: 1°. quale peccatum sit simonia; 2°. an hujusce peccati reus sit qui dat munus temporale, non ut pretium rei spiritualis, sed ut motivum, & quasi irritamentum, quo v. g. Beneficii Collator moveatur ad ejus collationem: aut qui se obligat ad dandum temporale pro spirituali, non quidem ex justitiâ, sed ex gratitudine. Sit

Conclusio I. Simonia peccatum est inter gravia gravissimum.

Prob. 1°. quia statim ac Simon suam de comparando pecuniâ Spiritu sancto intentionem Apostolis exposuit; his, quasi fulgure, S. Petri verbis perculsus est: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri...*

in felle amaritudinis, *& obligatione iniquitatis video te esse*: Atqui verba hæc grande scelus supponunt; Ergo.

Prob. 2°. ex Canonibus. Gelasius Papa relatus 1. q. 1. c. 6. *Dantem*, inquit, *& accipientem damnatio Simonis involvit*. Paschalis relatus 1. q. 7. cap. ult. *Omnia*, inquit, *crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur*. Idem est stylus aliorum Canonum, à quibus simonia vocatur *execrabile flagitium*, *flagitium piaculare*, *&c.*

Prob. 3°. Vitium juri naturali, divino, humano, religionique oppositum, pro grandi crimine haberi debet: Atqui simonia adversatur 1°. juri naturali, jus enim naturæ vetat nè ea vendantur quæ sunt invendibilia, qualia sanè sunt spiritualia & spiritualibus annexa; 2°. repugnat juri divino, & voluntati Dei, qui Matth. 10. dixit: *Gratìs accepistis*, *gratìs date*; 3°. repugnat juri humano, seu ecclesiastico, seu civili, ut patet tum ex titulis *De simoniâ* in Jure canonico contentis, tum ex Regum nostrorum edictis, ac præcipuè ex Pragmaticâ Sanctione S. Ludovici, & Caroli VII. 4°. demum idem scelus Religioni oppositum est in ratione sacrilegii, cùm per ipsum sanctissima quæque profanè & indignè tractentur.

Neque in hoc scelere datur materiæ parvitas; hæc enim repeteretur, vel ex parte rei spiritualis, vel ex parte pretii pro eâ dati. Non ex primo capite, quia res spiritualis quæcumque ea sit, tam alti est ordinis, ut indigna ejus contrectatio, gravis censeri debeat: non ex altero capite, quia econtrà quò vilius offertur pro re spirituali pretium, eò magìs contemni censetur: adeòque gravior est quæ in eam committitur irreverentia.

CONCLUSIO II. Ut quis simoniæ reus sit, non requiritur ut det aut accipiat temporale tanquam pretium rei spiritualis, sed sufficit ut det temporale tanquam motivum ejus obtinendæ.

Prob. 1°. Quia admissâ Casuistarum subtilitate, nè ipse quidem Simon simoniacus fuit. Quis enim

putet eum eò usque delirasse, ut crederet pecuniam quam Apostolis offerebat, ejusdem esse pretii cum Spiritu sancto? Sanè hoc ei unum exprobravit S. Petrus, quòd existimaret *donum Dei pecuniâ possideri.* An non autem æquè possedisset, si pecuniam dedisset in motivum quo Apostolos flecteret, quàm si eandem obtulisset instar pretii.

Prob. 2°. quia si valeat opinio Casuistarum, jam nemo nisi rudis & omnino hebes, in simoniam incidet, nemo in exteriori foro ut simoniacus condemnari poterit. Ecquis enim non fugiet simoniacum, dum pecuniam quâ Beneficia comparabit, non ut pretium Beneficiorum dabit, sed ut motivum quo Patronos aut alios ad eorum collationem inducat. Quis intentam sibi simoniæ accusationem non eludet in foro exteriori? Quis convincetur pecuniam dedisse ut rei sacræ pretium? Certè nè ipsa quidem Ecclesia de secretâ cordis intentione judicare potest.

* * Prob. 3°. quia *Chalcedonense Concilium condemnat eos, qui Ecclesiæ Beneficium interventu pecuniæ acquirunt:* sed qui pecuniam dant in motivum, Beneficium indubiè acquirunt pecuniæ interventu. Meritò igitur Innocentius XI. & Clerus Gallicanus an. 1700. damnarunt hanc propositionem: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contrà.*

Can. 9. 1. q. 3.

Prob. 4°. Qui dat munus Judici ut motivum ad obtinendam sententiam iniquam, dicitur emere justitiam, & Judex qui propter hæc munera jus dicit, dicitur vendere justitiam, quia nempè dat unum loco alterius; Ergo à pari in proposito.

† † Hinc simoniæ reus est 1°. qui Magnatis domum ingreditur principaliter ut Abbatiam obtineat.

2°. qui consanguineo Præbendam confert, *ut magnificetur per hoc & nobilitetur domus sua.* Ita S. Thomas in 4. distinct. 25. q. 3. ad 3. Secùs, ait

2. 2. q. 100. a. 1.

Idem alibi, *si conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem; tunc enim est quidem illicita & carnalis affectio*, si minùs digno dederit, *non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur.*

3°. qui *dat Beneficium alicui hoc pacto vel intentione ut exinde suis consanguineis* vel aliis pauperibus *provideat*; id enim *est manifesta simonia*, ait S. Thomas.

4°. & id etiam dicendum de iis qui Tonsuram recipiunt ut consequantur Beneficium, cujus temporale præcipuè intendunt, ii enim simoniam committunt saltèm mentalem.

5°. *Clericus qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter retributiones, quas recipit tanquam finem sui operis,* (*principaliter intentum*) *committit simoniam.* Ità S. Thomas, quodlib. 5. q. 8. a. 12.

6°. Hinc & reus est simoniæ, qui in aliquâ Diœcesi spiritualia munia exercet, ut Canonicatum aut aliquam dignitatem assequi possit: *Qui* enim, ait S. Bernardus, Lib. *de vitâ & morib. Clericorum*, cap. 5, *evangelisat ut manducet, perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur;* qui tamen habet *principalem finem Deum in tali actu, ad ejusmodi autem retributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quòd non vendit actum spiritualem, & ità simoniam non committit, nec peccat*, S. Thom. ibid.

Hæ propositiones, *Memor ero Beneficii quod mihi confers, ero gratus, suo tempore gratias agam*, nisi determinentur ad piam coram Deo gratitudinem, quæ naturali jure debita est, periculi plenæ sunt, & ab iis penitus est abstinendum, nè intelligantur temporali sensu, & moveant Collatorem.

Obj. 1°. Qui pauperibus stipem erogat ut ipsorum preces impetret, si non intendat preces emere, sed duntaxat pauperum animos ad eas fundendas per beneficium gratuitum commovere, simoniæ reus dici non potest, ex S. Thomâ; Ergo à pari.

§. 100. 3. R. neg. conseq. 1°. quia dans pauperi stipem ut ejus precibus adjuvetur, earum excellentiæ non derogat, & sequitur ordinem divinæ providentiæ, quæ vult ut pauperes spiritualem eleemosynam iis impendant, à quibus corporalem recipiunt: qui verò muneribus Beneficium comparant, divinæ providentiæ ordinem abjiciunt, & Beneficii spiritualis excellentiæ derogant, cùm in hoc Beneficio nonnisi honorem aut emolumentum considerent; 2°. quia pauper non aliâ quàm precum viâ, gratum se & memorem exhibere potest; unde necessum est ut vel oret pro benefactoribus, vel contra Dei legem ingrati animi notam sustineat: ostendatur tale quidpiam in eo qui pecuniam danti Beneficium rependit.

Obj. 2°. ex c. 30. *de simon. Illud gratanter recipi poterit, quod fuerit sinè taxatione pretii gratis oblatum;* Ergo tunc solùm committitur simonia, cùm datur vel accipitur aliquid per modum pretii.

R. neg. conseq. Etsi enim illud quod omninò gratis datur, simoniam non continet, illud tamen censeri debet simoniacum, quod datur vel accipitur titulo non penitùs gratuito: Atqui quod datur eo fine & conditione ut Beneficium ab alio obtineatur, usque adeò non datur gratis, ut seclusâ Beneficii expectatione non daretur; Ergo gratis non datur.

CAPUT TERTIUM.

De causis Simoniæ.

DUplex est simoniæ causa de quâ lis moveri possit; efficiens scilicet, & materialis. Causa efficiens, est subjectum committendæ simoniæ capax. Causa materialis, seu materia *circa quam*, vel est *proxima*, venditio scilicet & emptio; vel *remota*, eaque vel est pretium *quo* emitur, vel ipsa res spitualis *quæ* emitur; & hæc rursùs, vel ex rei naturâ, vel solùm ob Ecclesiæ prohibitionem vendi, aut

commutari non potest. Quod spectat ad subjectum simoniæ, certum est eam committi, 1°. ab iis qui *cujuscumque status, gradûs, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint*, dant vel accipiunt temporale pro spirituali ; 2°. ab eorum mediatoribus, qui idcirco excommunicatione feriuntur, *à quâ nisi à Romano Pontifice non possint absolvi, præterquam in mortis articulo.* Utrumque habetur, Extravag. 2. commun. *de simoniâ* ; 3°. & utcumque ab iis qui *pro officii sui loco contra simoniacam hæresim vehementer non exarserint.* cap. 5. 1. q. 1.

Hinc summus ipse Pontifex incurrere potest simoniam jure naturali & divino prohibitam. Ratio est quia Papa, sicut ceteri, juri naturali & divino subditus est ; Ergo si contra jus illud ageret, ut agere potest quatenus homo ; si, v. g. Ordines, vel Grana benedicta majori venderet pretio quàm valeant ratione materiæ, solùm propter consecrationem, non minùs simoniacus foret quàm *quilibet alius homo*, ut docet S. Thomas hîc art. 1. ad 7.

Quin & censent plures Papam incurrere posse simoniam juris humani, exigendo, v. g. pecuniam pro Officiis per Ecclesiæ leges vendi prohibitis. Ratio est, 1°. quia Princeps jure naturali tenetur sequi legem quam aliis imposuit, cùm ratio legis parem in utriusque locum habet ; Ergo peccabit Papa, si leges ab Ecclesiâ latas transgrediatur ; nec peccabit peccato solùm scandali, ut aliqui censent, sed vero simoniæ peccato : quemadmodum si præceptum Ecclesiæ de servando per Quadragesimam jejunio violaret, non scandali solùm, sed etiam intemperantiæ reum se constitueret.

2°. quia Papa non est nisi dispensator in legibus sapienter constitutis ; Ergo si sinè rationabili causâ secum dispenset, dispensatio hæc non impedit quominùs verè censeri debeat legum Ecclesiæ transgressor, ac proinde simoniacus, si eas contemnat quibus prohibetur simonia.

Ex quibus à fortiori sequitur à Ministris Papæ,

non secùs ac ab aliis committi posse simoniam jure divino & Ecclesiastico prohibitam. De priori nulla est difficultas de eâ verò quæ jure solùm positivo proscribitur, dubitant aliqui, si sciente & dissimulante Pontifice exerceatur, quia tunc videtur tacitè dispensare: ea tamen taciturnitas, juxta plures alios, non est sufficiens Pontificiæ dispensationis argumentum, tum quia fieri potest ut Papæ silentium sit negligentiæ effectus, non approbationis; tum quia non semper expedit ut superior pœnas omnes lege suâ inclusas, ejusdem transgressoribus inferat; Ergo ex Pontificis taciturnitate, dispensatio colligi nequit, nisi diuturno tempore silentium servet, quia lex quæ sciente & diu dissimulante legislatore infringitur, censetur per desuetudinem abrogari. His positis, sit

ARTICULUS PRIMUS.

De materiâ proximâ Simoniæ; ubi de causis à Simoniâ excusantibus.

Fatentur omnes materiam proximam simoniæ esse venditionem vel emptionem, per quas intelligitur contractus quilibet, sive nominatus, sive innominatus, quo datur temporale pro spirituali. Hîc autem, ut alibi, dat temporale, qui ipsum remittit; & dat spirituale, qui spirituali renuntiat: unde accedente pacto simoniacus est. Sex tamen sunt casus in quibus potest temporale quid recipi sinè simoniâ: ii verò sunt, 1°. liberalitas seu gratitudo; 2°. stipendium & debita sustentatio; 3°. labor; 4°. amissio commodi temporalis, quo quis se privat faciendo opus spirituale; 5°. consuetudo legitima; 6°. redemptio vexationis iniquæ.

1°. quidem gratuita donatio à simoniâ excusat; quia quod omninò gratis datur, nec datur per modum pretii, nec eâ intentione ut is cui fit donum temporale, ad alterius doni refusionem accendatur. Fatendum tamen sub hoc gratuitæ donationis

titulo sæpius latitare simoniam, dum id quod gratìs dari dicitur, plerumque vix aliâ quàm obtinendi Beneficii intentione datur; aut datur ex pacto, cùm tamen pactum ex naturâ suâ obligationem fidelitatis & justitiæ importet, ac proinde gratuitæ donationis naturam evertat. Adde quòd sæpe contingat ut obligatio antidotalis per pactum restringatur; hæc autem restrictio ad aliquod determinatum, est æstimabilis pretio, tollitque gratitudinem quæ est generalis. Ex quibus sequitur simoniacas esse has conventiones quas excusat Bonacina: Do tibi gratìs pecuniam, ut ex gratitudine mihi conferas Beneficium, & vicissim. Neque verò tam expressa conventio requiritur, sed sufficit tacita quam semper adfuisse præsumet Confessarius, cùm pœnitens dans Beneficium, & sperans pretium, exigit, vel etiam verbis aut nutibus alterum hortatur, ut suo tempore memorem se præbeat. Faciliùs tamen præsumitur simoniaca intentio, 1°. si quid diviti aut Superiori spondeatur, aut detur à paupere, vel inferiore, vel actu necessitatem patiente: ii enim non tàm liberales esse solent; 2°. si res data vel promissa talis sit momenti, ut communiter dari non soleat gratuitò.

2°. Excusat titulus stipendii & legitimæ sustentationis. *Quis enim limitat suis stipendiis unquam?* Hinc culpâ carent, sive fideles qui Ecclesiæ Ministris temporalia bona largiuntur; sive Ministri qui Christi exemplo pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine, vel Ecclesiæ legibus accipiunt. Hic tamen sub stipendii prætextu sæpe latet simonia, vel aliquid instar simoniæ prohibitum. Unde 1°. juxta multos, qui plùs exigit stipendii quàm sibi verè debitum sit, non injustitiæ solùm, sed & simoniæ reus est; quia quod stipendii locum non habet, non alio accipi videtur titulo quàm in pretium spiritualis ministerii. Idem dicendum de iis qui novo stipendio paciscuntur pro functionibus ad quas jam ex officio tenentur.

I. Cor. 9

3°. Excusat labor: sed labor duplex est, alius actioni spirituali intrinsecus, ut fatigatio necessaria

ad concionem, aut celebrationem Missæ; alius extrinsecus, sinè quo opus fieri potest, ut celebratio vel concio facienda in loco admodum remoto. Labor intrinsecus nunquam vendì potest, sinè simoniâ; quia labor ad actionem necessarius, in unum cum eâ opus coalescit, & sic ejusdem fit cum ipsâ conditionis: quid enim aliud est labor in celebrandâ Missâ intrinsecè necessarius quàm recitatio orationum, oblatio, consecratio, & alia ejusdem generis quæ sunt ipsa Missa; Ergo cùm Missa sinè immani sacrilegio vendi non possit, nec labor eidem intrinsecè necessarius vendi potest. Aliud est de labore extrinseco: is enim seorsum pretio æstimari & vendi potest: Sic Sacerdos qui ut Missam celebret, longius iter peragere debet, pœnam hanc compensare exigere potest; idem de eo dicendum qui adstringit se ad celebrandum horâ graviter incommodâ.

4°. Excusat à simoniâ sicut ab usurâ lucrum cessans & damnum emergens: hinc simoniæ labem non contrahit, qui accipit pecuniam, non quidem ut alteri Beneficium procuret, sed ut suum compenset laborem in scribendo, iter agendo, &c. hæc enim pretio sunt æstimabilia. In his tamen laboris solius, non autem Beneficii habenda est ratio, nec pensandus laboris successus, aut Beneficii pinguedo; quia tunc pretium pro Beneficio traderetur quatenus labor non in se, sed ratione Beneficii æstimaretur, quod simoniacum est; unde fatentur Doctores, simoniam committi, ab eo qui tradit alteri pecuniam, eumve promissis aut muneribus impellit, ut pro se Beneficium à Rege, aliove Collatore postulet; quia tunc *muneris interventu spiritualia assequitur*, quod nunquam licet.

S. Thom. hîc art. 6.

5°. Excusat consuetudo legitima & laudabilis, qualis reputatur non ea quæ ab exactione, aliisve similibus principiis originem duxit, sed quæ ex pietate & liberalitate populorum nata est; quod enim ex tali consuetudine datur, non in pretium rei spiritualis datur, sed per modum oblationis &

stipendii. Ubi tamen quædam vigent consuetudines, quæ simoniam sapiunt, videndum quid sentiant Confessarii, Doctores, Prælati, & præsertim quid ferat Curiæ Ronanæ stylus.

Quæres quid sentiendum de consuetudine juxta quam quædam Capitula à novis Canonicis exigunt vel munuscula, ut chirotecas vel certam pecuniæ summam, vernaculè *Droit de chape.*

R. Consuetudinem exigendi pecuniam à novis Canonicis, severè à Tridentino prohibitam fuisse, ut quæ suspicionem habeat *simoniacæ labis*, *aut sordidæ avaritiæ*; ibique præceptum Episcopis ut actiones illas vetent, nisi *pios in usus* sint convertendæ. Quod spectat ad chirotecas, & alia id genus xenia, sacra Congregatio Cardinalium declaravit fas non esse ea recipere aut distribuere. Addunt aliqui Canonicum non posse in conscientiâ dona hæc largiri, nè peccatis alienis communicet; sed recurrere debere ad Episcopum aut saltèm Magistratum, qui non patietur Rempublicam iniquis iis vexationibus turbari.

Sess. 2. c. 14.

6°. Excusat redemptio injustæ vexationis, quam pecuniâ aut muneribus arcere possunt, qui injustè nec ad Superiorem recurrere valentes, impediuntur à consecutione boni spiritualis *in quo* jus habent. Ratio est, quia non tradunt temporale pro spirituali, quod jam verè ipsorum est: sed pro liberatione ab injuriâ & cessatione vexationis, quæ est aliquid temporale.

Sed hìc cavendum 1°. ne res quæ ad iniquæ vexationis redemptionem traditur, sit spiritualis; si quis enim in pingui Beneficio vexetur, & tenue vexatori tradat aut promittat, simoniacus est, quia dat spirituale pro temporali.

2°. Nè vexatio quæ redimitur, justa sit, aut saltèm probabilis, tunc enim pecunia non tam datur pro cessatione vexationis, (cùm non vexet, qui jus suum prosequitur,) quàm pro re spirituali, ad quam moraliter loquendo mediante pecuniâ pervenitur. Et verò non licet pecuniæ ope facere, ut jus adhuc infirmum, firmum evadat.



guineum ſibi ex infenſo amicum
munera offert, nè diutiùs Collator
ſibi Beneficio avertat. Ità docent
Antoninus, Rebuffus, Cabaſſut. lil
Pontas hîc caſib. 29. & 30.

4°. Cavendum nè ablatio vexa
boni ſpiritualis; quia ut hæc emi nc
illa tunc redimi poſſet. Hinc ele
cium, cujus Epiſcopus injuſtè con
negat, vexationem hanc redimere
in hoc caſu remotio vexationis hu
quàm confirmatio, quæ cùm ſit
emi non poteſt.

Unde contra quoſdam infero, r
pecuniam Sacerdoti qui alicui in
tate conſtituto Baptiſmum gratis co
nam pecuniam dare pro removen
eſt eam dare pro ipsâ Baptiſmi
tamen licitè emi aqua à Sacerdote
rum eſt elementum; poſſet etiam,
cognitio verborum quæ in Bapti
tratione proferri debent, ſicut n

ARTICULUS SECUNDUS.

De Munere Simoniaco.

PRetium, ſeu munus ſimoniacum, quod pro re ſpirituali traditur, triplex eſt, ex S. Gregorio Hom. 4. in Evang. Nam *aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ.*

Munus ab obſequio eſt quodlibet opus indebitum & temporale præſtitum aut præſtandum in commodum aut utilitatem alterius, ſub pacto expreſſo vel implicito, aut cum intentione acquirendæ alicujus rei ſpiritualis. Hinc ſimoniaci ſunt, 1°. qui Magnatum negotia gerunt, aut pueros ad litteras informant, ut eorum favore Beneficium conſequantur; 2°. qui alicui Beneficium donant, ut extinguatur ſtipendium quod alioqui ſolvere tenerentur; 3°. qui præſentant aliquem ad Beneficium, cum pacto ut vel tot Miſſas pro iiſdem dicat, vel quæ in fundatione præſcribuntur certo die, & tali horâ celebret, cùm ex Beneficii titulo locus & tempus celebrandi, Beneficiarii libertati permittuntur. Ratio eſt, quia in his omnibus promittitur, datur, aut exigitur aliquid pretio æſtimabile; aut obligatur libertas, cujus obligatio pretium habet. Etverò qui hæc exigeret in materiâ mutui, cenſeretur uſurarius; Ergo in materiâ præſenti cenſeri debet ſimoniacus.

Dixi 1°. *opus quodlibet*, ut comprehenderem tum illud quod honeſtum eſt, tum etiam turpe.

Dixi 2°. opus *indebitum*; quia ſi obſequium temporale quod exigitur ab eo cui confertur Beneficium aut res ſpiritualis, annexum ſit Beneficio aut rei ſpirituali, putà quòd Canonicus pſallat in Choro, exigi poteſt ſinè ſimoniâ. An autem poſſit Epiſcopus conferre Beneficium alicui cum pacto ut ſibi ſolvatur ſumma debita, controvertunt Theologi. Certè multò tutius eſt, ob errandi periculum, abſtinere ab iiſce pactis; cùm pactum omne à jure reprobetur.

Dixi 3°. opus *temporale*, quia permutare spirituale pro spirituali extra Beneficiorum materiam nullo jure prohibitum est. Unde simoniæ expertes sunt laicus aut alius quilibet qui pro Reliquiis Reliquias donat; Sacerdos qui pro alio celebrat cum onere ut is pro se aliâ die celebret; Episcopus qui Beneficium alicui confert, ut zelum ejus & officia populis præstita compenset, juxta id Apost. I. ad Tim. 3. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent.*

S. Thom.

Munus à manu pecunia est: porrò *per pecuniam intelligitur* res quælibet externa *cujus pretium potest pecuniâ æstimari*; sive sit res mobilis, sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalis, atque etiam ejus privatio, vel promissio & obligatio. Hinc munus à manu dare vel polliceri censetur, 1°. qui Patrono aut Collatori pensionem remittit, aut debitum præsens vel futurum; qui enim remittit, moraliter donat. Imò non solùm qui debita sibi, sed etiam qui debita Ecclesiæ remittere promittit, simoniacus est, quia censetur aliena rapere ad donandum, & ità munus à manu confert, licèt de re alienâ. Pariter simoniacus est tum qui bona tradit Ecclesiæ cum pacto ut ipse recipiatur in Canonicum, tum qui Capellam fundat cum intentione ut ipsa sibi conferatur; tùm Episcopus aliquem ordinans sub promissione quòd nihil ab eo in locum tituli petiturus sit. Et id extendunt Suarez & Navarrus ad eos qui ex bonis suis titulum alicui constituunt, receptâ nihil unquam exigendi promissione; atque hinc est quòd Episcopus & præsentator in hoc casu censuris subjaceant, ut patet ex cap. 45. tit. 3. Lib. 5. Decretal. qui cùm sit de simoniâ, eosdem simoniæ reos supponere videtur.

2°. Munus à manu dare vel spondere censendi sunt qui Beneficium accipiunt sub conditione locandi domum suam pretio minori, desistendi à lite justè impactâ, pecuniæ mutuo dandæ, &c.

3°. Ejusdem sceleris rei sunt qui solvunt expensas

& resignante factas in consecutione Beneficii; qui suscipiunt in se onus restaurandi domum pastoralem; qui ex pacto emunt domum & supellectilem resignantis, utpotè, inquiunt, ei jam inutilem; qui debita ejus ex eodem pacto solvunt. Ratio est, quia hæc omnia pretio sunt æstimabilia, adeòque si ex pacto fiant, à simoniacâ labe excusari non possunt.

4°. Per munus à manu intelligi potest donum omne quod jus positivum dari vetat pro re spirituali; & sic Beneficium pro alio Beneficio sinè Superioris autoritate datum, est munus à manu.

Munus à linguâ est favor, id est laus, commendatio, adulatio, preces & similia, quæ ex vi pacti expressi vel taciti linguâ exerceri solent in favorem illius qui rem spiritualem confert. Hinc simoniaci sunt 1°. qui dat Beneficium alteri, ut ejus pater Regis de se bene loquatur; 2°. qui in Concionibus & in Pœnitentiæ tribunali Magnatibus adulatur, ut inde aliquid temporalis commodi reportet; 3°. qui Conciones sacras habet, ut hominum laudes promereatur; 4°. qui ad Potentum preces Beneficium conferunt, ut eos sibi devinctos habeant, nam humanum favorem & gratiam habere apud Magnates, est pretio æstimabile. In his tamen ob pacti defectum non alia vulgò erit simonia quàm mentalis; imò vitia hîc quidem multa agnoscit Suarez cap. 40. num. 14. non tamen simoniam. Ut quædam solvantur difficultates,

Quæres 1°. an qui precibus pro alio porrectis motus Beneficium confert, sit simoniacus.

R. 1°. Collator ille simoniacus est, si intendens aliquem sibi obligare, promittat se Beneficium ad ejus preces collaturum esse. Ratio est, quia Collator ille per hujus Beneficii promissionem negotiatur favorem temporalem alterius, quæritque eum sibi obligatum habere: qui verò Beneficium desiderat, efficit ut alter se Collatori submittat eum precando, quod ex omni parte est pretio æstimabile.

R. 2°. seclusâ hâc aut simili intentione, non esse

simoniacum, qui ad alicujus preces Beneficium concedit, potissimùm si digno & capaci concedat: 1°. quia, ut alibi diximus, preces sumptæ ut nuda petitio non impediunt nè res gratis detur; nec ex se ordinantur ad honorem ejus qui rogatur, sed potiùs in utilitatem rogantis; 2°. quia exaudire petentem Beneficium pro eo qui de Ecclesiâ bene merebitur, per se bonum est; 3°. quia in id conspirat totius Ecclesiæ praxis, idque à jure satis approbatum est, ut patet ex cap. 34. *de simoniâ*, & ex cap. 121. & 122. 1. q. 1.

Quòd si preces fiant pro indigno, tunc juxta S. Thomam, *factum est simoniacum*; quia cùm Collator non moveatur ex dignitate personæ cui Beneficium confert, indicium est eum moveri favore humano, & receptione vel spe rei alicujus pretio æstimabilis. Fatendum tamen S. Thomam loqui potiùs de simoniâ præsumptâ quàm de simoniâ quæ semper & necessariò occurrat: si enim preces pro indigno fusæ simoniam constituant, eædem pro digno fusæ simoniam constituent; sicut munus à manu non minùs pro digno quàm pro indigno simoniam facit.

Quæres 2°. an qui confert spirituale ex metu, seu ex precibus armatis, simoniacus sit.

R. negat. 1°. quia qui bonum spirituale confert ex metu, etsi minùs voluntariè illud conferat, nihil tamen temporale recipit ab eo qui sibi metum incutit; 2°. si quis ex timore oret, confiteatur, celebret, absolvat, non est simoniacus; Ergo nec simoniacus erit si ex eodem metu conferat spirituale.

Si tamen timor mali reservatur in commodum temporale, v. g. si princeps comminetur Episcopo, futurum nunquam ut ad ampliorem fortunam deveniat, nisi Titio Præsbyteratum conferat; tunc conferendo simoniacus esset, quia non solùm iram Principis tollere, sed etiam ejus favorem venari conaretur.

Quæres 3°. quid dicendum de eo qui pecuniâ vel obsequiis agit apud familiares Episcopi, ut ii pro se apud Episcopum agant. R. videndum quid in-

tendat. Si id solùm ut liberior sibi ad Episcopum pateat accessus, nihil hìc est simoniæ. Si ut eorum commendationibus Beneficium obtineat, utique simoniacus erit. Si demùm ut ii simpliciter scientiam & merita oratoris aperiant Episcopo, potest id quidem absolutè vacare à simoniâ, sed ob periculum vix & fortè nunquam in praxi tolerari debet; tum quia vix fieri potest ut homo bonæ frugis non aliâ viâ Episcopo innotescere possit; tum quia adhuc rariùs evenit, ut non intendat orator expositioni rerum preces adjungi & commendationem.

ARTICULUS TERTIUS.

De materiâ spirituali Simoniæ.

PEr spiritualem simoniæ materiam, intelligimus spirituale ipsum, & annexum spirituali. Spirituale hìc idem est cum supernaturali. Supernaturale autem est tale, vel *formaliter* seu per *essentiam*, ut gratia, character & similia; vel *causaliter*, ratione spiritualis effectûs quem producit, quo sensu Sacramenta, sacramentalia, sacræ conciones, & alia quæ gratiam pariunt, supernaturalia dicuntur; vel *effectivè*, prout est effectus à causâ supernaturali proveniens: sic actus prophetandi spiritualis est, quia nascitur ex causâ spirituali, & ad salutem vel fidem Ecclesiæ ordinatur: tales etiam sunt benedictiones, usus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, dispensationes, facultates excommunicandi, aut absolvendi à censuris, collationes Beneficiorum, &c.

Annexum spirituali est illud quod licèt in se sacrum non sit, fit tamen aliquatenùs sacrum per suam cum rebus sacris connexionem. Annexum hoc triplex distinguitur; aliud est enim annexum *antecedenter*, quod scilicet prius est in se quàm spirituale fiat per suam cum spirituali connexionem: talis est fundus cui advenit jus patronatûs quod est spirituale; item vas, lapis, ædes, balsamum, vestes, quæ posteà

consecrari aut benedici contingit. Aliud est annexum *concomitanter*; quod nec antecedit, nec sequitur, sed comitatur ipsum spirituale, ut labor corporis in celebrandâ Missâ; & is quidem labor, vel annectitur extrinsecè, ut si Missa in loco remoto aut arduo celebranda sit, vel intrinsecè, ut labor qui Missam communem comitatur. Aliud est annexum *consequenter*, quod præsupponit rem sacram, & per suam ab eâ dependentiam spirituale reputatur; sic temporales Beneficii reditus, spirituale quid censentur, quia pendent à causâ spirituali, nempe à spiritualibus officiis propter quæ instituta sunt & retribuuntur. Etsi porrò explicata superiùs principia penè satìs detegant quandonam in hisce materiis committatur simonia, satius tamen judicavi de his sigillatim disserere cum periculo nimiæ prolixitatis, quàm ab iisdem abstinere cum periculo omittendi aliquid quod iis inservire possit quibus in itinere tam lubrico gradiendum est. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

De Simoniâ in Sacramentis & sacramentalibus.

UT hîc quædam statuantur regulæ, quæ utpotè generales, faciliùs retineantur, sit

CONCLUSIO I. Accipere aliquid pro Sacramentis prout constant ex materiâ & formâ, vera est simonia. Ratio est, quia Sacramenta sic sumpta, sunt res valdè sacra & supernaturalis: sed dare temporale pro re sacrâ aut spirituali, est simonia; Ergo. Hinc non licet dare pecuniam pro matrimonio ut est Sacramentum; tametsi hæc dari possit pro eodem quatenus est contractus cui sua sunt onera, commoda sua, suæ in contrahentibus inæqualitates.

CONCLUSIO II. Non est simoniacum vendere id quod in Sacramentis materiæ remotæ locum habere debet.

Prob. Quia hæc materia secundùm se, & ut antecedit actionem sacram, res est temporalis, &

æstimabilis pretio, ut patet in pane, vino, aquâ, chrismate, oleo.

CONCLUSIO III. Nihil accipi potest pro materiâ proximâ Sacramentorum, v. g. pro ablutione in Baptismo, pro consignatione in Confirmatione, pro speciebus consecratis in Eucharistiâ, &c.

Prob. 1°. quia in jure simoniacus dicitur non is tantùm qui Sacramenta, sed & qui Sacramentorum actiones vendit; 2°. quia actiones eatenùs solùm vendi possunt, quatenùs sunt sacræ, cùm nullam aliam habeant utilitatem quàm spiritualem: porrò qui actionem ut sacram vendit, simoniæ reus est.

1. q. 1. cap. 99 & c. 9 De simon.

Idem eâdem ex causâ dicendum de formâ Sacramentorum. Hinc sæpè prohibitum est nè quid pro Baptismi collatione accipiatur. Ubi tamen invaluit usus ut gratis offerantur cerei cum auro vel argento, hæc recipi possunt sive in ministri sustentationem, sive ut pios in usus impendantur; prout docet S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 5. Fatendum tamen est longè melius esse & dignius, ut nulla unquam dona recipiantur.

Quæres an vendi possit locus sepulchri.

Certum est 1°. quòd emi possit locus communis in quo emptor sepeliatur; tam enim id potest, quàm emi possit fundus in quo ædificetur templum: sic Abraham emit speluncam duplicem in sepulturam Saræ. Genes. 23.

Certum est 2°. quòd etsi stando in jure naturali vendi sinè simoniâ possit pars cœmeterii aut templi pro sepulturâ, quia tunc non censeretur vendi nisi materiale templi; hæc tamen venditio, tum Ecclesiæ, tum Imperii legibus prohibita fuit, de quo vid. c. 41. *de simoniâ*, & L. 2. & 9. Cod. *de relig. dom.*

3°. Si quis sibi suisque hæredibus velit sepulturæ locum ità proprium acquirere, ut deinceps aliorum Fidelium corpora eò inferri nequeant, tunc ratio prohibitionis à legibus factæ cessat, ideòque aliquid ab eo exigi potest; tum quia obligatio quâ se obs-

Cabass. 5. cap.

tringunt qui Ecclesiæ gerunt curam, ad non sepeliendum alium in hoc loco, pretio æstimabilis est; tum quia usus ubique receptus ità obtinet. Et certè Fideles jus quidem habent ut in loco sacro sepeliantur; sed jus illud non involvit perpetuam servitutem, vi cujus Ecclesia non ampliùs de tali loco in aliorum sepulturam disponere possit.

Sed estne simonia si pro sepulturâ in honoratiori Ecclesiæ loco plus exigatur; item si plus exigatur cùm major crux argentea defertur?

Censent multi utramque praxim simoniacam esse. Ità S. Antoninus, Suarez, Sylvester & alii; quia, inquiunt, locus honoratior non est talis, nisi quia sanctior est, v. g. propior altari, &c. Alii verò qui simoniam hîc nullam esse putant, fatentur tamen optandum esse ut mutetur hæc Clericorum agendi ratio, ut quæ redoleat avarititiam, quæ procul ab Ecclesiasticis personis abesse debet, & quæ in populo tum scandala; tum graviora obloquia procurare consuevit. Idem dicunt aliqui de more secundùm quem, cùm quis apud nos peregrinus moriens, in patriâ sepeliri cupit, non potest eò cadaver hujus tranferri, nisi omnibus Ecclesiis Parochialibus per quas transit, solvantur jura parochialia: *Hujus quidem consuetudinis*, ait doctissimus P. Lupus, *justitiam non video usque huc, & cupio edoceri.*

Quod spectat ad S. Chrisma, communis est assertio non posse aliquid pro eo exigi sinè simoniâ. Ità expressè definitum est cap. 16. & 37. *de Simoniâ.* Atque hîc non simoniæ solùm, sed & injustitiæ crimen agnoscit Suarez; quia, inquit, Episcopi ex Ecclesiæ dispositione tenentur gratìs de hâc materiâ suis Ecclesiis providere. Quòd si fur subripiat chrisma, illudque tanti duntaxat vendat quanti valet ratione materiæ, non committit simoniam, quia non vendit nisi materiam, cujus venditio solis Episcopis prohibita est.

Etsi verò vasa sacra, altaria, sacræ vestes, vendi possint, haud tamen vendi possunt Ecclesiæ; tum

quia altaria portatilia, coronæ vel imagines benedictæ quibus annexa est indulgentia, ad privatorum dominium pertinere possunt, non autem Ecclesiæ, quæ semel Deo dicatæ publici juris sunt; tum quia jus canonicum specialiter decernere videtur templa nè quidem ratione materiæ vendi posse. Vide cap. 15. *de Simoniâ*; & cap. 7. 1. q. 3.

Quod attinet ad Reliquias, certum est esse simoniam si vendantur, si non deferantur, aut fidelium cultui non exponantur, nisi dato pretio. Capsulæ tamen in quibus custodiri solent, vendi possunt, modò propter Reliquias ipsas nihil exigatur.

SECTIO SECUNDA.

De Simoniâ in collatione & exercitio Ordinum.

ORdinum collationi cooperantur ordinans, ordinandus, examinatores, Notarii, &c.

Certum est 1°. quòd simoniacum sit Ordines conferre aut accipere mediante pecuniâ; quia per ordinationem confertur gratia Spiritûs sancti, cujus ministri sunt, non autem venditores Episcopi. Rarum quidem est ut pro ordinatione accipiatur munus à manu, sed summoperè vigilandum, nè hîc irrepat munus à linguâ & ab obsequio, dum sæpe ad Ordines admittuntur, seu ob amicorum preces, seu intuitu servitii præstiti aut præstandi, homines alioquin inepti.

Simoniaci etiam sunt, tum *is qui* præsentat, cùm is qui ordinat aliquem, *promissionem, vel juramentum ab illo recipiens quòd super* alimentis quæ Episcopus debet ei quidem sinè titulo ordinat, *non inquietet eum*, & nihil ab eo postulet : tuncque *ordinator à collatione, præsentator verò ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.*

Cap. 4 de simon.

Certum est 3°. Episcopos & eorum ministros

gravis culpæ reos fieri, si munera quamvis exigua etiam spontè oblata, non solùm ante, sed & post ordinationem recipiant. Ità cautè & severè sanxit Synodus Trid. Sess. 21. cap. 1. *de reform.* cujus salutare Decretum amplexa sunt & promulgarunt Concilia pleraque post Tridentinum, ut Mediolanense I. Burdigalense I. Tolosanum, &c.

Notarii verò, ait ibidem Tridentinum, *in iis tantùm locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus* collationis Ordinis, *decimam tantùm unius aurei partem*, id est julium unum, seu septem aut octo asses *accipere possint; dummodo nullum eis salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire possit.... Qui secùs fecerint, tam dantes quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant.*

Pirrhing. Lib. 5. 3. n.

Circa hoc decretum nota cum Fagnano, 1°. adhuc licitum esse recipere candelas quæ ab ordinatis offeruntur, non tamen forcipes, pectines, & mappas, si quæ ut olim à tonsurandis præsententur; atque id declaravit Congregatio Concilii: 2°. Notarium cui aliquid salarii quantumvis modici ab Episcopo constitutum est, nihil recipere posse; quia Synodus Tridentina iis tantùm aliquid recipere permittit, quibus *nullum* salarium sit constitutum, de iis porrò qui modicum salarium recipiunt, dici non potest quòd *nullum* accipiant; 3°. citatum Tridentini locum, licèt non loquatur expressè nisi de collatione Ordinum, extendi debere, ità ut locum habeat in collatione Beneficiorum. Et id multò magis locum habet in Galliâ ob Sanctionem Blesensem anni 1579. quâ præcipitur ut Officiarii Episcoporum qui nullam ab iis mercedem percipiunt, nihil prorsus ultrà decimam nummi partem exigant; pœnis adversùm simoniacos constitutis alioquin plectendi.

Fagnam. id.

Decoq.

Art. 20.

Examinatores verò cavere debent, nè quidquam

prorsùs occasione hujus examinis, nec ante, nec post, accipiant, alioquin simoniæ vitium tam ipsi quàm dantes incurrunt.

Trid Sess. 21 c. 18.

Quod spectat ad Ordinum functiones, ex dictis sequitur simoniacum esse si quid pro iis accipiatur aut tradatur; & id verum est, non solùm de functionibus Ordinum majorum, sed de exercitio etiam minorum. Unde simonia est si Acolythus, imò & Laïcus ob pecuniam serviat Missæ, quia cooperatur actioni sacræ. Idem dicendum de Ostiario, qui ex officio fores claudit, aut custodit Ecclesiam. Si quis verò id ut purus Laïcus faciat, negant plures eum simoniæ reum fieri: haud tamen à simoniâ excusandi videntur Musici & Cantores, qui solùm lucrum intendunt; tùm quia cantus ille adhibetur in cultum Dei, estque actus verè spiritualis, & ex naturâ suâ exigens religiosè fieri; tùm quia sæpè contingit ut Musici soli potiorem officii partem decantent, v. g. in Vesperis solemnioribus. Ergo, ait Wiggers, *monendi sunt hujusmodi Cantores, ut accipiant temporale titulo sustentationis, aut faciant gratis religionis causa, vel potiùs ut abstineant.*

Quærunt hìc aliqui, quid sentiendum de praxi, quâ juvenes in die Commemorationis Fidelium defunctorum, obambulant Ecclesias & cœmeteria cum libello, rogantes ut Pœnitentiæ Psalmos accepto pretio legant.

R. consuetudinem hanc approbandam non esse, sed potiùs extirpandam: quia licèt absit simonia, si non intendatur venditio orationis, non deest tamen species mali. Adde quòd ii juvenes sinè attentione legere soleant, vixque aliud quærant quàm pecuniam. Idem rectè statuunt alii de objecto eo usu, quo alicubi Sacerdotes in Ecclesiis à populo Missas mendicant, quibus libentiùs porrigi deberet pecunia ut abstinerent à celebrando.

Dec pag.

Sed quoniam hìc de Missæ sacrificio sermo recurrit, hæc imprimis corde & animo tenenda sunt:

1. *Non potest Sacerdos illâ intentione celebrare vel*

officiare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter, licèt simoniæ realis conscius non esset, sed mentalis tantùm. Ità S. Thomas, Opusc. *de offic. Sacerd.*

2°. *Facere pactionem de Missâ celebrandâ, est simoniacum semper*, ait idem S. Doctor in 4. dist. 25. quæst. 3. a. 2. Unde Concilium Toletanum an. 1324, Can. 6. prohibet *nè Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliàm temporalem*; licèt gratè accipere possit id *quod charitativè sibi oblatum fuerit absque pacto vel conventione quâcumque.*

3°. Sacerdos qui *pro pluribus Missis plura stipendia quantumcumque incongrua*, & stipendio ab Episcopis taxato minora recepit, tot Missas celebrare debet quot sibi *præscriptæ* sunt. Ità Urbanus VIII. in Bullâ 45.

» 4°. Ibidem prohibetur Sacerdoti qui Missam » suscepit celebrandam cum certâ eleemosynâ, nè » eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ » sibi retentâ, celebrandam committat, ità ut admi- » nistratores Ecclesiæ ex eleemosynis Missarum ce- » brandarum, nullam utcumque minimam por- » tionem retinere possint ratione expensarum quas » subeunt in Missarum celebratione pro paramentis, » luminibus, vino, hostiâ & similibus; nisi cùm » Ecclesiæ & loca ipsa alios non habent reditus » quos in usus earumdem expensarum erogare pos- » sint : *tunc autem portio quam retinebunt*, nullate- » nùs debet excedere valorem expensarum quæ pro » sacrificio Missæ necessariò subeundæ sunt; & ni- » hilominùs eo etiam casu curandum est ut tot Missæ » celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offeren- » tibus eleemosynam.

SECTIO TERTIA.

De Simoniâ in ingressu Religionis.

QUæritur an à simoniâ excusari possit praxis quæ plurimis in Monasteriis invaluit, ut ab ingredientibus non solùm pecuniam recipiant, sed etiam de eâdem prævìè stipulentur. Sit

CONCLUSIO I. Nihil temporale exigi potest pro ingressu Religionis in ordine ad vestitionem aut professionem, sinè simoniâ jure naturali prohibitâ.

Prob. quia status Religionis est res spiritualis; porrò exigere aliquid pro spirituali, pura est simonia. Hinc Urbanus IV. autoritate Apostolicâ omnibus quarumcumque communitatum Superioribus severè inhibet, *nè antè aut post* receptionem, *quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere, vel exigere aliquando præsumant.... illa duntaxat quæ personæ ipsæ ingredientes purè & spontè, & plenâ liberalitate, omnique pactione cessante dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, domibus & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.* Idem statuerunt Episcopi 412. in Concilio IV. Lateranensi.

Extra vag. v. De simoniâ.

Vide. 40. De simoniâ.

CONCLUSIO II. Licet tamen aliquid in ingressu aut professione exigere ratione sustentationis: 1°. si Monasterium sit verè egenum; 2°. si adsit legitima intentio; 3°. si non plus exigatur quàm ad competentem Religiosi sustentationem necessarium sit. Ità SS. Thomas, Bonaventura, &c.

Prob. 1°. quia in eo casu non datur temporale, dos nempè vel pensio pro spirituali, sed pro temporali, nempè pro sustentatione quam Communitas egena non debet: Atqui in hoc nulla est simonia; 2°. Sicut in Sacramento Matrimonii licitum est pacisci de dote ad ferenda matrimonii onera, absque eo quòd Sacramentum vendi censeatur; ità in matrimonio spirituali quod Religionem inter & Religiosum contrahitur, licitum est ad ferenda sustentationis onera pacisci de dote, & quidem eo majori quo persona recipienda debilior est, aut Religioni onerosior futura, ut si penè cæca sit, morbida, &c.

Dixi 1°. *Si Monasterium sit verè indigens* relativè ad eum qui admitti debet; si enim non indigeat, jam pecunia pro ingressu datur, adeòque simoniacè.

Vel enim pecunia hæc datur pro admissione ad statum Religionis, & est aperta simonia ; vel solùm pro sustentatione, & tunc est simonia palliata : quia cùm omnia Monasteriorum bona, undecumque proveniant, primariò ordinentur ad congruam Religiosorum sustentationem, juxta leges Ordinis, & numerum eorum qui admitti debent ; hinc fit ut qui qualitates habet necessarias ut admittatur nihil debeat secum afferre Monasterio quod ipsi de necessariis omnibus potest & debet providere.

Quandonam verò Monasterium satis dives censeri debeat ut nihil ab ingredientibus recipere possit, non ità præcisè determinari potest. Sunt qui extra arctam necessitatem nihil exigi posse putent ; sed æquiùs providit Synodus Tridentina, Sess. 25. cap. 3. *De Regularib.* cum sanxit *in temporalibus Monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem, ut Monialium numerus commodè sustentari possit.* Et verò S. Bonaventurâ, vir singulari in providentiam fiduciâ commendandus, inter alias causas cur Religio in spiritu deficiat, allegat paupertatem nimiam ; *ex quâ*, inquit, *Religiosi coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia ob nimiam inopiam non providetur eis in commune.*

Verùm dissimulari non potest, sæpius evenire ut Monasteria necessitatem prætendant ubi non est necessitas ; ut contingit in illis quæ ex avaritiâ nihil pro sufficienti habent, quæ ex nimiâ terrenarum rerum sollicitudine reformidant ut propinqua, ea quæ vix unquam eventura sunt ; quæ Religiosæ paupertatis ac modestiæ limites transigendo, superfluitatem pro necessitate habent.

Dixi 2°. *Si adsit debita intentio*, ex parte tum eorum qui dant, tum eorum qui recipiunt pecuniam ; qui sic dispositi esse debent, ut si locus inops non esset, nullam exigerent dotem. Hinc potest sinè simoniâ Communitas etiam dives accipere munera quæ spontè & gratis offeruntur à postulantibus, modò purè offerantur, non autem ut Superio-

res ad receptionem alacriores fiant; quod valdè cavendum est, & ex circumstantiis definiri debet.

Dixi 3°. *Si non plus exigatur quàm necessarium sit* congruæ sustentationi; quidquid enim ultrà, id solo exigeretur titulo Religonis, quod est simoniacum. Hinc colliges quid dicendum sit de exactione conviviorum, prandiorum, donorum quæ Superioribus offeruntur; hæc quippe & similia, interveniente pacto expresso vel tacito, à gravi culpâ excusari nequeunt.

Quæres an pro victu Novitiorum & Novitiarum possit congrua pensio recipi per totum probationis annum.

R. affirmat. quia Novitii non habent jus ut alantur ex communibus Monasterii bonis, nisi fiant Communitatis membra; porrò non fiunt membra Communitatis, nisi cùm eidem se professione solemni alligant. Idem docet Tridentinum, Sess. 25. cap. 16. *De regularibus.*

SECTIO QUARTA.

De Simoniâ in Beneficiis, permutationibus, &c.

Conclusio I. Beneficia, etiam ratione temporalis emolumenti spectata, sunt materia simoniæ; unde simoniaci sunt qui pro adipiscendo, vel conferendo Beneficio dant aliquid temporale.

Prob. Quod pendet à spirituali, tanquam accessorium à principali, vendi non potest quin unà vendatur spirituale: Atqui Beneficium, prout etiam in fructibus temporaneis consistit, pendet à spirituali, &c. fructus enim non dantur nisi propter officium; Ergo Beneficium prout etiam aliquid temporale importat, vendi non potest quin simul vendatur spirituale; Ergo vendi non potest sinè simoniâ, & ità docet titulus totus *de Simoniâ.*

Conclusio. II. Permutare Beneficium cum alio, si fiat propriâ autoritate, simoniacum est simoniâ jure ecclesiastico prohibitâ.

Cap. 8. De pact.

Prob. 1. pars; quia *in spiritualibus*, qualia sunt Beneficia, *omnis pactio*, *omnisque conventio debet omnino cessare*: Atqui permutatio non fit sinè pacto, cùm permutatio sit quidam contractus *do ut des*. Ratio autem cur Ecclesia omnes in Beneficiis pactiones prohibuerit, fuit periculum, suspicio & occasio simoniæ, aliaque incommoda, quæ secuta fuissent facilitatem permutandi propriâ autoritate.

Prob. 2. pars: quia ad simoniam contra jus divinum, requiritur traditio temporalis pro spirituali: Atqui id locum non habet ubi spirituale simpliciter traditur pro spirituali.

Hinc inferes simoniam committi in commutationibus actionum quæ ad Beneficiorum provisiones pertinent, ut si quis dicat: Tu elige, aut confirma hunc, & ego eligam illum; Tu huic Beneficium confer, & ego hunc confirmabo, &c.

Ceterùm Superior coram quo facienda est permutatio, est Episcopus loci in quo situm est Beneficium. Sed notandum eam solùm permutationem ab Episcopo admitti posse, quæ est Beneficii cum Beneficio, & quæ purè fit: unde permutatio Beneficii cum pensione, vel cum pacto ut alter permutantium solus omnes solvat expensas quæ ad utrumque pertinent, non valet, nisi fiat coram Papâ.

Gibalin. §. 10.

CONCLUSIO III. Pensio clericalis est materia simoniæ. Idem dicendum de præstimoniis, & commendis spiritualibus.

Prob. 1. pars: res spiritualis, & quæ confertur cum onere & titulo spirituali, est materia simoniæ, ut ex dictis patet: Atqui pensio res est spiritualis...... cùm ei saltèm à Pii V. temporibus, annexum sit onus recitandi parvum B. Mariæ Officium; Ergo qui eam emit, iisve acquirit mediis quæ in Beneficiorum acquisitione simoniam inducunt, simoniacus est; ac proinde pensio est materia simoniæ: ex quo tamen non sequitur, vel pensionem esse materiam confidentiæ, de quo suprà, vel simoniacum in pensione, iisdem omnibus obnoxium esse pœnis,

quibus subjacet simoniacus in Beneficio; de quo infrà cap. 5. art. 2. & 4.

Prob. 2. pars, quia præstimoniæ sunt res spirituales, & de jure communi ad Beneficia accedunt. Idem de iis commendis, vi quarum Clerico commendatur Ecclesiæ alicujus administratio, assignatâ eidem certâ fructuum portione in stipendium.

Hinc pensio sine autoritate Papæ redimi nequit: si tamen pensio valida non esset, & Beneficiarius ejus invaliditatem in exteriori foro probare non posset, aut id non posset sinè incommodo, posset eam propriâ autoritate redimere; quia cùm pensio invalida non tam sit pensio, quàm injusta vexatio, dubio procul redimi potest.

Pensionis validæ redemptio fit cùm Beneficiarius numerat pensionario reditus trium, quatuor aut ampliùs annorum, habitâ ætatis ratione, & jam obtento Papæ consensu. Sed cavendum 1°. nè antè resignationem Beneficii præcesserit pactum etiam implicitum de redimendâ pensione; tale enim pactum aperta esset simonia sub nomine pensionis; 2°. nè quid executioni mandetur, v. g. nè quid solvatur ante obtentum Papæ consensum; & nè privatim adjiciantur onera à pensione distincta, quæ Papæ incognita sint, & ab eo non approbata, ut v. g. quòd pensionarius hypothecam aut cautionem det in securitatem solutionis, vel quòd teneatur ad anticipandam solutionem, &c. Hæc nisi à Papa approbentur, simoniaca sunt.

CONCLUSIO IV. Resignatio Beneficii pura, in manibus Episcopi facta, legitima est: si verò non sit pura & simplex, & fiat coram Prælato inferiore Papæ, simoniam continet, ratione pacti quod in spiritualibus prohibitum est, ut sæpiùs dixi.

Hinc committit simoniam, 1°. qui coram alio quàm Papâ, præterquàm in raris casibus alibi expressis, resignat sub conditione pensionis sibi solvendæ: 2°. qui facit resignationem *reciproquam*, dicendo, v. g. Resigno Beneficium meum fratri tuo, ut tu tuum mihi vel nepoti meo resignes; 3°. qui

resignationem *triangularem* facit, ut si Joannes Beneficium suum resignet Jacobo, ut Jacobus suum resignet Petro, & Petrus suum resignet Joanni; 4°. qui Beneficium litigiosum, non sinè pluribus expensis acquisitum, & tandem pacificè possessum, resignat cum pacto ut resignatarius solvat expensas. Hæ enim expensæ exigi non possunt ab alio, quia non factæ sunt in ejus gratiam.

CONCLUSIO V. Simoniaca est omnis transactio quâ remittitur vel retinetur spirituale pro temporali. Prob. Simoniaca est transactio quâ permutatur aut venditur jus spirituale pro re temporali: Atqui hoc contingit cùm quis pro temporali remittit jus suum spirituale, vel dat temporale ut idem jus penes se retineat. Et id expresè habetur c. 9 & 10. *de transact.*

Hinc simoniam committunt, qui acceptâ vel traditâ re pretio æstimabili transigunt circa litem præsentandi ad Beneficium; vel circa possessionem Beneficii ad quod duo vel plures nominati fuêre; vel circa jurisdictionem spiritualem, à quâ dato pretio eximi volunt; vel circa Reliquias quæ v. g. huic Ecclesiæ ceduntur eâ lege ut aliquid alteri Ecclesiæ solvat singulis annis.

Quod si in transactione detur spirituale pro spirituali, non erit id ex naturâ rei illicitum; unde qui disputant circa Reliquias, convenire possunt vel ut Reliquiæ dividantur, vel si id fieri nequit, ut eas unus servet, sed alias similes alteri donare teneatur. Non tamen pacisci possent ut una pars haberet Reliquias, altera mediam oblationum partem; esset enim quædam Reliquiarum venditio, quæ sinè simonia non fit; unde in hoc casu recurrendum est ad Episcopum.

Etsi verò spirituale pro spirituali transigendo dare licitum sit ex naturâ rei, id tamen per Canones* in materiâ Beneficiali prohibetur. Unde qui litigat de pingui Beneficio, non potest cum adversario pacisci ut ipse servet pingue Beneficium, & tenue tradat colliganti: sic enim permutaret tenue Beneficium cùm jure quod habet alter ad pinguius, quod

* *Vid.* c. 8. De Transact.

privatâ autoritate fieri nequit : neque etiam pacisci potest ut ipse retineat Beneficium, sed solvat pensionem alteri; aut si de pluribus Beneficiis litigatur, ut ipse hoc possideat, alter verò illud. Ratio toties decantata, hæc est, quòd pactio omnis in materiâ beneficiali simoniaca sit, si privatâ autoritate fiat. Hìc ergo recurrendum est ad Episcopum, cujus autoritate transactio ista fieri potest juxta Suarem, &c.

CAPUT QUARTUM.

De canonicis Simoniacorum pœnis.

CErtum est 1°. ex communi Doctorum consensu, nullam simoniam, quamvis completam & realem, inducere ipso facto pœnas in jure contentas, præter eam quæ est in Ordine, in Beneficiis, & in Religionis ingressu : unde graviter quidem peccat, qui committit simoniam in aliis præter Ordinem Sacramentis conferendis vel accipiendis, in consecrationibus, dispensationibus, benedictionibus, Vicariâ temporali, & similibus; non tamen subjacet pœnis ab Ecclesiâ in simoniacos constitutis.

Certum est 2°. nullas ipso facto incurri ejusdem juris Ecclesiastici pœnas ob simoniam mentalem, aut purè conventionalem; imò probabiliùs nobis videtur, eas non incurri ob simoniam solùm semi-realem; 1°. quia Navarrus docet hanc esse praxim Curiæ Romanæ & Rotæ, ut Beneficium simoniacè acceptum ipso jure non vacet; nec ità provisus, sit excommunicatus; neque si in sacris celebraverit, fit irregularis, nisi pretium aut saltèm pars pretii soluta fuerint. Filliucius * quoque, qui tot annos Romæ docuit & scripsit, affirmat hanc esse Romanæ pœnitentiariæ praxim.

* O[illegible] an. 16[illegible]

2°. quia in materiâ pœnali benignior interpretatio fieri debet; Ergo textus Juris qui simoniam pœnis subjiciunt, intelligi debent de reali, cùm clarè & distinctè non loquantur de semi-reali.

Hinc si quis pro Beneficio quod accepit, seriò promiserit centum aureos, & pœnitentiâ ductus non solvat, pœnarum juris reus non erit: si verò post mensem duos aut tres aureos solvat, ex tunc & non antè; tanquam simoniacus realis in omnes juris pœnas incidet. Imò quantumcumque exiguum sit, id quod solvere incipiet, non effugiet censuram, quia jam verum erit eundem simoniæ realis semperque mortalis conscium evasisse. Confidentiarios severiùs plecti probabimus infrà.

Certum est 3°. triplex esse genus pœnarum quas simoniacis infligunt Canones. Prima est pœna censuræ; secunda est invaliditas actûs simoniacè facti; tertia est restituendi obligatio; & hæ quidem pœnæ multùm inter se discrepant: censuræ enim non incurruntur, nisi vel in Canonibus expressæ sint, vel ab homine decernantur; actus verò simoniacè facti, ex naturâ rei invalidi esse possunt: an autem reipsâ invalidi sint, quæstio est suo loco tractanda; sed ante explicandæ sunt sigillatim pœnæ in simoniacos Jure canonicó constitutæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De pœnis contra Simoniam in Ordine & ingressu Religionis.

IN collatione Ordinum potissimùm interveniunt Episcopus qui confert; ordinandus qui recipit; & ministri, quales sunt examinatores promovendorum, Secretarii, aut Notarii qui litteras scribunt, & similes, de quibus hæc tenenda.

1°. Qui simoniacè conferunt aut simoniacè accipiunt Ordines ipsamve tonsuram, uno verbo *qui quomodolibet dando vel recipiendo, simoniam in* quibusvis Ordinibus *commiserint, aut quòd illa fiat mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrunt, à quâ nisi à Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolvi, præterquam in articulo mortis.* Ità Paulus II. Extravag. 2. *de simoniâ.*

Anno 46.

2°. Ordinans à collatione *quorumcumque Ordinum, atque adeò ipsius primæ tonsuræ*, & *ab executione omnium munerum pontificalium*, v. g. à consecratione altarium, benedictione vestium sacrarum, &c. tum ex citatâ Extravagante, tum ex Bullâ Sixti V. quæ incipit *Sanctum & salutare*, ubi etiam Episcopus *ab ingressu Ecclesiæ* interdicitur. Quòd autem triplicis hujus censuræ etsi occultæ absolutio reservatur Papæ, non est receptum præsertim in Galliis.

1588.

3°. Ordinatus est *suspensus ipso jure*, non solùm ab executione Ordinis quem simoniacè suscepit, sed & ab eorum etiam exercitio quos antè sinè simoniâ suscepisset : unde si alicujus Ordinis functiones exerceat, fiet irregularis. In Galliâ potest Episcopus absolvere ab omnibus censuris simoniacos quorum crimen occultum est, eosque proinde ad Ordinum executionem rehabilitare.

S. Thom.

Quæres an etiam suspensus sit ab Ordinum executione, qui simoniam ignoravit.

R. negat. 1°. quia suspensio pœnalis, qualis ea est de quâ hîc agitur, non potest incurri sinè culpâ : porrò non est in culpâ qui nesciens ordinatur simoniacè ; 2°. quia Paulus II. eos tantùm suspensos esse declarat, *qui simoniacè ordinati fuerint* : Atqui is solùm simoniacè ordinatur, qui ordinatur committendo simoniam, sicut is solùm ordinat simoniacè, qui committendo simoniam ordinat ; 3°. quia leges odiosæ & pœnales restringi potiùs debent quàm ampliari.

Censent etiam Theologi plerique à prædictis pœnis immunes esse eos qui in ceteris ad Ordines spectantibus simoniam committunt, v. g. qui aliquid dant aut exigunt pro litteris seu dimissorialibus, seu testimonialibus quibus publica fides fit aliquem ordinatum esse Clericum. Si quis tamen aliquid donet pro dimissoriis, vel pro sigillo ante consecutionem Ordinum, vel etiam post, ex prævio tamen pacto, excommunicationem incurret, quia hæc actio includit simoniam saltèm Juri canonico contrariam, & *quæ cùm ad Ordines referatur*, meritò punitur *censuris contra simoniacos in Ordine constitutis.*

Quod spectat ad ingressum Religionis, Urbanus IV. aliàs V. extravag. *Sanè* 1. *de simon.* sanxit ut *tam dantes quàm accipientes* aliquid pro Religionis ingressu, *si sint singulares personæ, excommunicationis; si verò sit Capitulum, vel Conventus, suspensionis sententiis eo ipso* subjaceant: *à quibus præterquam in mortis articulo absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali.* Concedit ibidem prædictus Pontifex, ut persona Monasterium pretio ingressa in eodem permaneat, & quod ab eâ exactum fuerat, retineatur à Monasterio, modò impendatur in communem Monasterii usum, non verò in particularem Superiorum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De pœnis contra Simoniam in Beneficiis, & earum relaxatione.

1°. QUi dat simoniacè Beneficium, præsentando, eligendo, postulando, conferendo, &c. ipso facto excommunicationem incurrit, à quâ non nisi à Papâ præterquàm in articulo mortis absolvi potest. Ità Paulus II. cit. cap. 2. *de simon.* Idem dicendum de mediatoribus, & de iis qui Beneficium hâc arte comparaverunt.

Aliud est de pensione; unde qui eam dant aut accipiunt simoniacè, etsi graviter peccent contra religionem, non incurrunt tamen hanc censuram, quia pensio non est Beneficium; & pœnæ non sunt ultrà casus jure expresso ampliandæ. Idem dicendum de Vicariâ temporali, quia nec ipsa Beneficium est propriè dictum. Peccat tamen qui pretio constituit Vicarium, quandiù contractum non rescindit.

Quod spectat ad prælaturas Regularium, v. g. Abbatum, Guardianorum &c. quæ non consistunt in commissione ad nutum revocabili, sed per electionem aliamve providendi rationem, alicui tanquam munus ordinarium deferuntur, probabilius est eas inducere simoniam sub excommunicatione vetitam, nullitatem actûs, & obligationem dimittendæ superioritatis.

tùm quia eæ Prælaturæ non immeritò inter Beneficia recensentur ; tum quia Extravagans Pauli II. hasce superioritates perspicuè recenset inter ea quæ si simoniacè tractentur, simoniæ pœnas inducunt.

2°. Provisio simoniaci est nulla, saltèm in casibus qui censuram inducunt : unde Beneficiarius simoniacè provisus, nequidem post 20. & ampliùs possessionis annos Beneficium resignare potest, cùm illud reverâ non sit suum. Patet id tum ex eâdem Extravag. tum ex S. Thomâ, qui sic loquitur hîc art. 6. ad 3. *Si aliquis scienter & propriâ sponte simoniacè accipiat Ordinem, vel ecclesiasticum Beneficium, non solùm privatur eo quod accipit, ut scilicet careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis ; sed etiam ulteriùs punitur, quia notatur infamiâ, & tenetur ad restituendos fructus non solùm perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti, (quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt deductis expensis factis causâ fructuum,) exceptis fructibus illis qui aliàs expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si verò eo non volente, nec sciente, per alios alicujus prometio simoniacè* procurata sit, ... *tenetur resignare Beneficium quod est consecutus cum fructibus extantibus, non autem tenetur restituere fructus consumptos*, nisi ditior factus sit, *quia bonâ fide possedit.*

Porrò nomine fructuum probabilius est comprehendi distributiones quotidianas quæ propter assistentiam in Choro percipiuntur, quia eæ percipiuntur ratione tituli qui nullus est ; aliud est de iis distributionibus quæ proveniunt tantùm *occasione* tituli, ut stipendia pro Missarum celebratione, pro concionibus, aliisque functionibus ad quas simoniacus non tenebatur ratione tituli ; quia hæc non à titulo ipso derivantur.

3°. Simoniacè provisus inhabilis est ad idem Beneficium denuò obtinendum, ex c. 27. *de simon.*

Sed ambigitur an simonia privet etiam aliis Beneficiis anteà ritè obtentis ; 2°. an reddat incapacem ad alia in futurum obtinenda.

R. ad. 1. Beneficia legitimè priùs obtenta, non vacare per simoniam supervenientem, tum quia pœna hæc nullibi in jure exprimitur, & pœnæ extendi non debent ab unâ delicti specie in alteram; tum quia satìs est ut in quo quis peccavit, in hoc puniatur, nisi aliud in jure expressum sit.

R. ad 2. omnia quæ post excommunicationem simoniâ invectam acquiruntur Beneficia, necdum obtentâ ejusdem excommunicationis absolutione, invalidè acquiri. Ratio desumitur ex incapacitate quam parit præcedens censura.

Eâ tamen censurâ remissâ per absolutionem ipsius etiam Episcopi, si res occulta sit, simoniacus pristinam ad futura Beneficia capacitatem resumit. Ità viri graves à me eâ de re consulti, juxta quos Bulla Pii V. declarat simoniacos *perpetuò inhabiles ad quæcumque alia Beneficia* deinceps *obtinenda*, quod hanc perpetuæ inhabilitatis pœnam, nec in Galliâ recepta est, nec in multis locis ultra montes.

Ut autem non vacant per sequentem simoniam Beneficia, priùs ritè acquisita, sic nec per eam irriti fiunt actus ante ipsam legitimè facti, ut præsentatio, electio, &c. adeòque satis erit si actus posterior, qui invalidus fuit, reparetur. Quod si actus primus invalidus esset; ceteri subsequentes, etiam ex se validi & sinè simoniâ facti, invalidi fierent.

4°. Regula de triennali possessione quæ fert ut *si qui quæcumque Beneficia qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu.... per triennium pacificè possiderint, super iisdem Beneficiis sic possessis molestari nequeant*, tam in petitorio quàm in possessorio; hæc, inquam, regula ut ex terminis patet, simoniacis non prodest. Aliud esset, meo quidem & plurium judicio, de simoniacis bonæ fidei, iis scilicet qui toto triennio simoniæ in suî gratiam factæ nullam prorsus cognitionem habuissent; 1°. quia à regulâ de triennali possessione ii solùm excipiuntur, qui simoniacè ingressi sunt Beneficia: porrò non ingreditur simoniacè Beneficium, nisi qui ipsum ingrediendo simoniam

niam committit : 2°. cap. 26. *de simoniâ*, quo nituntur adversarii, non supponit possessionem triennalem; adeòque est extra rem. Idem dicendum puto, cùm ipse Beneficiarius simoniam commisit, sed ex ignorantiâ invincibili.

Quæres, an non sint aliqui casus in quibus valida sit Beneficii simoniacè collati provisio.

R. Duos esse. Primus est cùm versutus Beneficiarii hostis aliquid collatori dedit, ut collationem irritam faceret, faciendo eam simoniacam, c. 27. *de simon.* Secundus est cùm providendus expresse contradixit, & quantùm in se erat prohibuit nè pro nominatione suâ aliquid tribueretur, c. 33. eod. tit.

Sed quid juris si Titius post contradictionem, acceptet provisionem simoniacam, aut si solvat pecuniam ab aliis promissam.

R. ad 1. Vel Titius antequam acceptaret Beneficium, novit simoniam, & tunc ex communi sententiâ acceptare nequit, quia cessavit bona ejus fides priùs quàm provisus esset; vel non cognovit simoniam, nisi post completam suî institutionem, & tunc Beneficium servare potest, ob bonam suam fidem.

R. ad 2. vel Titius pecuniam ab aliis promissam solvit iis quibus promissa est in pretium simoniæ, & tunc complendo simoniam simoniacus efficitur, adeòque subjacet omnibus simoniacorum pœnis : vel solùm refundit pecuniam hanc iis qui eam in suî ipsius gratiam jam persolverant; & tunc vel non consentit in eorum scelus, tantùmque optat ut amici quorum facinus execratur, nihil propter se patiantur damni; vel eorum nundinationem ratam habet & approbat. Si primum, nec simoniacus est, nec peccat, sicut non peccat pater qui debita à filio per scelus contracta solvit, nè filius infamis habeatur. Si Secundum, id est *si fortè postmodum pacto consenserit solvendo quod fuit promissum, tenetur ad renuntiandum*, ex S. Thomâ, cujus opinio tutior tenenda est in praxi.

Quæres, quis possit tollere pœnas quas simoniaci incurrunt, & quæ ut diximus, sunt tres, censura,

inhabilitas ad Beneficium, & obligatio restituendi fructus injustè receptos.

R. 1°. Censura si occulta sit, tolli potest ab Episcopis in Gallia. Ratio est, quia Præsules nostri firmiter præstitêre in potestate sibi à Tridentino concessâ ab occultis hujusmodi pœnis absolvendi.

R. 2°. Inhabilitas ad Beneficium simoniacè acquisitum, (& à fortiori fructuum condonatio) summo Pontifici reservata est, si sciente proviso commissa sit simonia: 1°. quia nullibi concessum est Episcopis ut prædictam inhabilitatem relaxent; neque enim eis permisit Tridentinum ut in omnibus pœnis, sed solùm ut in censuris & irregularitatibus dispensarent; inhabilitas autem nec censura est, nec irregularitas quædam, sed pœna iisdem superaddita; 2°. quia id definiit Congregatio Concilii his verbis; *Episcopus etsi à simoniâ occultâ absolvere possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad Beneficia quæ per simoniam occultam retinet*; 3°. quia statuit expressè Celestinus III. cap. 27. *de simoniâ*, quòd simoniacè provisus, *ab Episcopo suo dispensationem aliquam obtinere de jure non potest.*

R. 3°. Si provisus simoniacam pactionem ignoravit, & ratam non habuit, distinguendum est: vel enim Beneficium de quo agitur duplex est, nempe curatum aut prælatura, vel simplex: si *simplex*, dispensare potest Episcopus, dummodo provisus detectâ simoniâ, & ante Judicis sententiam *liberam* & absolutam faciat *resignationem* in manibus Episcopi. Si *duplex*, non potest Episcopus dispensare, ubi saltèm publica evasit simonia. An autem cùm eadem occulta est dispensare valeat, controvertitur. Affirmant Habert & canonistæ multi, quorum opinionem, nisi repugnet usus locorum, practicè teneri posse existimo.

Cap. 59. *Elect.*

Quod spectat ad eos qui rei sunt confidentiæ, ii juxta Bullas Pii IV & V. incurrunt 1°. excommunicationem, quæ si occulta non sit, Papæ reservata est: 2°. privantur Beneficio per confidentiam obtento, & ad illud posteà obtinendum fiunt inhabiles;

3°. declarantur etiam inhabiles ad alia Beneficia deinceps acquirenda ; 4°. privantur quoque Beneficiis & pensionibus anteà legitimè obtentis ; hæc tamen pœna non incurrirur ante sententiam Judicis.

Sed hîc cautè notandum, 1°. excommunicationem aliasque pœnas incurri etiam per confidentiam, quæ ex unâ solùm parte executioni mandata sit, in quo confidentia graviùs punitur quàm alia quævis simonia in Beneficiis ; 2°. iisdem subjici pœnis eum qui ex Beneficio confidentiariè dato pensionem exigit, aut sibi solvi consentit, quibus subjacet confidentiariè Beneficium recipiens, prout patet ex Bullâ Pii IV. 3°. prædictas pœnas incurri ante captam pacificam Beneficii possessionem, quia recepto Beneficio compleri videtur scelus sub iisdem pœnis prohibitum.

ARTICULUS TERTIUS.

De obligatione restituendi accepta simoniacè.

Sensus quæstionis est, an restitui debeat id omne quod acquisitum est per simoniam, non solùm realem, sed etiam mentalem ; de quo sit

Conclusio I. Qui pretium pro re spirituali jam datâ accepit, illud restituere tenetur.

Prob. 1°. quia pretium pro datâ re spirituali receptum, possideretur sinè justo titulo : possidetur enim vi pactionis simoniacæ, quæ est nulla, jure saltèm Ecclesiastico.

Prob. 2°. ex c. 11. *de simon.* ubi dicitur temporalia recepta pro dando assensu electioni simoniacæ restituenda esse, *cùm ea sinè gravi salutis periculo retineri non possunt* : sed quæ retineri non possunt sinè salutis periculo, restituenda sunt, etiam ante omnem Judicis sententiam ; Ergo.

Porrò pretium simoniacè acceptum semper est eî qui dedit restituendum, præterquam in materiâ beneficiali. Ratio est quia jure naturali unicuique quod suum est reddi debet, nisi obstet lex aut sententia

Judicis : Atqui nulla lex prohibet nè simoniaco reddatur id quod sacrilegè dedit, nisi simonia realis fuerit in materiâ beneficiali, quam idcirco excepit ; sic enim habetur c. 11. *de simon. Regem & Principes ejus debet inducere, ut si qua receperint à præfato Episcopo ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ.... restituant.* Ex eo autem quòd Simoniacus in Beneficio non possit recipere id quod illicitè dedit, non statim sequitur quòd quivis alius simoniacus teneatur ad id perdendum quod dedit, ut universaliter sentire videtur S. Thomas : pœna enim utpotè odiosa, non debet ad eos extendi qui in lege non exprimuntur.

Quod si quis bonâ fide & ex ignorantiâ probabili pecuniam dedisset, teneretur quidem Beneficium dimittere, sed suâ pecuniâ privandus non esset; hæc enim privatio est pœna supponens culpam ; nulla autem est culpa ubi est bona fides.

CONCL. II. Res spiritualis simoniacè accepta non est obnoxia restitutioni jure canonico ante sententiam Judicis, exceptis Beneficiis & rebus ecclesiasticis.

Prob. 1. pars : tum quia afferri non potest textus in quo pœna hæc ipso facto imponatur : tum quia constat res alias spirituales, ut Sacramenta, Ordines sacros, Religiosam professionem, consecrationes Altarium Ecclesiarum, Virginum, validè conferri, licèt simoniacè conferantur.

Prob. 2. pars ex citatâ toties Extravag. 2. *de simon.* ubi Paulus II. prohibet nè per simoniacam cujuscumque Beneficii provisionem *jus cuiquam acquiratur*, vultque eam *viribus omninò* carere : sed illud restitui debet, cujus possessio nullum jus tribuit, sed è contrà viribus omninò caret ; Ergo.

Obj. contra primam partem. Res acquisita per contractum invalidum, non potest retineri, alioqui sinè titulo retineretur : Atqui res spiritualis, quæcumque ea sit, eo ipso per contractum irritum acquiritur, quo acquiritur per simoniam. Et hâc de causâ paulò antè dicebamus, pretium simoniacè acceptum, utpotè invalidè acceptum, ei qui dedit restituendum esse,

R. dist. min. Res spiritualis acquiritur per contractum invalidum, ex parte illius qui pretium exigit, & recipit, esto; ex parte illius qui rem spiritualem recipit, N. Ut solutio intelligatur, unum sufficit; nempè ut verum sit rem aliquam validè retineri posse, tametsi pretium pro eâ datum retineri non possit; Atqui istud verum est & evidens. Sic mutuum validè recipitur à mutuatario, tametsi pretium pro mutuo non validè recipiatur ab usurario: sic qui ex vi testamenti tenetur certis puellis dotem gratis dare, & eam absque pretio tradere noluit, tenetur ad pretii restitutionem, & nihilominus datio dotis valida est; Ergo à pari.

Adde cum Lessio dub. 30. quòd nullitas contractûs efficiat quidem, ut qui v. g. Reliquias simoniacè accepit, debeat easdem reddere si repetantur, non autem ut eas reddere teneatur, etiam altero non repetente aut nolente pretium refundere.

Ex dictis sequitur, fructus Beneficii simoniacè acquisiti restituendos esse ante Judicis sententiam, cùm sic provisus eosdem non possit facere suos, ut decernit Paulus II. cit. extravag. & S. Thomas suprà. Sed tria hâc occasione quæruntur: 1°. cui restitutio hæc fieri debeat; 2°. an simoniæ mediatores ad eam teneantur in defectum Beneficiarii; 3°. an pensio simoniacè acquisita perinde ac Beneficium dimitti debeat.

R. ad 1. restitutionem hanc fieri debere Ecclesiæ, quæ præcipuè læsa fuit, aut si id permittat consuetudo, pios in usus qui saltèm indirectè Ecclesiæ prosint. Licitum tamen est recurrere ad Papam, & ab eo fructuum qui nondum consumpti sunt condonationem obtinere.

R. ad 2. mediatores simoniæ commissæ in Beneficio non solùm ad accepti pretii restitutionem teneri, ut per se patet, sed etiam ad restitutionem fructuum quos Beneficiarius accepit, vel culpâ suâ non percepit, si is restituendo impar sit. Mediatores enim sunt & cooperatores damni: porrò cooperatores ad

restitutionem tenentur in defectum causæ principalis.

R. ad 3. pensionem simoniacè acquisitam, dimitti debere. Prob. ex cap. 5. 1. q. 3. ubi Urbanus II. sic loquitur: *Quidquid ergo vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel promissâ pecuniâ acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus:* Atqui pensio est è numero rerum Ecclesiasticarum; Ergo.

Nec nocet quòd qui pensionem simoniacè accepit, non incurrat excommunicationem; 1°. quia simonia in pensionibus plecti potuit pœnâ nullitatis, absque eo quòd plecteretur pœnâ censuræ; 2°. quia excommunicatio lata est contra simoniam in Beneficiis, & pensiones non sunt Beneficia; nullitas verò lata est contra simoniam *in rebus Ecclesiasticis;* & pensiones, hodie præsertim, sunt res ecclesiasticæ. Unde innumeri autores qui docent redemptionem, emptionem & translationem pensionis esse simoniacam & nullam, si fiat sinè autoritate Papæ, docent simul nullam tunc incurri excommunicationem.

Idem videtur mihi sanciendum, 1°. de præstimoniis, quæ res sunt ecclesiasticæ; 2°. de jure patronatûs, tum quia ità sentiunt plures magni nominis Canonistæ, tum quia id docet Tridentinum Sess. 25. cap. 9. *de reform.*

Præcipua quæ hìc exurgit quæstio ea est, an ad restituendum teneantur qui simoniam solùm mentalem commiserunt, id est, qui spirituale pro temporali acceperunt, aut vicissim, sed absque ullo pacto implicito vel explicito.

Imprimis certum est ea quæ simoniacè simul & injustè comparantur, jure naturali restituenda esse, cùm dubio procul justitiæ commutativæ violatio inducat onus restituendi, nisi quædam interveniat dispensatio. Unde ad restituendum tenentur, 1°. qui pretium accepêre ad desistendum ab injustâ vexatione in causâ spirituali, quia acceptum est ab invito & injustè; 2°. quia ex justitiâ obligati ad functiones spirituales gratis exhibendas, ut Parochus ad minis-

tranda Sacramenta, Episcopus ad concedendas dispensationes, vel consecrationes, gratis hæc præstare nolunt : 3°. Idem dicendum tum de prælato qui vendit Ecclesiæ Beneficia, quia vendit id quod ex officio gratis dare tenetur ; tum de iis qui pecuniam accipiunt ut rejecto indigno dignum eligant : 4°. Idem censent multi de iis qui pretium acciperent pro Reliquiis, quæ secundùm se pretio æstimabiles non sunt, aut qui aliquid exigerent pro calice, chrismate, oleo sancto, granis benedictis, ratione consecrationis eorum ; quia hæc consecratio & benedictio vendi non potest.

Superest expendendum, an omnis actio simoniaca, eo ipso quo talis est, sit injusta, aut saltèm an non aliquam toleret Ecclesia, quò malis gravioribus occurrat. Alioqui enim simoniacus omnis etiam mentalis ad restituendum tenebitur, quam difficultatem hîc investigamus.

CONCLUSIO III. Probabilis & fundata videtur opinio, quæ docet eos qui per simoniam mentalem sinè aliâ injustitiâ, consecuti sunt rem spiritualem, v. g. Beneficia, non teneri ad restituendum. Idem propter rationes superiùs allatas dicendum de Simoniâ semireali.

Prob. 1°. ex cap. ult. *de simon.* quod totum refero : sic in eo loquitur Gregorius IX. *Dicimus resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro simoniâ hujusmodi non teneri.* Unde sic : Ii de quibus loquitur Pontifex, rei sunt simoniæ mentalis, ut fatentur omnes : Atqui tamen non tenentur iidem ad restituendam rem sic acquisitam ; cùm iis sufficiat ut *pœnitentiam* agant, quam & quidem *solam* agendo, suo satisfaciunt Creatori : Ergo ut cum Glossâ concludam, hæc simoniæ species, *solâ pœnitentiâ purgatur sine renuntiatione.*

Suprà 668.

Respondent aliqui, simoniacos mentales non quis-

dem teneri ad restitutionem vi juris ecclesiastici; teneri tamen vi juris naturalis quod violaverunt injustè accipiendo id quod acceperunt: sed malè, quia textus Gregorii de conscientiæ foro loquitur; sic enim satis si simoniacis mentalibus Deo per pœnitentiam satisfacere, jam ut Deo satisfaciant, non tenentur ad aliud quidpiam, v. g. ad restituendum, aut resignandum; & si ad restituendum adhuc tenentur jure naturali, jam falsum est quòd iis sufficiat *solam* agere *pœnitentiam*; Ergo vel fictitia est hæc juris naturalis obligatio, vel sublata per generalem quandam Ecclesiæ indulgentiam.

Prob. 2°. ex S. Thomâ hîc art. 6. ad 6. *Quoad Deum*, inquit, *sola voluntas facit simoniacum; sed quoad pœnam ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur; sed debet de malâ intentione pœnitere.* Præscribit hîc S. Doctor quid faciendum sit in foro conscientiæ: Atqui solùmmodo dicit pœnitendum esse; de restituendi verò necessitate-nè verbum quidem habet; Ergo minùs apta videtur responsio Sylvii dicentis, S. Doctorem supponere hominem hunc vi juris naturalis restitutioni obnoxium remanere. Si enim res ità sit, quare in re tam gravi hoc unum requirit S. Doctor, ut simoniacum pœniteat *de malâ suâ intentione*?

Probationes à ratione petitas quas fusè alibi prosecutus sum post Suarem non adducam in præsenti: sed duo annotari velim, 1°. nullam ab adversariis proponi objectionem quæ verè probet Gregorium IX. non tolerasse ut simoniaci mentales vel semireales sua servent Beneficia, *de malâ suâ intentione* pœnitendo; 2°. iis qui in hoc casu constituti oppositam nostræ opinionem, quæ tutior est, sequi volunt ut conscientiæ suæ prævideant, sufficere ut ad Episcopum recurrant: quia in dubio, quale hîc occurrit, sufficit dispensatio Episcopalis.

FINIS.







